BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
26/7C
26

P. IV. n.° 18

Digitized by Google

VITA
SERAPHICÆ VIRGINIS
S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS FLORENTINÆ.
ORDINIS CARMELITARUM, ANTIQUÆ OBSERVANTIÆ REGULARIS,

IN TRES DISTINCTA LIBROS;
EXTRACTA ET CONCINNATA
EX VITA PER EJUS CONFESSARIUM SCRIPta, nec non ex proceſſibus & relationibus, coram ſummo Pontifice formatis.

PER

P. F. PATRITIUM A. S. JACOBO, ORDINIS Carmelitarum, Provinciæ Alemanniæ Inferioris.

Cui acceſſit,

Brevis Relatio quorundam miraculorum, meritis & Interceſſione, S. poſt ſolemnem ejus Canonizationem, patratorum.

ET

Documenta ſeu Monita, quæ Sancta diverſis dedit Religioſis dum vixit.



FRANCOFURTI,
Sumptibus JOANNIS BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI

M DC LXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Reverendiſsimo Ampliſsimoque Domino

D. PLACIDO,

INSIGNIS AMORBACENSIS MONASTERII ORDINIS SANCTI BENEDICTI ABBATI DIGNISSIMO &c.

Patrono noſtro Colendiſsimo.

ELectam Domini Sabaoth vineam, Reverendiſsime, Ampliſsimeq; Præſul, ſuperiori ſæculo Religionis defectu, horridum pluribus in orbis partibus, converſam in deſertum, paſtores in Lupos, cuſtodes in raptores, dilectos matris filios transformatos luximus in hoſtes infenſiſsimos. Fœdam hanc methamorphoſim, pruriens, ac licentioſa unius hominis cauſavit libido, cui quot templorum, cœnobiorum &c. ruinis parentatum ſit, diruti paſsim parietes, teſtan-

tur & rudera. Verum Divina bonitas, quæ *Agricolæ* (a) gaudet inſigniri titulo, cuique proprio ſanguine acquiſita Eccleſia ſemper curæ fuit, ut, quod ex una parte licentia deſtruxerat, ex aliâ centuplicato fœnore ſanctitas vitæque rigor repararet, diverſorum eodemmet ſæculo ſuſcitavit ſpiritus, qui tantum cæcutienti orbi religione ac virtute affunderent luminis, quantum eidem vitium ac irreligio caliginis offuderat ac tenebrarum. Inter alios, etiam ſalutem fecit in manu fœminæ, imbellis tenerrimæque virgunculæ Florentinæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis Sacri Ordinis noſtri, quæ, ut cognomen ejus ſonat, ſtulta, imo & inimica mundo, ſapientiſsima extitit gratiſsimaque Deo & cœlitibus. Hujus ſemper doctæ manus fuere ad Prælium, ſed ſpirituale; Hinc illatum Eccleſiæ Dei damnum, quod brachio carnis non potuit, vitæ auſteritate, jugibus lachrymis conſtantibusque orationibus reparare numquam deſtitit. Nec ſolum quod collapſum erat erigere, verum etiam quod bene conſtitutum perficere ac ſolidare, opere ſemper ſtuduit ac ſermone: Viva exemplis, quæ mortuis haud coloribus in præſenti deſcripta ſunt opere; mortua doctrinis, per aurea, quæ cunctis religioſis animabus monita reliquit & Documenta.

Haud mireris, Præſul Ampliſsime, hanc in Carmelo ortam plantam, tibi in Caſsino enutrito ac hono-

(a) *Iohann.* 15.

honorato præſentari, etenim jam olim amicum Carmelo fuiſſe Caſsinum produnt hiſtoriæ. (b) Verum ſpecialiora ſuppetunt: Cui namque ſancta noſtra, (c) *ſuæ domui*, quoad vixit, *bene præpoſita*, ſollicita animarum curatrix, Zeloſiſsima Religioſæ ac regularis obſervatrix diſciplinæ præſentaretur, quam *Tibi* eximio, ſolertiſsimoque inſignis Monaſterij tui promotori, provido veriſsimoque filiorum tuorum ſpiritualium Patri, vitæque religioſæ exemplari illuſtri? Ni candor, modeſtiaque tua, quæ omnem humanum odit plauſum, obſtaret, ac ne ſola verba dare videremur, liberet hîc commemorare auctam induſtriâ tuâ rem domeſticam, reſtitutas villas, excitata inſigni cum ſplendore ædificia, ut tranſeamus ea quæ noſtrum fugiunt obtutum, lapides vivos, quos doctrina tua & exemplo excolis, quibusque tum militantem in terris tum poſt fata in cœlis (ut ſperamus) Triumphantem exornas Eccleſiam. Hæc, aliaque majora pluribus proſequi, ſingularis tua humanitas, comitaſque vetat, cui ne ſimus injurij, ultro iis ſuperſedemus. Principalius adhuc, noſque magis obſtringens remanet motivum, quod ſubticere nefas ſit. Sanctam Sororem noſtram, ſtylo, calamoque redivivam offerimus ac conſecramus Ampliſſimæ Dominationi tuæ, quæ ſeipſam jam dudum nobis affectu ac charitate donavit: Unde dum

(b) *Lezana in Annal. ad ann. 1535. Daniel à Virg. Mariæ in vinea Carm. P. 6. Cap. 4. n. 882.*

(c) 1. *Tim.* 3.

dum danti vices reponimus, non niſi quod juſtitia poſtulat, exhibemus. Accipe igitur Reverendiſſime Domine exiguum hoc debitæ noſtræ obſervantiæ Mnemnoſynon, eo quo ſoles affectu recipere noſtros, confidimuſque, quod qui Sanctæ Sororis noſtræ humiles Fratres, foves in terris, ejuſdem precibus ac interceſſionibus æternâ Corona ſis donandus in cœlis. Ita Animitus vovet hac 25. Augusti, 1670.

Reverendiſſimæ ac Ampliſſimæ Dominationi veſtræ devotus

Carmelus Francofurtenſis.

Digitized by Google

Fr. Matthæus Orlandus S.Th. Mag. ac humilis Prior Generalis Fratrum Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

AUthoritate noſtra, harum ſerie Facultatem facimus Rev. P. Patritio à S Jacobo Theologo Provinciæ noſtræ Germaniæ inferioris & ſocio Rev. Adm. P. Jacobi Emans Aſſiſtentis noſtri Generalis Germaniæ, typis mandandi vitam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ordinis noſtri, quam idiomate Latino concinnavit, dummodo prius à dicto Rev. A. P. Aſſiſtente noſtro Generali, & duobus aliis S.T. Profeſſoribus deputandis à Rev. A. P. Provinciali dictæ Provinciæ Germaniæ inferioris relegatur & probetur, aliorumque, ad quos ſpectat, conſenſus accedat. Datum in Carmelo noſtro Mediolanenſi, die 24. Dec. 1669.

(L.S.) *Fr. Matthæus Orlandus Generalis Carmelit.*

Fr. Aemilius Iacomelli Provincial. Scotiæ Secretar. Ordin.

LIbrum hunc, cui titulus eſt, *Vita Seraphicæ Virginis S. MARIÆ MAGDALENÆ de PAZZIS, Florentinæ, Ordinis Carmelitarum antiquæ obſervantiæ Regularis*; in tres partes diſtributum, & à R. P. Patritio à S. Jacobo, ejuſdem Ordinis, in Provincia Alemanniæ inferioris, profeſſo Sacerdote compoſitum, juſſu Reverendiſſimi Patris Magiſtri, *Andreæ Lao*, ejuſdem Ordinis Procuratoris, & Vicarii Generalis, ea, quâ par eſt, diligentia & accuratæ conſiderationis oculo legi, nec tamen quidquam reperi, quod vel orthodoxam fidem vel morum ſanctimoniam offendat, vel à veritate hiſtoriæ declinet; quin potiùs dictæ Seraphicæ Virginis ſanctitatem & virtutes Legentium animis, eâ Styli elegantiâ & energiâ inſtillet, ut pariter ad eas imitandas, ſtimulos haud vulgares addat; ac proinde eum, non ſolùm ſine periculo, ſed & cum ingenti Lectorum utilitate, ad majorem Seraphicæ hujus virginis gloriam edi poſſe cenſeo. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Almo Conventu S. MARIÆ Transpontinæ, die 1. Iulii Anno 1669.

Fr. Jacobus Emans, SS. Theologiæ Magiſter pro Germaniæ, utriusq; Belgii, & Poloniæ Provinciis Aſſiſtens Generalis Carmelitarum &c.

Digitized by Google

UT morem gererem Reverendiſſimo Patri Hyacintho Libello Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro, vitam Seraphicæ Virginis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, à P. F. Patritio à S. Iacobo Ordinis Carmelitarum ſcriptam, perlegi, nihilque in ea reperi orthodoxæ fidei & chriſtianis moribus diſſentaneum; quin multa adverti Documenta, tum ad orthodoxam fidem, tum ad Evangelicam perfectionem confirmandam conducentia, & miro quodam modo, ſenſus pietatis eximiè inſtillantia. Unde exiſtimarem digniſſimum typis opus, ſi ita eidem Reverendiſſimo videtur. Ex domo profeſſa Societatis Ieſu, Romæ 27. Iunii, Anno 1669.

P. Joſephus Fotius Societatis Jeſu.

imprimatur

Fr. Hyacintus Libellus Magiſter Sac. Pal. Apoſtol.

FR. Georgius à Regina Angelorum Ordinis Fratrum Beatiſſimæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo per Allemanniam inferiorem humilis Prior Provincialis.

Viſâ facultate Reverendiſſimi Patris Matthæi Orlandi Sacri Ordinis noſtri Prioris Generalis nec non Viſitatoris & Commiſſarii Apoſtolici pro noſtra quoque parte, ut vita Sanctæ ac Seraphicæ Virginis noſtræ Mariæ Magdalenæ de Pazzis latinè per R. P. Patritium à S. Iacobo Ordinis ac Provinciæ noſtræ Theologum compoſita, & à RR. PP. Henrico à Monte Carmelo Priore Francofurtenſi ac Provinciæ noſtræ Definitore, & Ioanne Niderwiltz SS. Theologiæ in alma Univerſitate Colonienſi Doctore juſſu noſtro reviſa & approbata typis evulgetur, libenter permittimus, Authorem paternè requirentes, ut alia ſimilia pro Dei gloriâ, Sanctorum cultu, atque Ordinis noſtri decore meditari non omittat. In fidem &c. Datum in Carmelo noſtro Colonienſi in Feſto S. Georgii Martyris Anno 1670.

Fr. Georgius à Regina Angelorum
Provincialis qui ſupra.
Fr. Angelus Eſch Aſſiſtens Adm. R. P.
Provincialis.

Ex

Digitized by Google

EX commiſſione Admodum Reverendi P. Provincialis vitam Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzi, Ordinis Carmelitarum magnâ cum aviditate ego infraſcriptus perlegi, & ſanè non aliam, quàm Author lectoris oculis objicit contemplandam, reperi, vivam, nimirùm Divini amoris phœnicem, quam unum idemque ſeculum in terris infantulam, in cœlis domeſticam, in Eccleſiâ militante advenam, in triumphante per frequentiſſimas extaſes & raptus hoſpitem obſtupuit & civem. Ut igitur poſteri inſpiciant & faciant ſecundùm exemplar, quod illis in monte monſtratum eſt, prælo & luce digniſſimam cenſeo. Dabam Francofurti 16. Auguſti 1670.

Fr. Henricus à monte Carmelo Carmelique Francofurtenſis p. t. Prior.

LIbrum præſentem, in quo vita Seraphicæ Virginis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Florentinæ, Ordinis Carmelitarum antiquæ obſervantiæ Regularis, vivis coloribus depingitur, à Rev. P. Patritio à S. Iacobo ſtylo eleganti conſcriptum, ex mandato Adm. R. P. Georgii à Regina Angelorum Provincialis noſtri, magna animi mei ſatisfactione relegi; in quo, cum nihil à ſana, & orthodoxa fide alienum, aut moribus Chriſtianis contrarium repererim; quin potius pleraque in eo contenta, ad ſuccendendas in cordibus piorum lectorum divini amoris flammas utiliſſima, & efficaciſſima deprehenderim; digniſſimum eum exiſtimo, qui, lucem non vulgarem pluribus perfectionis præſertim Religioſæ puritatem ſectantibus allaturus, luci publicæ exponatur.

Fr. Joannes Niderwuiltz SS. Theol. Magiſter. Ordinis Carmelitarum.

Dabam Coloniæ in Conventu Carmelitarum 23. Aprilis anno 1670.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

REdivivam in Opuſculo præſenti contemplabere, benevole Lector, divini amoris phœnicem, *Mariam Magdalenam de Pazzis*, quam unum idemq́; ſæculum in terris infantulam, in Cœlis domeſticam, in Eccleſia militante advenam, in triumphante hoſpitem obſtupuit & civem; domeſticam & civem à morte, hoſpitem in vita per frequentiſſimas extaſes, & raptus: verius dixerim, cœli incolam, ante & poſt mortem, cujus vita continuus raptus; cujus exilium, jugis extitit in cœleſtium illecebrarum cellariis conſtanter fota ebrietas; cujus viventis actio, perpetua fuit quies in divini amoris amplexibus. Vitam Seraphicæ Virginis varii, temporibus locisq́; variis, divulgarunt typi; Italus, Germanus, Hiſpanus, Belgicus, Gallicus, Polonus, Anglicus; & ſi qui fortè alii, nunquam Latinus, niſi unum compendium 13. capitum compilatum à R. A. P. *Leone Carmelita Rhedonenſi*, in tomo 3. ſtudii ſapientiæ univerſalis, parte 3. & aliud infra citandum.

Ardentibus itaque plurium ſuffragaturus votis, & Superiorum pariturus mandatis, hanc Seraphicæ Virginis in idiomate latino concinnavi vitam, ut angelicæ ſanctitatis prodigium tantò divulgetur & innoteſcat univerſalius, quantò facundia Latia & in Urbe & in Orbe dominatur principalior: in tres libros digeſſi Opuſculum; primus vitam & mortem, ſecundus virtutes, tertius gratias gratis datas, miracula, Beatificationem & Canonizationé recenſebit Sanctæ & Seraphicæ Virginis; cujus vel ſoli Latinis, Italisq́; typis editi prodière in folio, raptus ac extaſes, quas, piæ venerabilisq́; memoriæ, *Ioannes Baptiſta de Lezana*, ſingulare ordinis noſtri decus, doctiſſimis illuſtravit notis, in ſuo, de S. Mariæ Magdalenæ vita, hiſpanicè conſcripto volumine. Illis equidem & ego anhelum Lectoris palatum oblectare ſtatueram, ſed pertinaciter obſtitit, potenterq́; diſſuaſit & præſentis opuſculi exiguitas, & iſtius materiæ ſublimitas; nullam itaque eorum ingeram mentionem, præter exilem in Libro ſecundo, juxta argumenti exigentiam. Pauca aliqua verbotenus deſumpſi ex libro, cui titulus: *Congregatione ſacrorum rituum &c.* edito, Romæ Anno. 1668. & ex alio intitulato: *Compendium vitæ &c. M. M. de Pazzis, ex Secretaria congregationis ſacrorum rituum.* Romæ 1669. ſingula *c9.* aſteriſcis annotavi, non quaſi gloriabundus de rapina, ſed ut ſcoriam meam à puriſſimo ſecernerem auro Eloquentiæ Romanæ. Labo-

Digitized by Google

borem igitur æqui bonique conſulens, inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt; in S. inquam Maria Magdalena, monte pingui, & coagulato; pingui per cœleſtium illecebrarum fœcunditatem coagulato per virtutum omnium congeriem; monte, *in quo beneplacitum fuit Deo habitare in terris, in quo Dominus habitabit in finem.* Nec quia exile eſt, Opuſculum contemnendum putes; quoniam

Æſtimat ut pretio ſapiens, non pondere gemmas;
Sic opus & libros utilitate probat.

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

De ortu, vita ſæculari & Religioſa, nec non de morte ipſius.

Cap. I. De ejus ortu, infantia, & ætâte ſæculari.

II. De S. Virginis in Religionem ingreſſu, novitiatu, profeſſione.

III. De exercitio ſpirituali, quod Deo offerebat quotidiè, totique Curiæ Cœleſti.

IV. De præparatione Spiritus, & animi, quâ ſe ad principaliores Sanctorum Feſtivitates, præſertim autem Pentecoſtes ſolemnitatem, præparabat.

V. De iis, quæ à profeſſione uſq; ad lacum leonum contigerunt.

VI. De tentationibus, anguſtiis, pœnis, quas ad ſolidum quinquennium toleravit.

VII. De aliis ejuſdem Lacus Leonum tentationibus, & preſſuris diabolicis, quas in hoc quinquennio perpeſſa eſt.

VIII. De gratiis, & deliciis ſpiritualibus, quas in dicto lacu leonum experta eſt cœlitus.

IX. Extrahitur ex lacu leonum.

X. De methodo vitæ ejus, quam ab ingreſſu in lacum leonum uſque in mortem ſervavit.

XI. Tyrunculis præficitur, cum inſigni earum utilitate.

XII. Qua ſollicitudine educarit Tyrunculas & novitias; quidque fecerit, dum aliqua earum aut religioſam veſtem aſſumptura, aut vota eſſet emiſſura.

Digitized by Google

XIII. Qualiter Tyrunculas & novitias, in divini & mutui amoris, nec non in orationis tramite direxerit.

XIV. Quantam Tyrunculas docuerit, omnibus in operibus intentionis puritatem, item cum Deo, & Superioribus unionem, præſertim in deſolationibus & preſſuris.

XV. Quantam ab iisdem exegerit religioſæ paupertatis obſervantiam.

XVI. Quomodo novitias exercuerit in humilitate.

XVII. Continens 15. per M. M. aſſignata perfectionis religioſæ documenta, ſenasque omni religioſæ animæ neceſſarias virtutes.

XIIX. Qualiter novitias probarit in obedientia, & propriæ voluntatis abnegatione.

XIX. Qualiter animos ad religioſæ perfectionis apicem traduxerit, & uniuscujusque penetrarit indolem & ſecretiora cordis.

XX. Primo triennio evoluto reeligitur; graviter infirma, vigorem continuat pœnitentiæ, ſana officium reordítur Magiſtræ novitiarum.

XXI. Cognoſcit in raptu, ſe uſque ad mortem, infirmitates corporis & deſolationes ſpiritus paſſuram, eligitur in Prioriſſam; ægra, quotidie miſſam audit, & communicat.

XXII. Morbi ſævitiem patientiſſimè ſuffert.

XXIII. Semper ſuo invigilans muneri, torquetur crudelius, & tandem ſacramentum recipit extremæ unctionis.

XXIV. Adhortatur ſorores, munitur viatico, ex obedientia mortem differt deſolata ſanctè moritur in feria ſexta, & ſepelitur devotiſſimè.

LIBER SECVNDVS.

De Virtutibus.

Cap. I. Quanti æſtimarit ſtatum religioſum, & vota religioſa, eorumq; renovationem. Item de quibusdam religioſæ vitæ documentis, quæ accepit à Chriſto.

II. De obedientia.

III. De paupertate.

IV. De virginitate, & caſtitate,

V. De humilitate.

VI. De

Digitized by Google

Cap. VI. De conſcientiæ puritate.
VII. De ſilentio.
VIII. De jejunio, & abſtinentia.
IX. De mortificatione ſenſuum exteriorum.
X. De pœnitentiis, & mortificationibus.
XI. De fortitudine, patientia, & manſuetudine.
XII. De amore Dei, & Ieſu Chriſti ſponſi ejus.
XIII. De amore, & charitate erga proximum.
XIV. De Unione animæ ejus cum Deo.
XV. Quantam poſſederit ſuæ unionem voluntatis cum divina.
XVI. Quanta devotione, efficacia, & Conſtantia, orationibus, officiis divinis horisq; canonicis vacarit.
XVII. De contemplatione.
XVIII. De devotione.

SECTIO PRIMA.

De Devotione erga S. S. Trinitatem.

Sec. 2. De devotione erga Sacramentum Euchariſtiæ.
Sec. 3. De ea, quam erga paſſionem Chriſti habuit, devotione, quæq; circa eam obtinuerit privilegia.
Sec. 4. De devotione erga alia principaliora fidei noſtræ, vitæq; Chriſti myſteria.
Sec. 5. De devotione erga B. V. Mariam.
Sec. 6. De devotione erga ſanctos Angelos, & diverſos alios Sanctos; item de gratiis & favoribus, quos ab iis accepit.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

De gratiis gratis datis, miraculis, nec non de Beatificatione & Canonizatione.

Cap. I. Spiritu Prophetico plurima prædicit futura.
II. Qualiter res procul diſſitas & abſentes cognoverit.
III. De gratia ſanitatum, quam præſtitit in vita.
IV. Gratiam ſanitatum impertiuntur flores, virginei corporis attactu ſacri.
V. Gratiam ſanitatum, veſtes, veſtiumque particulæ Sæ: Virginis multiplicant.
VI. Gratiam ſanitatum velum exhibet S. Virginis.
VII. Gratiam ſanitatum conferunt imago, crux, calantica, cingulum, linteum, manutergium, faſcia, & pulvinus S. M. Magdalenæ.
VIII. Gratiam ſanitatum afferunt Reliquiæ S. Virginis.
IX. Sola in Mariam Magdalenam pietas, & vota S. Virgini nuncupata, gratiam ſanitatum cauſant.
X. Gratiæ ſanitatum oleum infundit S. Virginis.
XI. Gratiam ſanitatum oleum lampadis conciliat, pendulæ ante ſepulchrum S. Virginis.
XII. Diverſa alia miracula S. Virginis, quæ & in vita, & poſt vitam patravit.
XIII. De perenni incorruptione corporis S. Mariæ Magdalenæ narratione verbotenus extractâ è proceſſu Florentino Mirac. 1.
XIV. De perenni fragrantia, & odore ſuaviſſimo, manante è corpore & veſtibus S. M. Magdalenæ.
XV. De Beatificatione S. M. Magdalenæ.
XVI. De ſolemni ejuſdem Canonizatione.
Tres Bullæ Urbani VIII. pro Beatificatione, veneratione, & cultu S. M. Magdalenæ.

BREVIS

Digitized by Google

BREVIS RELATIO

Quorundam miraculorum, meritis & Interceſſione S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZI, poſt ſolemnem ejus Canonizationem, patratorum.

Documenta & Monita,

Quæ S. Maria Magdalena de Pazzi, diverſis dedit Religioſis dum vixit.

Cap. I. De dignitate, æſtimatione & gratitudine vocationis religioſæ.
II. De amore & obſervantia erga matrem noſtram religionem.
III. De regulæ & conſtitutionum obſervantia.
IV. De deſiderio & zelo obſervantiæ, nec non de ſimplicitate ac perfectione religioſa.
V. Qualiter novellæ in Religione plantæ ſint irrigandæ.
VI. De horrore mundi, & qualiter ad crates ſit converſandum.
VII. De obedientia.
VIII. De paupertate.
IX. De caſtitate.
X. De tribus votis.
XI. De operibus ſpiritualibus & cultu divino.
XII. De officio divino.
XIII. De oratione.
XIV. De examine conſcientiæ & confeſſione.
XV. De ſanctiſſima communione.

Cap. XVI. De charitate & dilectione fraterna.
XVII. De converſatione.
XVIII. De verbis & ſilentio.
XIX. De operibus.
XX. De officiis Religionis.
XXI. De horrore culpæ.
XXII. De timore lapſus, de memoria mortis & judicii
XXIII. De cauſis teporis & auferendis obſtaculis, quæ perfectionem impediunt & unionem cum Deo.
XXIV. De cordis cuſtodia.
XXV. De mediis vincendi paſſiones.
XXVI. Qualiter in rebus, ſenſui noſtro contrariis, nos gerere debeamus; quæq; Deus à nobis exigat in tentationibus.
XXVII. Qualiter ſolidum in virtutibus jaciendum ſit fundamentum, & vincendæ difficultates in divino ſervitio.
XXVIII. De mortificatione.
XXIX. Qualiter in humiliatione, mortificatione & repræhenſione nos gerere debeamus.
XXX. De humilitate.
XXXI. De manſuetudine & pace ſecundùm Deum.
XXXII. De paſſione & patientia.
XXXIII. De intentionis puritate.
XXXIV. Qualiter quærenda & practicanda ſit Dei voluntas.
XXXV. De præſentia Dei.
XXXVI. De negotiatione & unione cum Deo in qvotidianis exercitiis.
XXXVII. De imitatione verbi.
XXXVIII. De zelo ſalutis animarum.
XXXIX. De amore Dei.
XL. De 3. monitis, quæ S. Maria Magd. dedit omnibus ante mortem ſuam.
XLI. Utiliſſima quædam puncta, quæ Dominus exigit à religioſis; item gratiæ, impertiendæ obſervantibus ea, ex quodam S. V. raptu deprompta.
XLII. Puncta 4. quæ à Religioſis requirit Dominus.
XLIII. Alia 4. puncta, quæ pariter à religioſis exigit Dominus.
XLIV. Tri-

Digitized by Google

XLIV. Trina alia puncta &c.

XLV. Petitiones 5. quas a 5. in particulari religioſis ſuis expediri voluit Magdalena, ita ut unâ earum diſcedente, mox alia mortuæ ſuccederet in pietatis officio.

XLVI. Novem annihilationis actus, quos S. ipſamet frequentavit qvotidie.

XLVII. Forma profeſſionis, quam S. M. Magd. novitiis ſuis præſcripſit.

XLVIII. Monita 5. quæ S. Mater dedit cuidam novitiæ.

XLIX. Reſponſum, quod dedit Confeſſario ſuo, dubitanti, an ſuperioratum acceptaret.

ODE ISOLECTA

In Honorem S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

Dum celebrare tuas meditamur Magdala laudes,
　Urget amor fari, conticuiſſe timor.
Hic vetat, ille jubet; dextras hic armat & ille,
　Viribus innixus pugnat uterq; ſuis.
Tot tibi ſunt reſonæ præconia debita laudis,
　Ut dignè poſſit promere nemo tua.
Hinc timor adverſis & amor conatibus angit;
　Bell'iger hic ſtimulat, degener ille gravat.
Inſultat ſtrepero timor importunus amori,
　Feſſa timoris alit prælia fortis amor.
Hic arcum quatit, ille quatit; jaculantur; amoris
　Tela timor, vitat tela timoris amor.
Si taceo, ipſa tuas eructat terra polusq;
　Laudes; ſi titulos eloquor, arcto tuos.
Ut tibi magnanimi tandem celebrentur honores,
　Victus uterq; fuit, victor uterq; fuit.

Feſtivus Apollo.

AUguſtam celebrent æthera Magdalam,
Amentem ſtupeat terra viraginem;
Qualem floriſrago proxima Nazareth
Carmelo nova protulit.
Fauſtis attoniti clauſa repagulis
Accreſcens gremii,non uterum gravat
Matris,nec minimo nata ſuam premit
Mentem pondere criminis.
Nunquam ſpurcivomis preſſa vaporibus,
Obvertit Veneri mortua lumina:
Miram de tumulo,pulveris inſcia
Spirant membra fragrantiam.
Ardoris ſuperi victima,plurimas
Quæ vivens animas à ſtyge fervidis
Salvaſti precibus; nos tibi ſupplices
Cœlorum inſere cœtibus.
Ducens artifices in tenebris acus,
A nobis animi pelle caliginem:
Noſtrum rumpe gelu,quæ rigido tuos
Æſtus flumine temperas.
Chriſti ſacra ferens ſtigmata,putrida
Noſtrarum vacues vulnera mentium:
Jeſu ſponſa,tui præſidiaria
Audi vota clientuli.

Epigrammata Sacra,

Quæ, inter alia, Seraphicæ Virginis Canonizationem ſolemnizans, Venetus cecinit Carmelus.

Aditura Cœnobium ſic loquitur.

TÆdia mundus habet; quid adhuc inimica ſalutis,
Vana ſequor? Linquam. Tædia mundus habet.

Quid

Digitized by Google

Quid gemmæ, niſi inane decus? quid jaſpide noſtrum
Syrma tumet? Linquam. Tædia mundus habet.
Ite proci, ite joci, mundique faceſcite pompæ:
Vos ne adamem? linquam. Tædia mundus habet.
Siſte gradum; patrios cur jam pertæſa penates
Septa petis? Linquam. Tædia mundus habet.
O Factum ſapiens: nam dum terrena triumphas,
Divitias cœlo congeris ore, manu.

Quando cor à Deo accipit.

UNus erat Chriſtus, fecit ſe Magdala Chriſtum,
Ingenioſus amor; jam ſumus ergo pares.
Faſciculum Myrrhæ porto, tu Magdala portas
Faſciculum Myrrhæ: jam ſumus ergo pares.
Magdala cum videas me ſpinea ſerta gerentem,
Spinea ſerta geris: jam ſumus ergo pares.
Quæ defixa meum lacerarunt ſtigmata corpus,
Ipſa tuum lacerant: jam ſumus ergo pares.
Quid mihi jam ſupereſt? Tu cor mihi Sponſa dediſti
En tibi cor dono: Iam ſumus ergo pares.

Aliud in ejus Laudem.

PRô ſtupor! ô quantis dignata es Magdala donis,
Iure tibi nullum dicimus eſſe parem.
Par tibi Franciſcus, Virgo cum ſtigmata cerno;
Dum video ſpinas, par Catharina tibi.
Par tibi Bernardus (fateor) dum ferre triumphas
Faſciculum myrrhæ: ſed tibi major honos;
Num dum ſola tenes, quæ ſunt diffuſa per omnes,
Munera: tu cunctis par, tibi nullus erit:
Quid mirum tantis ſi fulges Magdala donis?
Sponſi corda tenens, omnia Sponſa tenet.

Digitized by Google

EUTERPE CHRONOLOGICA

Principaliorem

S. MARIÆ MAGD. de PAZZI,

recenſens vitæ mortisq; ſeriem.

pVro faVſta Dabat pazzaM fLorentIa partV;
Annus nativit. Lætare mater florida.
e MVnDo pVgnaX, VeſtItVr reLIgIoſa:
An. inveſtition. Styx, ſeculum, caro vale.
eXanIMI DIVes zeLo, trIa Vota VoVebat:
An. profeſſion. Carmelus exultans jubilat.
JVssV nIXa DeI, sVbIt antra ferIna LeonVM;
An. ingreſſus in lacum leonum. Victrix laceſcit tartara.
qVIno fiXa MaDet pretIosI VVLnere IesV;
An. impreſſionis ſtigmatum. Optans pati, non emori.
Hoc capit anellum, cor, ſpinas Magdalis anno,
Et plura Sponſi munera.
VIrgIneVs VeLo DeMensVs ab æthere VerteX:
Velo operta per B. V. Donum Maria contulit.
Æthereas sVbIIt seMoto Corpore ſeDes,
Annus mortis. Innixa DileCto ſuo.
VIrgo per VrbanVM tV DeCLarare sVperna,
Annus beatificationis. Urgentibus miraculis.
sVb CLeMente nono, sVperIs fVIt aDsIta faſtIs,
An. Canonizat. Ad Imperatoris preces.

VITÆ

Digitized by Google

VITÆ
S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZI.
LIBER PRIMUS
De ortu, vita ſæculari, & religioſa, nec non de morte ipſius.

CAPUT I.
De ejus ortu, infantia, & ætate ſæculari.

DUm annus ageretur à partu virgineo MDLXVI. dieſque Aprilis altera, felici S. M. Magdalenæ partu Florentiam, *Camilli de Pazzis & Mariæ Bondelmontiæ* vivificavit fœcunditas, quos anno 1559. admiranda ſtemmatis & virtutis deſponſarat æqualitas. In Baptiſmate infans, cœleſti diſponente providentiâ, Catharinæ nomen ſortita eſt, utpote S. Catharinæ Senenſis, vel ab ipſis faſciis ad tumulum uſque futura cultrix: quæque uterum maternum, concepta, nunquam gravarat, eadem nata omnem matris in educando & nutriendo ſollicitudinem conſtanti naturæ modeſtiâ, obedientiæ promptitudine, & tanta indolis lenitate recompenſabat, ut dubitaretur, ſi in ſollicitudine foret zeloſior mater, an in gratitudine liberalior infans; cui volupe erat, primum uſus rationis diluculum meridianis illuſtrare virtutum radiis. §. 1.

Nata baptizatur.

Futuræ indicii ſanctitatis.

2. Innocentis corpuſculi venuſtatem vigor dilatabat ingenii, ab omnibus adeo alienus jocis, ludis, crepundiis, ut, quas nulla Catharinæ ætas pueriles unquam vel leviter contigerat nuces, eaſdem verbo, & exemplo ſuo, in aliis ad ſe adventantibus pueris,

Digitized by Google

Unicè dedita ſpiritualibus.

tàm ſuaviter quàm efficaciter diſſiparet. Angelicæ puritatis obtutu ineſcabat omnes, aſt ipſamet Religioſarum, cœleſtiumque rerum auceps, devotarum duntaxat perſonarum ambiebat, frequentabatq; conſortia, ut ſpiritualibus animæ epulis, impotentem perpetim augmentaret ætatem, in colloquiis, & ſermonibus divinis tam individua matris ſuæ comes, ut ab ejuſdem, ſimilibus exercitiis vacantis, latere Catharinam ſola divelleret obedientia, quâ impletâ, famelici inſtar catelli, cœleſtem verbi divini panem inſatiabiliter deguſtatura, ad matrem pernix recurrebat, ſponſo infans ſupplicare docta: *quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te & deoſculer te? Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ?*

Cant. 8. v. 1. 2.

Sæculi odium.

, 3. In ea cum corpore crevit ſpirituale donum, & fortiſſimo
, divini amoris vinculo ultra captum ætatis aſtricta ferè ab incuna-
, bulis, quaſi jam mundo nuntium miſiſſet, quodcunq; genus ſeri-
, carum veſtium abhorrebat, & illas, in lachrymas profuſa, in ſinum
, genitricis rejiciebat; mediocres vix ferre poſſe videbatur, & vilio-
, res hilaris induebat, quaſi jam illud apprimè intelligeret: *vince*
, *veſtem, quæ virgo es; vince aurum, quæ carnem vincis, & ſæculum, nec*
, *monilium aut veſtium quære ornamenta, ſed morum.* Integra flevit
, die, patris imperio coacta molliorem veſtem induere, è domo e-
, greſſura; Ita ætatis præjudicium ſupergreſſa, creſcebat, confor-
, tabatur ſpiritu, itaque nec illi adhuc rationis uſus erat, cum jenta-
, culum, matutinis & pomeridianis horis à domeſticis acceptum, in
, pauperes erogabat, futuræ quidem ſanctitatis inſigne præſagium.

Miſericordia.

4. Moleſtam orandi imperitiam in primo tenellæ ætatis crepuſculo ſolitudinis deliniebat illecebris. Cumq; vix legere didiciſſet, marianum aſſecuta officium, ſymbolum in eo legit S. Athanaſii, & licet verborum nullatenus attingeret ſignificationem, eveſtigio nihilominus, divino impellente ſpiritu, ad matrem accurrit, eique dictum ſymbolum cum inſolito animi jubilo, veluti pretioſiſſimum theſaurum conſignans, ut & ipſa legat, precatur, inſtat, urget. Imò tam delicati erat palati, ut à Religioſis, piisque perſonis, quoties hujusmodi conſortiis frui poſſet, cum matris omniumque aſtantium ſtupore, raras adeò & exquiſitas peteret cœleſtium deliciarum dapes, ut eas ſe nunquam guſtaſſe, imò & ignorare profiterentur animæ ſublimiores.

Orationis ſtudium.

5. Præ-

Digitized by Google

5. Præventa in benedictionibus dulcedinis, exſtimulante Spiritu ſancto, ſeptennis omni abſque magiſterio humano, ſuæ unionem animæ cum Deo, per librorum ſpiritualium lectionem, orationem mentalem & vocalem, Cœleſtium rerum contemplationem, aſſiduam paſſionis Chriſti, ad duas, tres, quatuorque horas, meditationem tam optato cœpit promovere ſucceſſu, ut nec diſtractionum turbines, nec ulla ſpiritus ariditas, orationis ſtudium læderent in minimo; jamque panis Euchariſtici didicerat eſſentiam, ſed teneræ ætatis remorâ ejusdem uſum procraſtinante, ſolum ſacratiſſimi illius cibi deguſtabat odorem à matre communicante, quamdiu materno in pectore ſpecies ſacramentales perſiſtebant incorruptæ, penitus inſeparabilis, quaſi gloriabunda: *ſub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi*: Voti itaque tandem compos effecta, annô ætatis decimo, plurimis cum lachrymis, ſuſpiriis, & ſingultibus, tenerrimi affectus indicibus, in feſto annunciationis B. M. Virginis, ſanctiſſimum recepit ſacramentum, cum tanta ſpiritualium deliciarum abundantia, ut poſtmodum ſuſpiraret toties, quot unam, & aliam inter communionem mediabant momenta, quaſi ingemiſcens identidem; *Dilectus meus mihi & ego illi, inter ubera mea commorabitur.*

Unio animæ cũ Deo.

Amor Euchariſtiæ.

Cant. 2. v. 3.

Cant. 1. v. 16.

, 6. Quoties illa peccatis hominum, Deum offendi cogitabat, in lacrymas inenarrabiles agebatur, quibus Divinam miſericordiam ad peccatorum veniam, & emendationem provocabat. Interim ruri degens, viles puellas, quaſi Tyrunculas ſibi aſſumptas, Chriſtianæ Legis præceptis imbuebat; domiq; ſingulis feſtis, ruſticanam turbam in unum congregans, Orationem dominicam, ſalutationem Angelicam, fidei ſymbolum illi exponebat, atq; ut turba eadem libentius conflueret, plerumque illis ſudariola & gremialia, aſſentiente matre, donabat. Ruri proinde libenter morabatur, civitatem invita, nec ſine lachrymis repetebat.

Charitas proximi.

7. Tantus in tenellulis membris paſſionum pro Chriſto ſufferendarum æſtuabat ardor, ut quaſcunque pœnitentias, diſciplinas, cilicia, catenas, corporis reputaret delicias; nocturnæ ſuper nudam humum indultura quieti, pungentem capiti ſuo coronam circumdabat, imprimebat, infigebat, erubeſcens ſubſpinoſo capite, ſe membrum contineri delicatum. Viliſſima familiæ miniſteria tanto ambiebat affectu, ut faſtum reputarit, niſi ipſoſmet domeſti-

Pœnitentia.

Humilitas.

Digitized by Google

cos ſervos, & ancillas prævenıret obſequiis, favorem rata, ſi quid
Sobrietas. ei imperioſè præciperetur à mancipio. Ejuș in cibo, potuque ſobrietas ſeveræ titulum meretur abſtinentiæ; ſiquidem, niſi matris obſtitiſſet vigilantia, nimia filiam confeciſſet parſimonia; cibis, dum fieri poterat, clam erogatis in pauperes, quos orationem dominicam, & Symbolum Apoſtolicum edocebat.

8. Immaculatum virginei pudoris florem tutari certa, Anno MDLXXVI. in die Jovis ſancto, dum incarnatæ ſapientiæ æternæ holocauſtum diſcuteret penitius, decennis votum emiſit vir-
Caſtitas. ginitatis perpetuæ, cor, cogitationes, affectus, omneſq; potentias, & vires ſuas cœleſti conſecrans ſponſo, qui contractum ratificaturus, dilectæ digitum pretioſiſſimo exornavit annulo; quo tempore cor ejus tanto divini amoris incendio exardeſcere cœpit, ut in ſyncopes, & deliquia aliquando prolapſa, exclamaret: *Filiæ Jeruſalem, nuncietis dilecto meo, quia amore langueo.*
Cant. 2. v. 5.

9. Interim Anno MDLXXX. à magno Hetruriæ Duce, Cortonam avocatus Camillus Pater, totam ſecum familiam viarum credidit periculis præter Catharinam, quem cœleſtem theſaurum ne perderet in publico, occulere ſtatuit in monaſterio S. Joannis:
Virtutũ Studium. ad Cœnobium, ſæculi pertæſa convolavit filia, cum pacto, ut ad minus omnibus diebus feſtivis communicandi ſibi daretur facultas. Dudum itaque optato potita ſeceſſu, totam ſe orationibus dedit, edocta *ſemper orare, & nunquam deficere*; nocturnas horas quan-
Luc. 18. v. 1. doque frequentandi ægrè obtinuerat licentiam, ad quas dum accedere prohiberetur, cœleſtibus in cellula noctem illuminabat contemplationibus, ut & de obedientia meritum, & de vigilia reportaret præmium. Verborum tenaciſſima nil noverat eructare, niſi verbum bonum ad ædificationem, mirificè infirmarum ſororum viſitatione oblectabatur, nil omittens, quod ſolatium afferre poſſet; nulli non à fomentis, conſtantique ſervitio; ita ut apud ſorores proverbium foret, Catharinæ tres in Cœnobio duntaxat conſtare vias, ſcilicet ad Cameram, Chorum & infirmariam; ſuperioris juſſu, à charitatis exercitiis ſæpè ſæpius avulſa, ſemper parebat promptior, edocta obedientiam præſtare victimis.

10. Tantus in Catharina coruſcantium virtutum ſplendor animas illexerat ſororum omnium, ut ſingulæ eam veluti virtutum exemplar cœperint admirari, venerari, amplexari, communi-

bus

Digitized by Google

13

bus efflagitantes votis, ut ſacro illius profeſſionis inſtituto ſe devoveret; ſed vix Cortonâ redux, ſuũ pater popoſcit, extorſit, domumq; abduxit depoſitum, filiam mortali deſtinans connubio, quam annulo ſuo ſponſus ſubarrharat immortalis: aſt vanis in vanum recidentibus parentum inſtantijs & ſollicitudinibus, ſapiens virago corruptibilis thalami circumvenit ambitum, & obſervantiſſimum S. Mariæ de Angelis, Ordinis Carmelitarum, monaſterium ingredi ſtatuit, quod præ omnibus maturo conſilio ſibi deſignandum duxit, propter quotidianum ſanctiſſimi ſacramenti uſum, quem apud dicti Ordinis ſanctimoniales didicerat vigere. *vid. L.* 2. *c.* 4. §. 2. Eligit ordinẽ Carme. & quare.

Caput II.

De S. Virginis in Religionem ingreſſu, novitiatu, profeſſione.

1. Diſſipatis itaque carnalium nuptiarum tendiculis, cum decimum ſextum ageret ætatis annum, 8. Decembris, die immaculatæ conceptioni Virginis Mariæ ſacro, ad dictũ S. Mariæ de Angelis cœnobium accurrit *ſimilis capreæ, hinnuloque cervorum, ſuper montes Bether* divisionis mundanæ; habitum poſtulans ſororum Virginis glorioſæ de monte Carmelo, quẽ die 30. menſis ſequentis, poſt varia virtutum ſpecimina, omnibus ſororibus, non tam gaudẽtibus, quã urgentib⁹, cum incredibili ſpiritus iubilo ſuſcepit, ſuo impoſterum certa placere ſponſo, *in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus*; quæq; Religionis ædificium moliebatur ſublime, profundiſſima humilitatis fundamẽta jecit, dum peccatrix audire & ab omnibus haberi geſtiens, Catharinæ nomen in Mariæ Magdalenæ tranſmutari petijt & impetravit; deinceps nuncupata, & à nobis nuncupanda: Soror Maria Magdalena. Cant. 2. v. 17. Eundem ingreditur. Pſal. 44. v. 15.

2. Dum brevitati conſulo, ineffabilem libens præteribo jubilum, quo immenſus novellæ Amazonis repletus fuit animus, exultans ut Gigas ad currendam viam conſiliorum Dei; ſilebo ferventiſſimi ſpiritus tripudia, dum mundi primitus calcavit diſcrimina: Id memoraſſe ſuffecerit, quòd in eodem quo habitum ſanctum aſſumpſit, die & hora, ardore ſui ſpiritus, & divini amoris incendio, quo æſtuabat interius, omnium propemodum circumſtantium inflammavit medullas, qui calor per plures à profeſſione dies in tantum efferbuit, animaſque omnium ſororum ſuccendit, ut nul-

Digitized by Google

Gen 21. v. 10. ut nulla dubitarit, cęleſtis vi metamorphoſeos in Seraphim transformari incendia, Magdalenæ pręcordia, quæ *crevit & morata eſt in ſolitudine, factaq́; eſt juvenis ſagittaria*; ſiquidem quot eloqui verba, tot vibrare jacula videbatur amoris divini, quib⁹ corda ſauciabat omniū, ut paſſim virginales novellarum mentes ferventiſſimi cœperint flagrare Amoris Divini, & Religioſæ profeſſionis ardore.

Gal. 6. v. 14. 3. Vix aſſumpto habitu, Confeſſarius virgineis manibus crucifixū conſignarat, quando cantantibus monialibus: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*: Tyruncula, tenerrima abſorberi cœpit unione cum Jeſu Sponſo ſuo, tantâque exundare ſpiritus dulcedine, ut omnis ſæcularis immemor commodi, ſanctè ſtatuerit, nullo unquam impoſterum momento divelli à Jeſu, exultabunda cum Sponſo: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*; Cant. 1. v. 13. *Lava eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cant. 8. v. 3. Converſa quædam ignorans Neophytam, quæ jam habitum aſſumpſerat Religionis, ſancto flagrabat deſiderio cognoſcendi novitiam, moxq; votis ſaffragata eſt Magdalenæ ſanctitas, quam lumine cœleſti circumfuſam, atque optatiſſimam infantis Jeſu; mirum in modum S. Virgini adblandientis præſentia ſtipatam vidit, & obſtupuit.

Chriſtus illi cernitur adblandiri.

Quanti fecerit Religionem.

4. Parietibus oſcula figebat, quibus à ſæcularium rerum contagio, & à ſenſuum illecebris ſe cuſtodiendam eſſe ſperabat. A primo in Religionem die introitus, nunquam ad crates ferreas accedere viſa eſt, niſi præcepto ſuperioris coacta, Crates, inquiens, monalium forum & plateas eſſe; Oderat proinde parentum & conſanguineorū colloquia, ſed virorum præſertim, gnara, quòd virginum eſt trepidare, viri ingreſſus pavere & ad omnes viri afflatus vereri. Præſertim autem pridie inveſtitionis, ut ineffabile religioſæ vocationis beneficium ſpiritus penetraret recollectior, directricem ſuam ſupplex obteſtata eſt, ne parentibus, aut Amicis, quam ſaluti ſuæ, complacendi ſtudioſior, ſe, illo præſertim die, ad crates compelleret; ſanctiſſimis vix aſſenſerat votis ſuperior, quando diverſorum ſubitò ſæcularium cùm pietas, tum curioſitas alloquium expetiit Magdalenæ ad crates, alijs ſolatia præſtolantibus, munuſcula afferentibus alijs; ſed ne minimum quidem donariolum oculo dignata prudens virguncula, per magiſtram ſuam reſpondit omnibus, nefas eſſe, hujuſmodi pervigilium ad crates inaniter dilapidari.

Solitudinis amor.

5. Sæculum

5. Sæculum deſeruerat Magdalena, non ſæculum Magdalenam; quando materni amoris vanitas umbram filiæ ſuæ à penicillo emendicare non erubuit, cuius corporalem vidua deplorare cogebatur abſentiam. Acceſſit itaque ex condicto ad Cœnobium Pictor, cui nomen erat *ſanti di Tito*; factæ inter Prioriſſam & matrem Carnalem conventionis ignara, citatur, comparet, nunciumque intelligit Tyruncula, quæ mox in uberrimos profuſa gemitus, negavit ſe unquam aſſenſuram; quia *exivi, inquiebat, è mundo, non reditura; nec amplius in iſtis compariturà pannis.* Donec tandem confeſſarij & ſuperioris præcepto adacta, paruit, pluresque inter pingendum lachrymarum profudit imbres, quàm Pictor duceret lineamenta, ingemiſcens identidem: *ergone tam vilis creatura, tantilla terra, & pulveris, qualis ego ſum, memoria oportet ſuperſit in mundo.*

Sæculi horror.

S. converſatio M. M.

6. Vix Religioſam induta veſtem, obedientiæ magiſtram agere cœpit; ipſâmet magiſtrâ novitiarum, ſorore *Victoria Contugi* aliquoties proteſtante, Mariam Magdalenam ſibi potius à Deo conſtitutam in magiſtram, quàm in novitiam. Singulis Sabbatis ex proximæ Dominicæ Evangelio, meditationum per hebdomadam integram, uberrima deſumebat argumenta; vixque pauci tranſierant dies, quando Religioſæ eius profeſsionis ſplendor, & ſanctitatis fulgor oculos perſtringere, animos illicere cœpit omnium, præterquam Magdalenæ proprios, quæ quantò perfectionis culmen ſcanderet, ſublimius, vinceret auguſtius, tanto ſemper rebat humilius; nullius præterquam ſuos noverat defect⁹, omnium excuſans culpas, ſuas etiam incuſabat perfectiones; ſemper vultu iucunda, læta, nullo alterabilis accidente, omni major fortuna, ſingularum victima gloriabatur voluntatis. Communibus novitiarum ordinibus, & functionibus tantò parebat promptior, quantò ſtrictiores humilitatis & mortificationis urgebant leges; modeſtam ſemper frontem obumbrabat tranquillitas, intellectum lucida ſublimabat acies ingenij, linguam dirigebat admiranda de cœleſtibus facundia, ſæpè ſæpiùs Scripturæ ſacræ ſententias, vel Sanctorum dicta, facta, adagia eructantem, quamvis S. Virgo nullam Latino idiomati, aut Litteris ſacris dediſſet operam.

Scientia

7. Tantus virtutum omnium Mariam Magdalenam obumbrabat fulgor, ut, quotquot monaſterium inviſendi, aut veſtem Religioſam induendi motivo accederent puellæ ſæculares, vix viſâ, quam

S. Converſationis efficacia.

Digitized by Google

quam viderant nunquam, Magdalenâ, quibusdam quaſi radijs ſeſe repleri autumarent, individuum porro S. Virginis affectantes conſortium. Demum abſolutiſsimum virtutum omnium exemplar, breviſsimo tempore effecta, dum exactiſsimæ Regulæ, & conſtitutionum monaſticarum obſervantiæ vacaret, reliquis meruit magiſtra fieri novitijs, quæ eius præſentiam ambiebant certatim, quibus ſingulis aut lac, aut eſcam noverat impertire ſapientiſſima diſpenſatrix. Aliquando à monialibus interrogata, qualiter in Cœnobio converſandum foret, & Religioſæ perfectionis apex facile cõſcendi poſſet, reſpondere ſolebat: *Religioſæ perfectionis culmen faciliter attingit, qui eo ſpiritu ſemper vivit, quem prima ingreſſus die concepit.*

Humilitas & charitas proximi.

8. Alienis Sororum oneribus gravari affectabat, ut hæ tranſitoriarum exemptæ moleſtiarum compedibus, divina myſteria contemplarentur commodius, & in cœleſtium chariſmatum affluentia deliciarentur uberius. Pannos & linteamina à novitijs Laicis elui
, debita, proprijs ipſa manibus lavabat quotidie, quantum per-
, miſiſſet obedientia; noctes plerumque traducebat inſomnes, ut ſo-
, rorum miniſteria impleret, ipſæque unà ſecum dies tranſigerent
, in exercitationibus ſanctis. Et ſi aliquando repugnantem immi-
, nens oppreſsiſſet ſomnus, miro pudore ſuffundebatur, quòd tan-
, tam animi Libertatem, modicæ carnis terminus coerceret; in il-
, lam proinde ſæviens, tenue corpuſculum flagellis cruentabat,
, moxque opus reſumebat; & ne defeſſa in aſsiduo labore interdum
, depræhenderetur, ægritudinem occultabat.

Charitas in Deum.

9. Has, aliaſque virgineis in medullis gliſcentes diverſarum
, virtutum ſcintillas, mirum in modum inquietus ſuccendebat divi-
, ni amoris ardor, quo ſæpius quidem, præſertim autem, ad omni-
, um ſtuporem Anno 1582. menſe Decembri, dum adhuc novitiam
, ageret, ita exæſtuare cœpit, ut per clauſtra diſcurrens, exclama-
, rit: *O Amor! O Amor! non bene natus, non bene redamatus, tot iniuriis af-*
, fectus, O quàm paucà pectora te norunt, ego pectus meum exhibeo, veni
, ad cor meum, veni, ut fovearis. Itaque tali ferebatur impetu, ut
, clauſtra mira corporis agilitate percurreret, veſtes dilaceraret,
, &, quidquid manibus offerebatur, procul abigeret; Mox ſibi
, reddita, uri magis inhians, dicere ſolebat, quòd ſi blaſphemijs
, locus eſſet immunis, nec abhorruiſſet ignem inferni, modò ibi
, ſanctum nomen ejus non blaſphemaretur,

Nec

Digitized by Google

10. Necdum Novitiatus tranſierat unus, quando ſeptem Tyrunculis profeſſionem emiſſuris, aſſociari petijt Magdalena, ſed prece irrita; Dolori itaque graviſſimo unica mederi poterat ſuperiorum ſponſio, promittentium, eam anno elapſo deſideratis confeſtim potituram votis, conditionem acceptavit virgo, ſed ſpem fefellit eventus, quando in anni termino, aliarum quoque noviriarum profeſſionem juſſa fuit præſtolari. Decreto paruit humillimè cum dicto prophetico: *Invitis votis, ſola ego profeſſionem emittam.* Veritatem aſſerti tragicus docuit ſucceſſus, quando vix uno inde elapſo menſe, febris ardores, tuſſis vehementia, diverſorumq; aliorum dolorum implacabilis Tyrañis Virginem ſanctam in ultimum præcipitarunt vitæ diſcrimen, ab omnibus deſperatam, depoſitamq; Medicis, quapropter ſuperiores religioſam milenis S. Virginis votis expetitam, profeſſionem, priusquam exſpiraret ab infirma accelerandam decreverunt, quam lectulo affixa Magdalena, inq; eo ex infirmaria ad Eccleſiam deportata, ante ſanctiſſimæ Virginis Mariæ altare, in omnium præſentia monialium, in Feſto S. S. Trinitatis 22. Maji Anno 1584. cũ in imaginabili pietatis ardore, atq; effuſiſſima lachrymarum copia emiſit. Factâ profeſſione in infirmatorium reducta ad quietem, indilatè à ſenſibus alienata, diviniſq; innatans contemplationibus, miraculoſo dotatur integerrimæ ſanitatis beneficio, ita ut ſorores, poſt horæ circiter ſpatium, eam reinviſentes, non languentem, non pallidam, non emaciatam, ſed optatiſſimâ repererint fruentem quiete. Color illi jam vividus ſucceſſerat, & purpureus vult⁹, Solis inſtar coruſcans, oculis in Chriſti crucem moroſè defixis; ita ut modò ab omnibus Seraphino crederetur longè ſimilior, quàm antea agonizans, jam jam morituræ. Totq; fuêre hujus teſtes extaſeos, quot præſentes pro tempore conventus numerabat moniales; eumque favorem indulſit dilectæ ſuæ ſponſus cœleſtis, ad totos quadraginta dies, veluti ſingulari erga Magdalenam privilegio amoris, ſupra ſanctos alios, quibus dona hujuſmodi non obtingunt, niſi tranſitoria, ſingulis enim diebus quadraginta continuis ab eo tempore, manè poſt ſacram ſynaxim rapta extra ſe, patiebatur divina.

Profeſſionis deſiderium.

Prophetia.

Morbⁱ inſperatus.

Profeſſio.

Admiranda mutatio & extaſis.

11. Miraculoſam à Profeſſione ſolemni, ſanitatem adepta, ſuperioribus eam à Tyrocinii loco ſequeſtrare parantibus, ut divinis contemplationibus ſpiritus indulgeret liberior; Magdalena injuriam rata, quam alii quandoque gratiam extorquent, humillime ſuppli-

Profeſſa noviriis reaſſociari petit.

Digitized by Google

ſupplicavit, inſtitit, impetravit, Tyrunculis reaſſociari ut ſub diſciplina directricis exactius diſceret propriæ voluntatis abnegare dominium, tumulare arbitrium, dicens: *Opus enim mihi eſt, præ cæteris erudiri in diſciplina regulari, admoneri de meis peccatis, & in omnibus aſceticis impenſius exerceri*, juniorum cœtui reſtituta, una plus omnibus in perfectiſſima conſtitutionum obſervantia, manualium exercitiorum frequentia, divinorum obſequiorum conſtantia, deſudare Maria, ſuos quoſcunque labores & ſudores ſuave nimis æſtimans jugum.

Caput III.

De exercitio ſpirituali, quod Deo offerebat quotidie, totique Curiæ Cæleſti.

1. ARdenti amoris divini, religioſæ perfectionis virtutumque ſublimium omnium ſuccenſa zelo, exercitium ſpirituale induſtria propria compoſuit & deſcripſit Virgo ſanctiſſima, quod divinæ quotidiè Majeſtati, cum ineffabili affectus fervore litabat, cujus excellentiam præſtantiamque conſiderans, illud in ea, qua ipſum S. Virgo verborum ſimplicitate exaravit, exaratumque poſteritati conſignavit, ego maximi intuitu ſpiritualis ex eodem eruendi ſubſidii atque emolumenti, Lectori exhibendum duxi, ut ſequitur.

Salutatio ad S. S. Trinitat.

2. Mane evigilans, frontem & pectus triplici munies crucis ſigno, dicens: *Benedicta ſit ſancta & individua Trinitas*, poſtea facto conſcientiæ tuæ examine, ſanguinem offeres Verbi, deinde ad ſanctiſſimam converſa Trinitatem, Patrem adorabis æternum, ipſum DEUM confitendo, totiusque fontem Deitatis, inque hujus confesſionis confirmationem, tuum illi ſanguinem offeres & vitam, Similiter æternum Verbum, divinumque Spiritum adorans, utramque perſonam enixè rogabis, ut ſuam in te voluntatem adimpleant. Inde ſacram incarnati Filii humanitatem reverita, nexum utriusque naturæ indiſſolubilem confiteberis; tuum parata pro hac veritate & confesſione profundere ſanguinem. Poſt hæc unitatem venerata ſanctisſimæ Triados, maxima qua poteris reverentia, tuam cum omni posſibili animi puritate, affectuſque ſimplicitate renovabis profesſionem, ſpondens

Digitized by Google

ſpondens exactiſſimam regulæ & conſtitutionum tuarum obſervantiam ; Hinc te in holocauſtum & perfectam oblationem ſanctisſimæ Triadi offeres totaliter , omnes totius vitæ tuæ cogitationes , intentiones , verba , & opera , tàm interiora , quàm exteriora , divinæ unitura puritati , Deum obſecrans , ut in te ſuum illud adimpleat beneplacitum , quo te creavit , perque ſanctam ad religionis ſtatum, vocationem recreavit.

3. Exinde in temetipſam reflexa , tuam cognoſces nihilitatem , moxque ſublatâ in Deum mente , de infinitis ejus gaudebis perfectionibus , utpote qui ſolus inſcrutabilis ſit , neque ab ulla intelligi , aut capi posſit creaturarum ; exultans , quòd omnes Cœli terræque eum glorificent , laudent , deprædicent ; quòdque totus creaturarum conatus nihil conferat , nihil præſtet , in comparationem ad infinitam ejus excellentiam & Majeſtatem , quodque ipſe Deus ſit , qui eſt. Exinde ſummum contemplata bonum , per ſe ipſum infinito dignum amore , eâ ipſum deſiderabis proſequi amoris perfectione , quæ in omnibus eminet beatis ; & cum qua ipſum amant , amarunt , inque æternum amaturæ ſunt cunctæ creaturæ cum Beatis omnibus ; omnem illam concupiſces perfectionem divinam , quâ ſe ipſum amat , amavit , & in æternum amabit ; divinæ gratias actura Majeſtati , quòd amoris ſui perfectione , noſtrum ſuppleat , quod ad amandam eam habemus , debitum.

4. Iterum ſanctisſimam humiliter adorans Trinitatem , omnes illi offeres divinas ſuas perfectiones , deinde perfectionem, plenitudinem gratiæ & merita verbi incarnati , ſanctisſimæ Mariæ Virginis, omnium Beatorum atque Electorum , optans enixè , omnes ſubire pasſiones , & obire functiones, quas ſubiêre & obiêre, inque æternum ſubibunt & obibunt omnes creaturæ, ad Dei gloriam ac honorem : deſiderabis inſuper, ut omni vitæ tuæ tempore, in hac autem principaliter die, eâ exaltatione, laude , magnificentiâ, & honore ſanctisſimam afficere posſis Triadem , quâ ipſam omnes ſimul afficiunt Creaturæ & Beati , quâque ſe ipſam , per proprii amoris actum ſublimat ; Iterum ſanctisſimam adorabis Trinitatem cum omni posſibili intenſiſſimi amoris actu , divinæ gratias agens Majeſtati de bono , quod ipſa posſidet ,

tibique in eodem complacens & gaudens: hocq; modo eidem gratias referes pro gloria, quâ humanitatem verbi, Virginem Mariam, omnesque Beatos, nec non Electos exornavit, exornabitq; in perpetuum; ita pariter illi gratias ages pro omnibus beneficiis, gratiis & communicationibus, unquam ab eadem conceſſis, atq; in æternum concedendis; Item pro tui ad ejus imaginem & ſimilitudinem creatione, per unigeniti filii ſanguinem redemptione & deſponſatione, quâ tuam ſibi conſecrat animam, tibique indies ſe ipſum, omnes gratias & communicationes impertitur copioſiſſimè; De his & ſimilibus gratiis, donisque gaudebis, non quia te ipſam iis locupletatam conſpicis, ſed quia illorum virtus majus tibi confert ad divina ſervitia & præconia, robur atque fortitudinem; ideoque verbum incarnatum & ſanguinem ejuſdem æterno offeres Patri, in Euchariſticum tot, tantarumque miſericordiarum holocauſtum.

5. Exinde fervorem indues ſpiritus, unionem affectans cum amabiliſſimo Deo, cujus tantam cognoviſti & cognoſcis excellentiam atque immenſitatem; certâ vivâque credens fide, ipſum per ſuam infinitam potentiam, & liberalitatem poſſe & velle creaturæ uniri, ideoque in tui ipſius te nihilum rediges, tuam agnoſcendo vilitatem; poſtea ad æternum converſa Patrem, eum rogabis, ut ſuum tibi divinum donet verbum, quod ubi obtinueris, te tuo includet cordi, ibique te in illa collocabit relaxationis unione, quam
Math. 6. v. 10. idem verbum obiit in cruce, quando exſpiravit cum dicto: *fiat voluntas tua*; in unione reſignationis, quam Salvator fecit in horto; tum Patrem rogabis, ut tibi, inque te æternam ſuam confirmet voluntatem, tanquam in filia; exinde à Verbo amorem petes, te illi offerens in ſponſam; & tandem à Spiritu ſancto humilitatem poſtulabis, te illi offerendo in diſcipulam.

6. His peractis, verbum teque ipſam in verbo, cum omnibus divinis ejus perfectionibus, anima, humanitate, cogitationibus, verbo, & operibus; Item cum faſciculo myrrhæ paſſionis, nec non pretioſo ſanguine ejus offeres Patri æterno in divino cordis verbi templo, in oblationum, ab eodem verbo, in terris exiſtente paſſibili, factarum unione; eamque oblationem pro tota perages triumphante & militante Eccleſia, hanc deſiderans afferre hoſtiam, cum omni poſſibili creati amoris affectu; quia autem Pater æternus in hujuſmodi victima ſingulariter ſibi complacet, tu pariter in eadem

eadem requieſces complacentia & ſatisfactione ; irrefragabiliter ſibi proponens, verbum cum cruce ſequi uſque ad mortem ; Inde coram Deo, ſponſo, & Magiſtro tuo, ſequentes inſtitues proteſtationes.

1. Proteſtor, me altiſſimam electuram humilitatem.

2. Me adoraturam & confeſſuram S. S. Trinitatis unitatem pro iis, qui eam non adorant.

3. Me omnibus in rebus ſemper exaltaturam paupertatem.

4. Me ſuper omnes, afflictis & deſolutis patrocinaturam.

5. Me omnia, tàm inferiora quàm exteriora opera in Chriſti plagis ædificaturam.

6. Me imperfectionum futuram refugium, quotquot in habitaculo committuntur Mariæ.

7. Me à mundo & me ipſa, quantum cœlum diſtat à terra, elongandam.

8. Me in contemptu & confuſione, quemadmodum Deus in ſeipſo gaudet, gaviſuram.

9. De exiſtentia Dei & paupertate ſpiritus lætaturam, extremasque potius ſubituram anguſtias, quàm vel in minimo proximum impediam, quo minus Deo fruatur.

10. Omnes cum Deo me deploraturam offenſas, quotquot unquam contra divinam admiſſæ ſunt Majeſtatem.

7. Hoc Deum inter & te terminato exercitio, virginem invices ſanctisſimam, debitam ei exhibitura adorationem, eam obſecrans, ut tu Mater, filia & ſponſa Dei ſimul efficiaris cum illa; mater per conformitatem, tuæque cum divina voluntatis uniformitatem; filia per amorem purisſimum, charitatem intenſisſimam; ſponſa per fidelitatem, atque omnium integerrimam promiſſorum te factorum aut faciendorum exhibitionem. Tum magnæ illi matri totum ſuum offeres, quod monaſterium eſt, habitaculum; eam obſecratura, ut ipſum tantâ cuſtodiat amoris ſollicitudine, quantâ verbum incarnatum & ſuam propriam protexit puritatem ac virginitatem; Preceſque in hæc concludes vota: *Spondeo tibi o Mater puriſſima, o Mater amantiſſima, me potius inferni pœnas electuram, quàm zelo carere obſervantiæ & obſervationis, tàm in me, quàm in toto habitaculo tuo, ſcilicet in omnibus filiabus tuis, præſentibus & futuris, finemq; dabit Trina ſalutationis angelicæ ſalutatio.* Pietas in B. V. M.

8. Poſtea

In Angelum Cuſt. 8. Poſtea tuo te offeres Angelo cuſtodi, ejus imploratura opem & ſubſidium perpetuum, ſub hac ſequenti formula: *Voveo ô Angele tutelaris, me omnibus illis obtemperaturam, quæ mihi per te inſpiraverit Deus meus.*

In alios ſanctos 9. Deinde omnibus tuis Patronis, totiq; cœleſti Jeruſalem hanc facies proteſtationem: *Promitto vobis, omnes Sancti Sanctæq; Dei, me religioſiſſimum veſtris ſolemnitatibus & reliquiis cultum exhibituram, præcipuè autem veras ſanctasq; virtutes veſtras ſanctâ veneraturam imitatione.*

In 9. choros Angelorum. 10. Novem Angelorum choris ſequens pariter quotidie litabat reverentiæ & ſervitutis obſequium, miris redundans humiliationis propriæ exercitiis, quod in raptu excepit, quo ſubjungo, tenore verborum; ipſaq; ſancta Virgo angelicæ hyerarchiæ conſecravit, per dies ſingulos, ut omnes ſibi à Domino obtineret in gradu heroico virtutes.

11. Primò chorum adibis ſanctorum Angelorum, eos obſecratura, ut ſanctiſſimæ Trinitatis throno ſanguinem offerant Verbi divini, veram ſpiritus humilitatem petes ab iis; Tu verò anima mea adeo te humiliabis, ut te, propter ſuperbiam & ingratitudinem tuam dæmonibus reputes ſimillimam; Secundò, chorum adibis Archangelorum, eos deprecatura ut ſupra; tuque anima altiſſimam ſitiens puritatem, eorum petes integritatem, teq; in tantum humiliabis, ut te virginitatis laureolâ & puro DEI ſervitio reputes indignam.

12. Tertiò chorum inviſes Principatuum, eos rogatura, ut Patri æterno ſanguinem offerant Verbi incarnati; deinde perfectiſſimam eorum efflagitabis obedientiam & ſubjectionem, quâ divinæ voluntati, omnibusque creaturis te ſubſternas, amore Creatoris, conaberisque, eam attingere humilitatis perfectionem, ut te indignam cognoſcas, cui ullum unquam imponatur obedientiæ præceptum, aut quæ numero adſcribaris verorum obedientium.

13. Quartò ad chorum te conferes Poteſtatum, eas rogatura, ut ſanguinem offerant Verbi incarnati; quemadmodum ſupra, tuque anima mea ſenſualium tuorum appetituum effecta mancipium, gratiam petes ad quemcunque tuum refrænandum ſenſualem appetitum, inque hujus virtute humiliationis, adeo te exinanire conaberis, ut te indignam reputes, quæ ſanctum hoc incolas cœnobium,

Digitized by Google

·ium , laudesque tuas cum reliquis unias ſponſarum Jeſu : imò in
antam deſcendes, teque demerges humilitatis profunditatem , ut
quæcunq; injurioſa & opprobrioſa verba, aure excipias voluntariâ
& perquam lubenti.

14. Quintò, ad chorum accedes virtutum, eas rogatura , ut
ſupra; Tuq; anima mea omnibus privata virtutibus, earum poſtulabis
n bonis operibus , firmitatem , ſtabilitatem & conſtantiam; te-
que omni gratiâ , dono cœleſti , charitatis in proximum obſe-
quiis , & bonorum, quæ omnes in terris poſſident credentes, par-
icipio reputabis indignam.

15. Sextò Chorum adibis Dominationum, ſupradictam inſti-
utura ſupplicam; tuque anima mea perfectum earundem, cujuſque
nternæ paſſionis, terrenique affectus poſtulans dominium; teipſam
humiliabis, indignam te reputans, paupertatis ſpiritus, & cujuſcunq;
alterius virtutis poſſeſſione.

16. Septimò ad Thronos recurres, qui te amantiſſimis ſiſtent
Verbi incarnati amplexibus; tuq; anima mea, adeo te abjicies, ut te
ndignam reputes, quemadmodum in veritate es, unione illâ, quam
oties cum ſponſo tuo , medium cordis tui tanto cum affectu
deſiderante , frequentas per ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacra-
nentum.

17. Octavò Chorum adibis Cherubinorum, ipſique purisſimis
te offerent amoroſi Verbi incarnati obtutibus ; tuque anima mea
humiliationum tuarum inſiſtes exercitiis , lucem ab iis poſtulans,
ri cujus divinam in te ipſa voluntatem cognoſcas & gratias , quas
omni momento tibi impertitur Dominus ; quantumque exiliter
u iiſdem correſpondeas; omni te indignam rata lumine , cœleſti
nſpiratione , & divinæ miſericordiæ conſervatione ; quinimo di-
gnisſimam , quæ à Deo derelicta, in tenebris tuis contabeſcas &
erroribus.

18. Nonò ad chorum appropiabis Seraphinorum , ut te dul-
ciſſimo , pientisſimo , atque amoroſisſimo Verbi incarnati offe-
rant cordi; tuque anima mea , eorum petens divini amoris pu-
ritatem , utq; in iis ardeas charitatis flammis, quibus ipſi flagrant æ-
ternaliter, tuum proſequeris exercitium , indignam te reputatura,
quam in hanc uſque horam conſervavit, toleravitq; Deus, cujus te-
pidita ti & acediæ ardores debebantur inferni ; hujuſmodi igitur
vilitatis

vilitatis atque exinanitionis tuæ immerſa centro, propter ingratitudinem tuam te omnium arbitraberis creaturarum indigniſſimam curâ, providentia, & amore Dei, quibus omnes fovet creaturas; te itaque ipſam deteſtans, tanquam creaturam omnium maximè abominabilem & flagitioſam, per puriſſimos hoſce ſpiritus gratiam petes, ut cum Iſaia purgeris & munderis; quin imò ut in terris per tribulationum flammas purificata, ab omni libereris, quorumcunque defectuum tuorum rubigine, neque puriſſimo impoſterum ullatenus indigna exiſtas amore.

Caput IV.

De præparatione Spiritus & Animi, quâ ſe ad principaliores Sanctorum feſtivitates, præſertim autem Pentecoſtes ſolemnitatem præparabat.

1. QUotidiana præter pietatis aſſignata exercitia, alia callebat menſtrua & hebdomodalia, S. Virginis devotio, quæ octo decemve diebus, ſolemniores anni feſtivitates, tam Chriſti Domini, quàm B. Virginis, aliorumque Sanctorum immediatè præcedentibus, frequentare conſueverat, ut ad nuptias agni vocata,
Pſal. 44 v. 15. cum ſodalibus compareret in *aureis* charitatis *fimbriis*, *circumamicta* bonorum operum, virtutumqne *varietatibus.* Plura equidem occurrunt hujusmodi in Seraphicæ noſtræ vita, aſt illud facilè ſupereminet reliquis, quod aliquando in refectorio, inter actualem refectionem à ſenſibus alienata, didicit in raptu, quando ſcilicet in ipſa glorioſæ Chriſti Jeſu in cœlum aſcenſionis ſolemnitate, qualiter ſe ad inſtans Pentecoſtes feſtum diſponeret quàm ſanctiſſimè, conſiderans, in verba prorupit ſequentia.

2. Quod ego conſtruam cœnaculum? quales ego tàm internas, quàm externas obibo functiones? qualem in paucis diebus iſtis frequentabo mentis elevationem? Cœnaculum ſublimia quærit; Cœnaculum itaque meum, verbi divini latus erit, cui immorabor per amoris unionem: quis meus cibus, quis potus ſpiritualis erit? delicias ſingulis deſtinavi dentibus; magnarum & humillimarum operationum à verbo incarnato peractarum in terris conſiderationem. Potus meus tuus erit, è ſacratis manibus, pedibusque promanans, ſanguis; aliquando etiam uberrimum inviſam venerandi capitis tui fontem, tot, tantisq; exundantem canalibus.

3. O Ver-

3. O Verbum amantiſſimum, 33. annis vixiſti nobiſcum, atq; ego diem inter & noctem, triginta tres exercebo annihilationis actus; atq; hæc una erit operationum internarum.

4. Octavo à Nativitate die, ſanguinem profudiſti; atque ego pariter unumquemque diem inter & noctem conſcientiæ meæ examen inſtituam vicibus octo; niſi enim examinis rigor à ſuis animam purgaverit defectibus, nunquam apta erit, quæ ſuum pro te effundat ſanguinem, ſeque ipſam tibi in victimam offerat martyrii; unicuiq; autem conſcientiæ examini renovationem annectam religioſorum votorum.

5. Diebus 40. diverſatus es in terris poſt mortem; ego pariter diem inter & noctem, vicibus 40. meam ad te elevabo mentem.

Annis ſeptem Ægyptum incoluiſti, ego pariter infra uniuscuiusque diei noctisq; ſpatium, vicibus ſeptem tibi offeram omnes, in peccati tenebris contabeſcentes.

6. Poſt 40. à Nativitate dies in templo offerri voluiſti; ego pariter unumquemq; diem inter & noctem, vicibus 40. me in voluntatis tuæ offeram beneplacitum.

Nutrimentum meum ſpirituale, quotidiana erit ſanctiſſimæ paſſionis tuæ meditatio, nec non ardentis illius, quo incarnari voluiſti, meditatio amoris; item humilitatis, quacum degiſti in terris, necnon manſuetudinis, quâcum doctrinæ tuæ ſemen ſparſiſti; & tandem lætitiæ, quâ Chananæam, & Samaritanam exaudiſti; quæ non rogantes, à te, ut poſtularent gratiam, invitatæ fuère. Illa inſuper meditabor verba: *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit*; *cibus meus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei*; *diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* *Math. 17. v. 5. Ioan. 4. v. 34. Math. 11. v. 29.*

7. Duodecim annis tuam occultaſti ſapientiam; duodecim ego pariter exercebo internos erga proximum amoris actus; & decem humilitatis pariter internos; ô quæ horum actuum internorum, & tàm intellectus quàm voluntatis favebunt occaſiones!

8. Septies Chriſtus meus, dum crucem bajularet, caput ſuum inclinavit; atque ego pariter ſanctiſſimum vicibus ſeptem adorabo altaris ſacramentum pro omnibus illis, qui ipſum non adorant.

Digitized by Google

9. Trinâ vice, ſpecialem Virgini ſanctiſſimæ, tanquam matri & ſingulari omnium Religioſarum animarum protectrici, exhibebo laudem, in præſentiſſimi iſtius memoriam ſubſidij, quo ad inviolabilem trium Religioſarum votorum concurrit obſervantiam.

10. Quot mihi per vires licuerint charitatis in proximum obſequia, cum omni poſſibili frequentabo amore, animique exultatione; meorum indefeſſam agam ſenſuum cuſtodem; ne autem ſingularitatis arguar, debitas in omnibus ſemper obſervabo horas, tempora & modos.

11. Tribus quotidie vicibus, dignitatem vocationis Religioſæ, ſororibus meis ob oculos ponam, aliquibus in ejus commendationem adductis encomijs; ſemperque ejusdem ego ipſamet memor vivere conabor.

12. Quoties afflictis ſubveniendi aut ſolatia, tam interiora, quàm exteriora, iis præbendi fuerit occaſio, volabo promptiſſimè, tandemque uniuſcujuſque functionis meæ epilogus, continuus erit charitatis actus, & conſtans cordis cuſtodia.

13. Porro quàm conſtanti cultu & oſervantiâ hiſce omnibus vacarit, invigilaritque ſanctæ præparationis medijs, evidens nobis & irrefragabile perhibet teſtimonium, vitæ ejus ſanctitas, quæ toties ſanctum Spiritum hoſpitio cordis excipere meruit viſibiliter.

Caput V.

De iis quæ à profeſſione uſque ad lacum Leonum contigerunt.

1. SUperiores vix eliminatæ memores infirmitatis, redivivas Magdalenæ vires, quantò frequentioribus æternæ charitatis adminiculis ſuffulcire ſatagerent, tantò uberiores illa inveſtigabat, & inveniebat patiendi occaſiones, faſcem ambiens, non faſciculum Myrrhæ, occulto cujusdam illi inſervientis beneficio Laicæ, cujus admiranda ſimplicitas, ſuperioribus inſcijs, inexſtinguibilem Magdalenæ patiendi ſitim, multoties refocillabat, modò amaram propinando potionem, modo inſulſos ex condicto præparando cibos, modò pauperibus erogando, Mariæ Magdalenæ refectionem, modò alia ad S. Virginis nutum rariſſima offerendo diver-

Morti fi[illegible]tio. S, M.

diverſarum paſſionum ſpecimina, qui indomitus Sanctæ mortificationis æſtus tanta ſubitò in Magdalena incrementa cœpit, ut, quoad vixit, ſancta quadam atque omnibus incognita dexteritate finxerit, ea ſe maximè ambire, quæ unice faſtidiebat, ea ſe unicè faſtidire, quæ maximè ambiebat.

2. Profundam adeo humilitatis, atque abnegationis propriæ abyſſum divina bonitas, tam fulgidis, tamque conſtantibus replere dignata eſt, cœleſtium illuſtrationum fulgoribus, tantis ſupernaturalium illuminare notitiarum ſplendoribus, ut, quotquot Deus in reliquis ſanctis unquam diſperſit, in Maria Magdalena de Pazzi coadunaſſe videatur, divinorum chariſmatum radios. Beatam Matrem ſororem Mariam Bagneſi, ejusdem quondam Cœnobij ſuperiorem; in venuſtiſſimo Paradiſi throno, in virginitatis ſuæ prœmium ſublimatam vidit 11. Julij Anno 1584 viſionemque, quam occulere ſatagebat humilis, diſtinctè recenſuit obediens. Anno 1585. 21. Maij in amoroſiſſima extaſi; à Patre æterno præceptum accepit, in humanorum ſcelerum remiſſionem, iejunandi in pane & aqua, præterquam in diebus feſtivis, quibus ei quadrageſimalis parſimoniæ indulgebatur edulium: Ab hoc die uſque ad vigeſimum quintum ejuſdem Menſis, diverſas alias paſſa extaſes, tandem 27. Maij, conſenſum Patris Confeſſarij, & matris Prioriſſæ, ut ſingulari vivendi methodo Magdalena vacaret, prodigia extorsêre cœleſtia. Vigeſimo ſexto ejusdem Menſis, in raptu conſtitutæ Pater æternus diverſa alia Religioſarum functionum præſcripſit documenta. Eodem Anno extaſim inchoavit in vigilia Pentecoſtes, octo continuò diebus & noctibus, niſi quòd ad duas quotidie horas, ſenſibus reſtituta officiis ſacris, & corporalibus vitæ neceſſitatibus ſatisfaceret; In hac igitur extaſi, & de altisſimis diſcurrentem myſterijs audiêre, perque dies ſingulos Spiritum ſanctum ſub multiplici ignis, fluminis, columbæ, columnæ, nebulæ, venti, & ardentium linguarum forma, recipientem ſtupuêre ſorores.

Diverſi cæleſtes favores

recipit S. Spiritum in 7. formis.

3. His pluribuſque aliis inſolitis chariſmatibus dilectam ſuam Amor exornavit infinitus, utpote quam ad atrocisſimum cum dæmonibus ineundum præmuniebat conflictum, cui Lacum præpararat Leonum, privationem ſenſus, & ſuavitatis ſpiritualis

Digitized by Google

non tamen gratiæ; ſcilicet horribiles diabolicarum tentationum furias, quinquennio integro debacchaturas adverſus electam DEI ſponſam, ut divino conſpectui ſiſteretur purgatior. Agonem
Prædi- Sanctæ Virgini indicavit, prædixitque Dominus ſub titulo *Lacus*
ctio La- *Leonum* S. Spiritus infuſione pugilem præmuniens, atq; infallibilem
cus Le- ei ſpondens Reginæ Cœlorum, S. Auguſtini, S. Angeli Carmelitæ,
onum. S. Catharinæ Senenſis, ſanctorumque ejus aliorum Patronorum aſſiſtentiam, opem, tutelam.

4. Ipſe eam Pater æternus ita allocutus, exhortatusque fuit:
Cõfor- *Nil plane metuas filia chariſſima; viriliter age, & eſto robuſta in omni-*
tatur è *bus, mactè animo, nam ſi præceptis meis morem geſſeris, juxta meam,*
cœlo. *meiq; voluntatem unigeniti, qui abundè adeò ſeſe mortalibus indulget quotidie, erit mihi anima tua, ſedes & hortus delicioſiſſimus, ſicuti fuit hucuſque. Attamen, ut mihi tui amoris placeant affectus, fac illos ante omnia voluntarios, ſacrificium namq; cordis ab hominibus quæro.* Claſſicum expavit, contremuit, emarcuit infirma virgunculæ caro; In pugnam exarſit, conditionem acceptavit ſpiritus promp-
2.Cor. tus, cum dicto: *ſufficit mihi gratia tua, omnia poſſum in te, & in ex-*
v.12. *ceſſu mentis meæ, non movebor in æternum, nam etſi ambulavero in me-*
n.9. *dio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Nec mo-
Pſ.115.
v.11. ta; generoſæ Dominus Bellatrici ex omnipotentiæ ſuæ officina
Pſ.22. fortiſſimas atque impenetrabiles ſubminiſtravit armaturas, defen-
v.4. ſivas & offenſivas, cui glorioſiſſimam contra omnes inimicos deſtinarat victoriam. Paucis namque poſt diebus ante ingreſſum in la-
Vid l.2. cum Leonum, vicibus ternis à Verbo divino *electa* nuncupata, ab
c.1.§.13. eodem viginti alias regulas accepit ſibi inviolabiliter obſervandas: documenta excepit Magdalena, animamque tanto ſenſit divini amoris incendio æſtuare, ut fornace virginei pectuſculi ſuccenſa nimis, in ipſum quoque corpus nimios transfundente ardores, ſæpe ſæpius exclamarit extatica: *O Amor, ô amor, ô Domine mi, amoris ſatis eſt, ſatis eſt amoris IESV mi, nimius eſt tuus in creaturas amor.*

Gene- 5. Quis non ſpoponderit victoriam, ſiquidem vinci neſcit,
roſè qui omnia vincit amor? Hâc itaque impenetrabili divini amoris
certa- loricâ glorioſè præmunita, lacum ſubiit Leonum extatica Vir-
men go, vociferans: *Invito Cœlum & terram, & omnes habitatores ejus in*
ſubit cũ *auxilium mecum.* Neque plura fari licuit, quam in ipſo limine prout
dæmo-
ne.

ſequens

Digitized by Google

ſequens fuſius exhibebit capitulum, dæmoniorum propemodum exanimavit multitudo.

Variarum monſtra ferarum
Omnes Centauri in foribus, Scyllæq; biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac Bella Lernæ,
Horrendum ſtridens, flammisq; armata chimæra,
Gorgones, Harpiæq;, & forma tricorporis umbræ.

Caput VI.

De Tentationibus, anguſtijs, pœnis, quas ad ſolidum quinquennium toleravit.

1. Nil ſub Sole fixum, oriri Solem, & occidere, proprio didicit experimento Maria Magdalena, quam in humilitatis convallibus, *poſt greges ſodalium* vagabundam invenit, *qui tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret*; Maria Magdalena inquam, quæ dum *per vicos, & plateas*, per extraordinarias electorum ſemitas quæreret, quem diligebat anima ſua, in lacum incidit Leonum, in informe derelictionis chaos, decimo ſexto Junii, anno 1585. in Feſto S.S. Trinitatis, inter viſibiles & inviſibiles, interiores & exteriores infernalium ſpirituum tentationes, impetus, inſultus, *carbonibus* ad quinquennium *cocta deſolatorijs*, quorum tanta deſæviit in ſuggerendo copia, in infeſtando violentia, in fallendo ſubtilitas, ut totus quaſi infernus ſuas adverſum Magdalenam furias viſus fuerit evocaſſe. In tanto obſcuritatis antro *ſurrexit, ut peſſulum oſtij ſui aperiret dilecto ſuo, at ille declinaverat, atq; tranſierat; quæſivit, & non invenit illum; vocavit, & non reſpondit illi.*

Probatur develictio ne ſ. amor. *Cant. 1. v. 6.* *1. Pet. 5. v. 8.* *Cant. 3. v. 1.* *Cant. 5. v. 6. & 7.* *Cant. 3. v. 1.*

2. Primus inimici labor fuit, ſpiritualium conſolationum intercludere fluenta, ut dilectæ anima fieret, *ſicut terra ſine aqua*, ſponſo cœleſti: Optatus adverſario ſecundavit exitus, ſiquidem, quæ antea continuis irrigata fuerat cœleſtium deliciarum illecebris, ſubque gravi, tàm inferiorum quàm exteriorum conſolationum tempeſtate laborarat, confeſtim exaruit lapide ſiccior, inſenſibilior ſaxo; ad quas primò tripudians indefeſſé convolarat religioſæ vitæ functiones, exinde languidus faſtidire ſpiritus; Chorum, Refectorium, aliaque obedientiæ loca abhorrere, divina fugere ſacramenta. Ingemiſcebat, flebat, cruciabatur inter preſſuras innocentia, ſuæ imputans prævaricationi intolerabile deſolationis pondus, vixque præ

Pſ. 62. v. 1. Status ariditatis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſpiritus tribulatione, ſi tentationibus conſenſum, diſſenſumue præberet, diſcernens, exclamabat non raró: ***Heu mihi, colluvies facta ſum omnis iniquitatis, omnis cauſa mali & flagitij adverſus Deum comiſſi; neſcio, qualiter me Deus & homines tolerent ſuperſtitem.*** Anima mea velut Camera tenebreſcit, quæ caligine operta ſqualet, cujus meditullium, exile illuſtrat lumen lampadis, id eſt, ſincera Deum nunquam irritandi voluntas. ***Quo abijt dilectus tuus, O pulcherrima mulierum, quò declinavit dilectus tuus, & quæremus eum tecum; Dilectus poſuerat tenebras latibulum ſuum.***

Can. 5. v. 17. Pſ. 17. v. 12.

Interius graviter infeſtatur

3. Interiora dæmonum terriculamenta, quibus agitabatur frequentisſimè, omni morte ſibi amariora aſtruebat, ſed omni pœnâ pœnalis erat, tam diverſa, tamque abominabilia, tot hæreticorum, malorum Chriſtianorum, Judæorum infidelium: (præſertim autem prævaricatorum Religioſorum:) Deum irritantium flagitia contemplari.

Tentatur circa fidem,

4. Præcluſis ſupernarum dulcedinum fluentis, inimicus fidem Amazonis adorſus, Chriſtianæ vitæ baſin & fundamentum in eadem demoliri, penituſque evertere decrevit, identidem inculcans, ut omnem Dei (quem vel ipſa natura, cujuſque pectori inſculpſit) & alterius ab hac, vitæ negaret exiſtentiam: Quorſum igitur tot voluntariæ corporis afflictiones, tot orationes, tot voluntatis abnegationes? In tantis animi deliquijs, quæ palpitans vix reſpirabat, ſtatuit inviolabiliter, millen ſpatius vitam mutare cum mortibus, quàm vel minimo fidem maculare infidelitatis nævo, quodammodo proteſtans.

Etiamſi fractus illabatur orbis,
Impavidam ferient ruinæ.

& Auguſtiſſimum Altaris Sacramentum

4. In hac Regione mortis, vivificum eſurire cœpit Euchariſtiæ panem, quo ipſos etiam ſervos noverat abundare in domo Patris: adfuit protinus, non qui ei frangeret, ſed diſpergeret, & annullaret impoſtor infernalis, ſuggerens, mera eſſe figmenta, veritatem nullam, quæ circa ſanctiſſimum Altaris Sacramentum Catholica tradit Eccleſia, ut impetum retunderet virago, quotidianam Communionem ex obedientia ſibi imponi ſupplicavit, impetravit; quamque Sacrilegæ tentationis tempeſtatem nequiverat ſedare fidelis, diſſipauit obediens.

5. Quæ

Digitized by Google

5. Quæ fidem ſervaverat, ad blaſphemias contra Deum , & ſanctos importunè ſe compelli advertit, quos multoties etiam ſenſibiliter, tempore præſertim orationis, auribus ejus intonabat dæmonum impudentia. Fortiſſimum arietem , imperterritâ inſolitarum precum, hymnorum, laudumque divinarum euertit machina, replicare docta : *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* Hinc urgebatur, ut imagines ſacras illuderet, conſpueret, attereret; ſed clavum clavo pellere certa, frequentioribus ſolitò interioris & exterioris reverentiæ, cultuſque obſequijs, icones ſanctas demulcere cœpit Poſt feralem hanc pugnam, tantillæ avida quietis, ingemiſcere videbatur: *Revertere, ſimilis eſto dilecte mi Capreæ, hinnuloque cervorum.* Moxque in ſeipſam reverſa, concluſit: *Donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ, vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris.*

Blaſphemiæ tentationibus exagitatur, Pſ. 33. v. 2. Can. 2, v. 17. Can. 4. v. 6.

6. Poſtquam hoſtis fundamentum concutere nequierat, mœnia aggreſſus eſt ſtructuræ ſpiritualis, ſpem oppugnavit, Magdalenam in deſperationis barathrum præcipitaturus; qui ut confligeret felicior, vinceret ſecurior, ſterneret glorioſior, pavidos innocentis animæ motus, in totidem exacuit mucrones; Trepidabat illa, anceps de ſupernarum revelationum veritate; dictabat ipſe, nil niſi dæmonum eſſe illuſiones : Dubitabat illa de favorum, gratiarumque cœleſtium certitudine ; intonabat ipſe , diabolicas fuiſſe præſtigias : De rectitudine ſemitæ, per quam gradiebatur, ambigebat illa; ipſiſſimam hanc eſſe perditionis æternæque damnationis viam, replicabat ipſe, Religioſam proinde veſtem desereret, retro reſpiceret, ſæculum repeteret, ſuæ portum ſalutis; ſin minus, propriâ in ſe manu deſæviret carnifex. Patienter excepit, fortiter ſuſtinuit ictus virago, certa pati, neſcia vinci; anxia de pugna, certa de palma, B. Virginis Mariæ, S. Crucis, Sacramenti Euchariſtiæ & obedientiæ ſuffulta favoribus. Anno 1587. 19. Julij ad deſperationem concitata, violentas ſibi manus ut afferret, inſtigabatur. Quo ſtratagemate, jurati hoſtis impetum retudiſſe arbitramini Bellonam? Chorum in quo actualiter cum ſororibus reliquis divinum decantabat officium, deſerit, culinam ingreditur, cultrumque inde aſſumens, Altare Sanctisſimæ Virginis Mariæ conſcendit, eique, in uberrimas effuſa lachrymas, ut cultrum conſignavit, victoriam protinus reportavit.

deſperationis Anno 1588. S. Auguſt.

7. Tan-

Actus ſuperbiæ, 7. Tantam derelictionis caliginem lux aliqua alternatura videbatur, ſed Pater tenebrarum erat, in angelum lucis transformatus vanæq; gloriæ, mutatis jam clypeis, ei inanem gloriam, faſtum, ambitionem ſuadens, ut de gratiis cœleſtibus, donis ſupernaturalibus, chariſmatibus divinis ſuperbiret inſolens, præſumeret contumax; inſuper ut religionis exercitia tanquam abjecta nimis deſpiceret, obedientiam negligeret; regere, non dirigi nata, erudire docta, præeſſe apta, diſciplinæ indiga neutiquam. Multiplex impetus pugilem laſſavit, quæ vel ab unguiculis ad nutum didicerat volare parentum & ſuperiorum; vires proinde ſpiritus reſtaurandas duxit, ne vel teperet, vel deficeret in curſu, quas feliciter reintegravit multiplici votorum, obedientiæ præſertim, renovatione publica & privata, obedientiæ actibus exquiſitiſſimis, *ut jumentum facta* apud omnes, reputans in
Pſ. 39. v. 8. capite *Libri ſcriptum eſſe, ut faceret voluntatem* omnium, individua ſponſi comes, quocum in majorem ſuperbiſſimorum ſpirituum contemptum, gloriata fuiſſe videtur: *Ego autem ſum vermis & non*
Pſ. 21. v. 7. *homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Quotidianam refectiunculam variis mortificationum condiebat apparatibus, modò ab
Actus humilitatis ac mortificationis publici. omnibus, modò à ſingulis ſororibus in refectorio ſupplex errorum (quos humilis innocentia ſupponebat innumeros) poſtulando veniam, modò fune ad collum ſuſpenſo, obductis vitta oculis, manibuſque in dorſo religatis ſanctimonialium plantis ſe advolvendo, modò earum pedes exoſculando, modò propriâ aut alienâ manu, virgis & diſciplinis acerbiſſimis ſcapulas cruentando, modò edulium mucidi panis à ſororibus prandentibus emendicando. Neque ſilentio involverim, quantis eam, & ex induſtria ſuperiores, & ſuperiorum præcepto adactæ Virgines reliquæ, duris perſtrinxerint verbis, onerarint repræhenſionibus, laſſarint inſultationibus; quibus omnibus S. Virginis humilitas, centuplo gravioribus ſe dignam rata, nil replicare noverat, præterquam *Deo gratias*; & ſuos ipſa adaugere, plenoquè gutture eructare defectus, ne injuriam recepiſſe videretur ab ulla, quæ ſemper, & ubique tanquam infame peripſema, ab omnibus geſtiebat conculcari, convelli, atterri.

8. Aliquando Altaris cancellis alligari ſupplicavit, oculis velatis, manibuſque ad inſtar furis fortiter in dorſo conſtrictis, ut riſus fieret, ac fabula ſororum omnium; aliquando hoc in ſitu ſibi exprobari petiit ab omnibus tranſeuntibus: *Soror Maria Magdalena,*

Digitized by Google

ecce dignam propriŷ judiciŷ, & defectuum tuorum mercedem; humillimè Extaſi
ſupplicanti annuit obedientia, *Dominuſque reſpexit humilitatem ancil-* remu-
læ ſuæ, cui mox à glorioſiſſima victoria, in extaticum ſublimatæ neratı.
triumphum, præmia exhibuit, tam heroicis digna conatibus.

9. Indefeſſa S. Virginis frugalitate attenuari, iejunio emacerari dixiſſes adverſarium, qui *dum veſceretur voluptuosè, interiŷt in viŷs; dum nutriretur in croceis, amplexatus eſt ſtercora*; quibus ut & virginei ſtomachi fundum coinquinaret, illius tum mentis, tum corporis oculis varias multoties obiecit ciborum lautitias, menſas opiparas, dapes regias; penuaria clauſtralia, in quibus pro communi ſororum refectione, cibi detinebantur, inſenſibiliter ſemel, iterumque patefecit tranſeunti; aſt cujus cibus, erat voluntatem facere Sponſi, à quo, ut nihil præter panem & aquam deguſtaret præceptum acceperat, inimicum, quem ante iejunio macerarat, poſt modum inediâ confecit, minori exinde panis frigidæque refectiunculâ victitans.

Thren. 4. v. 5. Gulæ illicijs irritatur

Caput VII.

De aliŷs ejusdem lacus Leonum tentationibus & preſſuris diabolicis, quas in hoc quinquennio perpeſſa eſt.

1. S*Oror noſtra parua, ubera non habebat* fœcunditatis corporeæ; *murus erat*, ſuper quem argentea virginitatis propugnacula ædificarat *ſpecioſus præ filiŷs hominum*; murum aſſiliŷt inimicus impuritatis ſentina, varia in eundem contorquens obſcœnitatis ſpicula; *fortis erat ut mors*, puriſſimæ ſponſæ *dilectio*; *dura ſicut infernus* fœtidiſſimi Leonis *æmulatio*; ſed *lampades ignis, atque flammarum* cœleſtium, caliginem diſſiparunt ſpiculorum carnalium, ita ut, ne per umbram quidem attingeret, quid impurus abs ſe extorquere ſatageret impoſtor; carnis tentationem ſentiens, ſed ignorans, in quo ejus conſiſteret malitia, biennium integrum hæc tenuit obſidio, modò eminus, modò cominus hoſtilibus deſævientibus furiis, nec tamen ulla Civitatem premere poterat famis anguſtia, quam quotidiana ſatiabat cibi Euchariſtici abundantia, promptuariŷs redundantibus plenis, *eructantibus ex hoc in illud.* Itaque ſicut Angelum Moyſi colloquentem rubus ardens nec pupugit, nec aſſit; ita nec Magdalenam

Cant. 8. v. 8. Pſ. 44. v. 3. Can. 8. v. 6. Luxuriâ tentatur, cujus tamen inquo conſiſtat malitia, ignorat. Pſ. 43. v. 13.

Digitized by Google

cum dæmone prælianteṁ ardor cupidinis. Ne autem ullus ex in-
ſidiis, hoſti pateret aditus; impatiens quietis, nocturnis identidem
in precibus & contemplationibus circuibat civitatem, tantò vege-
tior, quantò indies frugalior; ciliciná corpus loricâ; ferreo lumbos
Eph. 6. induta cingulo; Latus ſcuto fidei, caput galeâ ſalutis, *gladio ſpiritus*
v. 7. (*quod eſt Verbum DEI*) præmunita fœmur ſuum, *propter timores*
Can. 3. *v. 8.* *nocturnas.*

2. Dum anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo,
Spiritis ſcin volun. octavo Septembris, aſſultum pateretur ſolito ferociorem contra vir-
ginitatem, ad lignile confugiens, in refertiſſimum veprium ſpina-
rum, ſchidiarum ſeu aſſularum acervum ſe conjecit, inquieta, uſque
dum ſpinas, & ipſum pavimentum ſuo virgineo humectaſſet cruo-
re; nec deinceps ſpurcitiæ ſpiritus Magdalenam procari præſum-
Exod. 4. v. 25. pſit, *ſponſam ſanguinum*, quem quondam in ligno crucis ſanguis
exarmarat agni immaculati.

Sap. 3. 3. *Electam ex millibus tanquam aurum in fornace probavit Domi-*
v. 6. *nus*, quam volebat inveniri dignam, *oſculo oris ſui.* Optaſſet qui-
Cant. 1. *v. 1.* dem ſponſa poſt tot lethales anhelitus, conflictus ferociſſimos intro-
Cant. 1. duci *in cellaria Regis*; aſt novi urgebant agones, prioribus neuti-
v. 3. quam mitiores, ubi ab interioribus tentationibus ad externas pœ-
Spectris ac Larvis terretur. nas & corporales cruciatus deventum fuit, cum etenim adverſa-
rius Magdalenam à Domino vallatam dictitaret inaniter, ecce ait
Dominus, *in manu tua eſt*, *veruntamen animam illius ſerva. Egreſſus*
Iob. 2. *v. 6.* *itaq; Satan à facie Domini*, corpus & omnes Mariæ Magdalenæ ſen-
Iob. 2. ſus *percuſſit ulcere peſſimo.* Viſum deformibus ſpectris, horrendis fu-
v. 7. rentium Leonum, urſorum, canum, ſerpentum, terruit figuris,
Pſ 90. Virginem dilaniaturus, niſi *habitantem in adjutorio Altiſſimi*, libe-
v. 1. *Eccl. 51.* raſſet Dominus à *rugientibus*, *præparatis ad eſcam.* Totum contre-
v. 4. miſcere cubile, rugire Leones, uncare urſi, ululare lupi, fren-
dere apri, latrare canes, grunire ſues, oncare aſini, crocitare corvi.
Tanta erat hæc (ut paucis abſolvam) infernalium lemurum violen-
tia, ut S. Virginem in extremas quandoque coniicerent pavoris an-
Pſ 30. guſtias, nativum immutarent colorem frigido vultum exanimarent
v. 2. ſudore. Exclamabat illa: *ô IESV, ô Verbum, ô Verbum; in te Do-*
Pſ 41. *v. 10.* *mine ſperavi, non confundar in æternum*: Subjunxerit forſan: *Quare*
Pſ 61. *oblitus es mei, & quare contriſtata incedo, dum affligit me inimicus. Ex-*
v. 2. *Cant. 2.* *urgat Deus & diſſipentur inimici ejus, Aſt ipſe ſtabat poſt parietem, reſpiciens*
v. 9. *per*

Digitized by Google

per feneſtras, proſpiciens per Cancellos. Aliquando ſub calamitatum pondere ingemiſcebat cum S. Antonio: *Ubi es mi Deus, ubi optime, maxime Sol gratiæ tuæ? decor illius exſtinctus eſt, evanuit ſplendor ab oculis meis. Ergone abjicies in finem Deus meus, & ſic conculcabor ab inimicis meis? compello cælum & terram, conditaq; omnia, ut veniant in adjutorium mihi; heu me! ecce jaceo languida, arida, paralytica, ſicut arbor eradicata, cæliq; rore deſtituta, non folia ferens, non flores, non fructus. Abjicior heu! repudior tanquam jam mortua à corde.*

4. Exinde ad diabolum converſa, dicebat: *Quid urges ô horrenda beſtia? O bone IESV, propter ſcelerum meorum conſpectum, & inimicorum furias, ipſum mihi deguſtare videor infernum; aſt ſi me deglutires diabole, reevomere cogereris. Non nego equidem, quin fortis ſis ô beſtia infernalis, & ego ſimiliter ex me debiliſſima; ſed adjutorem habeo Dominum meum, te infinities potentiorem & fortiorem. An non videtis ô ſtulti & ignorantes, meum mihi adeſſe IESVM, veſtriſq; aſſultibus meas ſaginari victorias?* Quis eam in hac regione mortis, in hoc atrociſſimi agonis diſcrimine his, ſimilibusque ſuſpiriis, quæ metricè repræſentarim, cum alia ſponſa pariter derelicta, indulſiſſe dubitarit? Deo confiſa Dæmoni inſultat.

Extorrem viduo, dum te perquiro cubili,
Cur fugis è noſtro transfuga ſponſe thoro?
Dumq; iterum vicos, iterumq; requiro plateas,
Perditus heu! dixi ſiccine ſponſe lates!
Siccine inacceſſos te fruſtra quæro per agros,
Per juga, montanis non adeunda feris?
Credideram, fictamq; fugam, fictumq; receſſum,
Iram namq; docet fingere cautus amor.
At geritur, video, res ſeria; ſæpe revertar,
Dixiſti fugiens; attamen uſq; lates.
Vſq; lates, nec te mea multa pericula tangunt,
Nec ſaltem oſtendis, quo teneâre loco.
Aſpice, jam medius flagrantibus æſtuat horis
Phœbus, & infeſto fervet ab igne caput.
Quis mihi, quis tantis præbebit in æſtibus umbram?
Ne violenta meos urat arena pedes.
Ergo oſtende precor, mea ſpes, mea ſola voluptas,
Quæ regio invideat te mihi, quodve nemus.

Digitized by Google

In formâ Belluæ ſanct: derorave tentat. 5. Aliâ quâdam vice ſolitariè dimorantem in cella, adorſus eſt inimicus in ſpecie crudeliſſimæ beſtiæ, hiantibus faucibus ad deglutiendum paratis; quando inaudierunt ſorores vociferantem, *apage cave appropinques; præcipio tibi, quantum poſſum in nomine IESV, hinc te proripias, fugias protinus*; hicque conflictus duas ſolidas tenuit horas. Alijs etiam vicibus diverſis, auditum Virginis ſanctæ tantis oneravit blaſphemijs, laſſavit clamoribus, vociferationibus, ululatibus, ut multoties, nec ſorores in choro pſallentes, neque extra illum, ſe alloquentes auſcultare poſſet Magdalena, exclamans in Cælum *Domine, quando reſpicies? reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicam meam. Vox turturis audita eſt in terra deſolationis, in caverna maceriæ*; reſponſumque tulit: *ſuſtine modicum.*

ululatibus turbat. Pſ. 34. v. 17. Can. 2. v. 2. & 14.

Verberibus aliiſque tormẽtis eam afficit. 6. Non rarò intra & extra Eccleſiam, vi quâdam occultâ proſternebatur in terram; nunc capitis, nunc brachiorum, quandoque pedum & aliorum corporis membrorum contractu, plerumque examini vultus pallore, ſenſum exprimens tormentorum. Poſt trium itaque, quatuor: (ſubinde & quinque:) horarum pugnam, ſeriem recenſebat miſerandæ tragœdiæ, profeſſa, ſe à dæmonibus deiectam, ſcorpionibus dilaniatam, ſerpentinis arroſam morſibus, tot ſuppliciorum imbribus obrutam, ut corpus crediderit, membratim divelli; ſemel iterumque tantus in virgineam faciem detonuit adverſarij furor, ut neceſſum fuerit medicamine delinire tumorem, ſubinde è gradibus deiecta, corruit præceps, maximè quando ſanctiſſimum Altaris Sacramentum, aut charitatis exercitia frequentare ſtatuerat; At ſemper *Dominus ſuperpoſuit manum ſuam, ne fortè ad lapidem offenderet pedem Magdalena*, licet ſæpius ex ſcala præcipitaretur lapidea, gradus numerante viginti quinque; non rarò violenta raptabatur trans chorum, aliaſque ſororum cellas, modò prona, modò ſupina; ſpectaculo horrendo multis illachrymantibus, vim occultam ſtupentibus omnibus.

Pſ. 36. v. 24. Pſ. 90. v. 12.

Enecare eam ſtudet. 7. Sub Veſperam aliquando S. Virginem pro more in cella matris Prioriſſæ degentem, vì pariter occulta, iratus invaſit Antagoniſta eamque humi proſtravit, ſacrilegâ nece ſuum redempturus opprobrium. Subito itaque virginis intumeſcere fauces, expalleſcere vultus; difficili tuſſi, ſudore frigido, totius tremore corporis

teſtari

teſtari agonem , ſubraucâ utcumque ingemiſcere voce: *morior* , *morior* , *ſuffocor.* Poſt trium horarum agonem , reſpiravit pugil, lividis vultu diſſecto vibicibus.

8. Prælia hæc omnia publicè tumultuabant ; aſt qui toties ab imbelli virguncula ſe deluſum fremebat in publico, longè horribiliores & crebriores illi pugnas indixit in occulto ; ita ut Magdalena tot quaſi victoriarum ſuarum haberet teſtes, quot nocturnæ momenta quietis.

9 Frequenter etiam dæmonem vidit deſudantem in choro, ut ſorores vanis cogitationibus à divina ávelleret præſentia , ardentem earum in panis Euchariſtici & divini Verbi pabulo ſopiret pietatem; in refectorio vidit vagabundum, ut religioſam frugalitatem aliquo contaminaret gulæ nævo , menteſque ſanctas à religioſæ lectionis attentione alienaret, vidit inquietantem officinas, ut religioſam ſedulitatem, ſi non lethargiæ cervicali, ſomnolentiæ ſaltem ſuffulciret puluillo. Omnia Cœnobij loca , ſpectante Magdalenâ , impudens percurrebat ardelio, præterquam domum capitularem , utpote humilitatis ſcholam , ſanctæ abnegationis paleſtram ; At S. Virgo dexteram flagello, ſiniſtram armata crucifixo, fugitivum perſequebatur ſtrenuè, in medijs etiam tenebris umbroſæ noctis.

Dæmonē videt ſorores in choro tentantē, & alibi.

10. Quam nec rabie exanimare, nec violentiâ ſternere , nec minis poterat terrere Virginem fucatâ ſpecie oppugnandam duxit larva infernalis. Duo ſpiritus nequam , binas mentiti moniales, alteram in habitu nigro, in candido alteram , pluribus argumentis , rationibus , tandem & minis ſub graviſſima divinæ offenſæ intentatione , vitæ ſingularitatem , rigorem nimium , continua pœnitentiæ opera tanquam Deo inviſa , diſſuadere conati ſunt. Impoſtoris technas prudens penetravit Virgo , certa non poſſe falli , quam per omnia & in omnibus ſancta dirigebat obedientia : diſparentibus itaque larvis, ad orationis auxilium confugiens, aliâ ſyncerâ meruit illuſtrari revelatione, quam in ſequenti exhibebimus Capitulo. Duabus alijs vicibus millie artifex vultum, formamq; indutus ipſiuſmet S. Virginis , culinam intravit, inque alterius ſororis

Mentito monialiũ habitu, à S. propoſito dimovere Virginem,

præſentia, carnes ſuſtulit, ſecum abduxit, quaſi eas manducatu-
Ubi diſfamare, fruſtra laborat. rus. Quid multa? fœminea tintinnabula rumore ſiniſtro totum confeſtim replevêre Cœnobium; At quæ pati noverat, ſuccumbere neſcivit Virginis innocentia, quam eo ipſo tempore, quo furtum narrabatur admiſſum, orationibus & ſanctiſſimæ Communioni vacaſſe certum compertumque fuerat, Deum omnibus laudantibus in Magdalenæ ſanctitate.

11. Superficialiter uſque modò adumbrare conatus ſum juratì hoſtis fallaciam, impudentiam, pervicaciam; ſanctæque Virginis prudentiam, fortitudinem, conſtantiam; recenſui, quibus armis ſingulos retuderit inimicorum impetus, confregerit inſultus intrepida bellona. Præter illa, virginei cordis armamentarium plurima alia noverat ſubminiſtrare indefectibiliter, aptiſſima ad quemcunque generalem hoſtium incurſum conterendum; ætatis itaque & corporis teneritudinem ſpei vallabat firmitate, ſemper victrix, ſemper triumphans, nunquam certaminis pertæſa, nunquam tentationum, pœnarum, aliorumue ſibi accurſantium incuſans malorum gravitatem, aut nimiam in iis devorandis temporis moram, Semper in adverſis patiens. tantò divinæ ſemper voluntati conformior, quantò preſſura in eam debaccharetur immitior; ita ut inter omnes corporis, animique cruciatus, ne unicum unquam impatientiæ verbum ediderit, aut ſignum. Quodq; vix unquam ſatis obſtupuerit quiſpiam, in medijs febrium ardoribus, & graviſſimis capitis doloribus, quibus per hoc quinquennium divexata fuit frequentius, anhelabat ad pugnam; nec à panis interim & aquæ refectiunculâ, reliquiſque pœnitentiæ operibus, ac religioſæ vitæ functionibus, vel ad latum unguem recedebat.

12. In mediis flagrorum imbribus, & livoribus, Angelicam
Cant. 5. v. 16. facies ejus, ſemper decor animis, ſpirabat venuſtatem, modeſtiam, manſuetudinem. *Guttur illius ſuaviſſimum*, nil plerumque aliud eructare noverat, quàm quem ſemper in corde gerebat ſponſum,
Ac generoſa. ſcilicet: *Vbi es O dulcis Ieſu?* Certaminum ſpectatrices ſorores, trepidabant omnes, una bellatrix Magdalena animabat ſingulas; Totus adverſum tenerrimam puellam ferociebat infernus, rabioſis hoſtibus vecordiam exprobrabat virguncula, non rarò inſultans: *Tantum valetis, quantum meus vobis permiſit ſponſus*. Quandoque his etiam aut ſimilibus infernalem colluviem verbis ab ea provocatam fuiſſe credi-

Digitized by Google

crediderim, heus agedum, congredere imbellis ſpiritus; *tu venis ad me cum gladio & haſta; ego autem venio ad te in nomine Domini.* 1. Reg. 17. v. 45.

13. Qui electas animas *mortificat & vivificat; deducit ad inferos & reducit*; Magdalenam pariter tum in ipſo Leonum lacu, tum poſt glorioſos victoriæ triumphos, ſpiritualibus recreavit delicijs, modò deſolationis caliginem, cœleſtibus replendo illuſtrationibus; modò ſterilitatis deſertum, epulis ſenſibiliter fœcundando Euchariſticis, modò quinquennalis obſcuritatis cavernā mirificis dilatando extaſibus. Tantum namque tum interiorum, tum exteriorum Virginem preſſit anguſtiarum pondus, tentationum moles, ut propemodū ſuccubuiſſet victima, niſi divina pugilem protexiſſet benevolentia, ſenſibilis ſolidaſſet gratia, *ſuſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.* Sed de his latius in capitulo ſequenti. 1. Reg. 2. v. 6. Pſ. 112. v. 7.

Caput VIII.

De gratiis, & delicijs ſpiritualibus, quas in dicto lacu Leonum experta eſt cœlitus.

1. Qui *humilia reſpicit in cœlo & in terra*, Magdalenam pariter reſpexit Dominus, *in terra deſerta & invia & inaquoſa*, ſiquidē ab introitu in lacum Leonum, octavus nondum effluxerat Menſis, quando denſam mortis umbram novus extaſium, cæleſtiumque radiorum fulgor illuminare cæpit, quando 1586. 5. Februarij (juxta Florentinos, qui annum inchoant vigeſimo quinto Martij, Anno milleſſimo quingēteſſimo octuageſſimo quinto 5. Februarij) in Feſto S. Agathæ, quod in feriam quintam Bacchanalium tunc incidebat, in extaſim rapta, JESUM in eo vidit paludamento, & ſitu, quo Judæis à Pilato exhibitus fuit, cum dicto: *Ecce Homo.* moxque præ cordis jubilo, omnium priorum immemor certaminum, velocemque nimis obſtupeſcens Sponſi opem quaſi accinere cœpit, præ exceſſivo mentis victorioſæ tripudio: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.* Inde intenſo paſſionis ardore exæſtuans, in ſequentia prorupit verba: *O IESV, cur mihi non licet, haſce pro te exantlare preſſuras, ludibria, malitias, quibus te contaminant traditores ſacrilegi? Cur capiti meo ſpinea negatur, quæ tuum pungit, penetratque cerebrum, corona, quandoquidem hæc omnia tormenta mei pateris amore?* Moxq; dilectam votorum compotem fecit ſpon- Pſ. 112. v. 6. Pſ. 62. v. 3. Christū videt ſicut à Pilato Judæis fuit exhibitus. Ioan. 19. v. 5. Cant 2. v. 8. & 9. Inſtrumenta Paſſionis recipit, &

Digitized by Google

ſponſus cui diverſorum paſſionis, crucisque ſuæ tormentorum impertiit faſciculum, quem S. Virgo, nominatis ſeriatim ſuppliciis ſingulis, in eodem contentis, tenerrimo amoris affectu, ſuis applicavit uberibus, inquiens: *faſculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Tantumque exinde pœnarum percepit ſenſum, ut tremens, inque terram corruens, poſt aliquot temporis ſpatium, vix reſpirarit ſub onere. Paulo poſt, id quod ſæpius expetíerat, à B. Virgine Maria JESUM ſuſcepit infantulum, in ea figura, qua ex utero prodiit materno, ipſumque tenerrimis ſtringens amplexibus, præ amoris exceſſu, inter lacrymas, & mille ſuſpiria, propemodum colliqueſcere videbatur, dulciter indubiè abblandiens, humiliterque ſupplicans: *Oſculetur me oſculo oris ſui.*

Cant. 1. v. 12.

à B. V. Maria Jeſum in ſpecie infantis.

Cant. 1. v. 1.

2. Eodem anno in Solemnitate S. Thomæ Aquinatis; dum Angelici hujus Doctoris eminentiam veneraretur humiliter, ſuſpiceret ſublimiter, in extaſim raptæ, admirabiles ejusdem ſancti contemplanti ſplendores, novos ipſe ad novum agonem addidit animos & vires, quando S. Amazonis latus, ſenſusque omnes odorifero pretioſoq; delinivit unguento, vi cujus, & ſpiritum renovatum & voluntatem ſuam ſenſibiliter experta eſt corroboratam Magdalena.

Confortatur à S. Thoma de Aquino.

Can. 6. v. 1.

3. Necdum duplicis ſpiritualis hujus exſpirarat unctionis virtus, quando iterum dilectus ejus *deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum*, in feſto Annunciationis, vigeſimo quinto Martij ejuſdem anni; non tam ut paſceretur, quàm ut inter extaſes, hortum paſceret, fœcundaret, irrigaret cordis virginei, ſacroſanctæ Incarnationis contemplandis immerſi myſterijs. Jamque ſe aſcenſuram præſûere potuiſſet de deſerto languoris & deſolationis, novis *delicijs affluens innixa ſuper dilectum ſuum,* animo obfirmato ſtatuens: *Tenui eum nec dimittam*: Sed traceſitoriæ erant illebræ, quæ à paucis menſibus ſenſibiliter conſopitum, renovarent, non conſervarent affectuum calorem; unde ab eo tempore iterum omne evaneſcere lumen intellectus; quaſi brumalibus concreta frigoribus, obrigere voluntas, incaſſum deſudare memoria, niſi quòd inter denſiſſimas hebetudinis umbras recordaretur, ſe aliquando noviſſe, & dilexiſſe DEUM; donec iterum vigeſimo Julij, Anno Milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo ſexto, decimo quarto à primo in lacum Leonum ingreſſus Menſe, in Solemnitate Sanctiſſimi Prophetæ & Patri-

Cant. 8. v. 5. Cant. 3. v. 4.

Nunc derelictione exercetur, nunc raptibus decoratur.

Digitized by Google

Patriarchæ ſui Eliæ, divinorum inter in choro officiorum functionem, rapta in extaſim à Jesu certificatur, præteritos deliquiorum exceſſus novo ſenſibilium gratiarum illapſu, uſque ad Menſem Octobris proximum demulcendos: ſubitòque altiſſimis immerſa contemplationibus; à ſenſibus alienari, & novis cœleſtibus ditari cœpit chariſmatibus, omni deſolationis evaneſcente caligine; Sponſi præſentiam ſenſit dilecta, illicò quodammodo exultabunda præ jubilo: *paululum cum pertranſiſſem eos, inveni, quem diligit anima mea tenui eum, nec dimittam*; aſt ſplendor Solis erat, iterum infra trimeſtre, Ægyptiacis tumulandus tenebris. Cant. 3. v. 4.

4. Vix novis innatantem ſupernarum deliciarum fluentis, improviſus terruit ab Aquilone turbo, quando timere cœpit ſancta bellatrix, ne diabolicis in quopiam ſupplantaretur illuſionibus Humilem concuſſit, non peſſundedit ventorum impetus, ſuam Jesu aſſecurante Sponſam, Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, decimo ſexto & vigeſimo quinto Auguſti, hæc lucis intervalla cœlitus immiſſa eſſe ab eo, qui *lucem habitat inacceſſibilem*, & ne quis impoſterum viam, quâ gradiebatur Magdalena, impoſturam reputaret diaboli, ſemitæ rectitudinem miraculoſo Dominus approbavit iejunio, præcipiens Virgini ſanctæ, ut per dies quindecim continuos, ab omni penitus materiali cibo abſtineret, præterquam in dominicis & feriis quintis; intra idem tempus occurrentibus; in dominicis tantillum cibi quadrageſimalis, in feriis autem quintis pauxillum panis & aquæ deguſtatura. Voluntatem Dei ſuperioribus humilis intimavit, iiſque aſſentientibus, ad amuſſim obediens implevit. Timet ne à Dæmone illudatur, at 1. Tim. 6. v. 16. Timor extraordinario iejunio evacuatur.

5. Eodem hoc anno, & tempore ſanctitatem electæ ſuæ manifeſto, Dominus approbavit, propalavitque ſanitatis corporalis miraculo; prout ſuo loco narrabimus diſtinctius l. 3.

6. Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, vigeſimo nono Septembris, poſt communionem ſacram, per undecim horas continuas, in altiſſimam obriguit extaſim, ita ut nulla eam vis humana potuerit dimovere loco; extaticam vidit, ſtupuitque cum ſororibus omnibus, præſens ipſemet Cardinalis Archiepiſcopus Florentinus, poſtmodum in Papatu dictus *Leo undecimus*; cui tunc temporis inter plurima alia, Pontificatum prædixit, cujus Prophetiæ veritas patuit Anno 1605. *vid. l. 3. cap. 1. §. 2.* in extaſi 11. horarum Ponticatū Card. Florent: prædicit.

Digitized by Google

in alia ſuam profeſſionem renovat.

7. Anno milleſimo quingenteſimo octageſimoſeptimo, quinto Julij in actuali extaſi, Altare conſcendens Beatiſſimæ Virginis profeſſionem Religioſam renovavit, ut aſſerere conſueverat: *in manu puritatis Mariæ.* Poſtridie in præmium S. obedientiæ, Magdalenam dulci colloquio ipſemet oblectavit Dominus.

8. Decimo tertio Julij, eodem anno in extaſi conſtituta agonizantem ſororem, cui nomen erat *fides di Duccio* priſtinæ ſubitò ſanitati reſtituit ſigno S. Crucis *vid. lib.* 3.

Videt S. Auguſtinū horas can: cū eorecitat, ac muſica cœleſti recreatur.

9. Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, vigeſimoſeptimo Auguſti, in vigilia S. Auguſtini, inter actualis extaſeos delicias, diverſa ſororibus impetravit cœleſtium gratiarum charismata; ejusdem ſanctisſimi Eccleſiæ Doctoris gloriam vidit, quam Sanctus Præſul ſuo pariter dignatus eſt alloquio. Nocte ſequenti iterum in raptu conſtituta, tempore officij matutinalis, cui actualiter cum reliquis ſororibus vacabat, cum S. Auguſtino horas recitare cœpit canonicas, eaſdemque, cum S. Præſule finivit, ſtupentibus omnibus. Eodem tempore extaticam melodiæ oblectarunt Angelicæ, quarum nimiâ illecta ſuavitate, in extaſi ſororibus ſilentium indixit, actualiter cantantibus.

Velo candido à D. V. cooperitur.

10. Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, decimo ſeptimo Septembris, Auguſtima Cœlorum Regina, æternæ Gloriæ cincta ſplendoribus, S. Virginem inviſit, eamque aſſecurans, quòd in atrociſſimo contra virginitatem conflictu glorioſam ſemper à cupidine victoriam reportarit, Amazonem infractam candidiſſimo cooperuit velo; inquiens: *Certa eſto, integritatem tuam non magis læſam ab illis immunditijs, quàm trium puerorum veſtes in fornace Babylonica, aut Solis radios in cœno, & luto*; Pretioſiſſimum amplexata donum Magdalena, nullum deinceps aut corporaliter aut ſpiritualiter ſenſit venereæ tentationis, aut cogitationis pruritum.

Cant. 1. *v.* 3.

11. Eodem Anno, vigeſimo ſeptimo Octobris, in Vigilia Sanctorū Apoſtolorum Simonis & Judæ, extatica, iterum *in Cellaria Regis* introducta, Spiritualium conſolationum vino reinebriari cœpit.

Oſculaturà Chriſto.

12. Aliâ vice humilitatis mercedem, Jesus oſculum ſuæ impertijt dilectæ in raptu conſtitutæ; quando & S. Joannem Evangeliſtam cum S Catharina Senenſi, videre meruit. Multoties etiam cœleſtis Sponſus Bellonam invictam, hoc quinque annorum curriculo,

culo, ſenſibili oblectauit humanitatis ſuæ præſentia, quandoque Angelicorum cœtuum, ſubinde etiam aliorum Sanctorum, maximè autem Patronorum ejus ſolatijs, de quibus ſicut & aliis extaſibus, quas hoc tempore intermedio glorioſiſſimas habuit, commodior & fuſior alibi, ubi ex profeſſo de raptibus & extaſibus agemus, redibit ſermo.

13. Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo octavo, ſeptimo Auguſti, in feſtivitate S. Alberti Carmelitæ Patroni ſui, poſt graviſſimam à Religione apoſtaſiæ devictam tentationem, dum vitam legeret S. Didaci, ab eodem ſancto, candidam è latere Chriſti deſumptam, vidit in extaſi ſibi repræſentari chlamydem, quâ amiciri petijt à ſponſo, intuitu meritorum S. Alberti. Inſtitit, pulſauit, perſeveravit; ardentique dilectæ ſuæ affectui ſuffragaturus Sponſus cœleſtis, ſequenti eam recreavit ſpectaculo. His abſorpta deſiderijs, in media extaſi ad tres continuas durante horas vidit è latere Crucifixi pretioſam prodire chlamydem, è manu ejuſdem dextera Scapulare, è ſiniſtra cingulum, album è capite velum, è vulneribus humerorum, quæ crucis inflixerat bajulatio, candidum coruſcanſque pallium. Tam delicioſo illecta ſpectaculo ut frueretur vicinior, in eodem raptu Altare conſcendit, totum ſibi deſponſatura apparatum, ipſæque circumſtantiæ docuêre, S. Virginem dicto dotari ornatu, ſiquidem omnia illa ad amuſſim peragebat, quæ aſſolent Tyrunculæ exercere, dum Sanctum induunt Religionis habitum. Hoc feſtivam Auguſtiſſimo apparatu ex circumſtantijs didicêre ſorores, eam à Regina Cœlorum, coronam, lumen, & Crucifixum accipere, quæ religioſis jam jam inveſtitis tribui ſolent; quaſque in religioſa inveſtitione ſorores frequentabant cantilenas, aut hymnos, ſancta Virgo à cœleſtibus ſpiritibus audijt decantari. Porro ne principalis huic inveſtitioni deficeret decor, è manibus ſponſi, ſanctiſſimum excepit Euchariſtiæ Sacramentum, ſonorâ inquiens voce: *Confiteor &c.* & *Domine non ſum digna*; Deinde peractâ ſynaxi, novo exaltans in tripudio, atque incredibili divini amoris ſuccenſa ardore, his JESUM in idiomate latino, allocuta eſt verbis: *dilectus meus candidus, & rubicundus*; *ſpecioſus es formâ præ filijs hominum, electus ex millibus, diffuſa eſt gratia in labijs tuis*; *miſit ſaturitatem in animam meam.* Deinde omnes animas ad ejuſdem Sanctiſsimi Sacramenti participationem compulſura, ſubiunxit: *Aperi Domine,*

Cœlitus de novo inveſtitur.

à Chriſto Sacram ſynaxim accipit

Cant. 5. v. 10. Pſ. 44. v. 3. Pſ. 105. v. 15.

Digitized by Google

aperi cor meum, ut omnes creaturas tuas, ad corporis & ſanguinis tui admittam Communionem. Inde varica inter alia interminabilis jubili
Pſ. 72. v. 1. teſtimonia, altum exclamavit: *Quam bonus Iſrael Deus*; Demum crucem, ex qua dictum viderat emanare ornatum, ſingulis exoſculandam tradidit religioſis.

14. Eodem Anno, & Menſe ex obedientia vas vini corrupti ſigno S. Crucis, priſtino reſtituit vigori, exiſtens in raptu.

15. Quinas præſertim in dicto Leonum lacu ſuſtinuit tentationes; Prima fuit blaſphemiæ; 2. Superbiæ. 3. Gulæ. 4. Luxuriæ 5. omnium atrociſſima, tenebræ erant, pluſquam, limmeriæ, animum obtenebrantes; Deus pariter, qui nunquam ſinit duplicari preſſuras, niſi geminato robore, qui præmium labori, qui mercedem adæquat ſudori, qui conſolationes multiplicat juxta cruciatuum menſuram, quinis Sponſam ſuam exornavit dotibus; ſiquidem cognovit animæ pretium & valorem, coronam obtinuit ſpineam, caſtiſſimum cum Chriſto connubium, cor Sponſi diviniſſimi, divinæque puritatis conſortium.

Caput IX.

Extrahitur è Lacu Leonum.

1. Tandem vocem ſuſpirantis de medio *lacu Leonum* audiens & exaudiens totius conſolationis Deus, glorioſiſſimam Heroinam à certamine & victoria ad triumphum, his ſimilibus ve inui-
Cant. 4. v. 8. taverit Verbis: *Veni Sponſa mea de vertice Sanir, & Hermon, ae cubilibus*
Cant. 2. v. 10. & 11. *Leonum, de montibus Pardorum; ſurge, propera amica mea, & veni; jam enim hyems tranſijt, imber abijt, & receſſit.* Translata itaque fuit poſt quinquennium, decimo Junij, in ipſa Pentecoſtes ſolemnitate, Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo, de terra deſerta, &
Deut. 32. v. 13. regione mortis, *ut ſugeret mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo*, quando in glorioſa extaſi jubilantem audiêre ſorores: *Eripuit me de mani-*
Pſ. 17. v. 18. Pſ. 65. v. 12. *bus inimicorum meorum, & ipſi confuſi ſunt; tranſiui per ignem & aquam, & duxiſti me in refrigerium.*

2. Hoc in raptu vidit ſuos ſanctos Patronos, ſcilicet S. Thomam Aquinatem, S. Agnetem, S. Ioannem Evangeliſtam & Baptiſtam, S. Mariam Magdalenam, S. Catharinam Virginem & Martyrem, S. Protomartyrem Stephanum, S. Catharinam Senenſem, S. Franciſcum Seraphicum, S. Claram, S. Auguſtinum, S. Angelum Carmelitam, S. Michaelem Archangelum, & Angelum ſuum tutelarem;

Patroni Sancti ei veniant obviam

teſarem; vidit inquam, hos omnes, admirabilibus è Patris æterni ſinu donis deſumptis, ſibi proceſſionaliter obvios, cœleſtibus iis inſignibus exornaturos victricem; quæ exultans præ jubilo, humillima hac proteſtatione DOMINUM interpellavit: *Videris mihi O Domine, mihi meas, ut ita dicam, remunerare offenſas.* Interim Sanctorum cœtus Auguſtiſſimam Heroinam, cœleſtibus certatim prævenire obſequijs, ſublimare favoribus: videbantur aliqui virgineum verticem æternæ lucis diademate coronare, alii aureis cingere collum monilibus, cilicium alii auferre pœnitentiæ, & candidiſſimâ induêre veſte, alii rariſſimis brachia armillis, pretioſiſſimis manus añulis exornare alii; nullus non incorruptibilibus perquam officioſiſſimè ſinum virgineum onerarē gemmis. Necdum cœleſte famulitium ultimam ornatui huic admoverat manum, quando vox ſponſi inſonuit: *Quam pulchra es Amica mea, quàm pulchra es?* Cant. 4. v. 1.

Hoc in ſplendore feſtivis, & feſtinis tripudiis omnes Cœnobii Angulos, tentationum ſuarum devictarum teſtes inquietare cœpit, curſitans hinc inde per Monaſterium, ut JESU, & ſanctiſſimæ ejus Matri grates referret, dæmonibuſque inſultaret, miſerandam iis exprobrans, in hæc verba debilitatem, ſocordiam, impotentiam: *O Monſtruoſæ beſtiæ infernales, clamate & ululate, quantum vobis libet, anima mea minus vos, quàm papilionem formidat.* Ideoque divino agitante ſpiritu, ſublatâ in manus cruce, tam prædicta quàm omnia alia Monaſterii loca velox percurrebat, ubi dæmones ſororum noverat inſidiari perfectioni, pepulitque Antagoniſtam feliciter, qui ab imbelli virguncula ſe proſtratum erubeſcens, ſemper declinabat cum fremitu; aſt illa perſequebatur victoriam, exiliens & ſuavi accinens voce; *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti; tribulatio an anguſtia an fames? nemo poterit me ſeperarare à charitate Chriſti, Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo?* In hujuſmodi igitur deſolationum ardoribus, perfectius expurgata confeſtim holocauſtum immolari meruit amoris divini, quod Lectori repræſento libro ſequenti *cap.* 13.

Dæmon inſultat

Rom. 8. v. 35.

4. Hinc propero curſu, Altare adiens B. Virginis, ardentiſſima devotione ei ſupplicavit in hæc verba: *O Mater puriſſima, ego me tibi offero & dono, non modò cum illa, quâ me tibi aliquando conſecravi puritate, & innocentia, ſed longè perfectiori, me itaque ſuſcipe Maria, & conſerva in te.* Vix hæc edixerat, quando à ſenſibus alienata fuit, poſtque amoroſam extaſim, ne magnitudine & multitudine revelationum extolli videretur inaniter ſupra ſe, varia ſubiecit infimæ ſub-

offert ſe B. V. Mariæ humillime de ſe ſentiens.

Digitized by Google

Pro me nil gloriabor, niſi in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus 2. Cor. 12. v. 9. v. 10. *Chriſti; propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto.* Neque his contenta, quoties coram aliis ſpiritualia hujuſmodi pateretur animæ deliquia, ut primum ſenſuum reddebatur compos, in nihili ſui demergebatur abyſſum.

5. Feriâ ſecundâ Pentecoſtes, quæ erat undecima Junij, iterum in extaſim ſublimata, ſibi dici audiit: *Ambula coram me & eſto* Gen. 17. v. 1. *perfecta*, quando ſponſus divinus oculos mentis ejus, glorioſos infernalium larvarum victores, altisſimâ dolavit Dei præſentiâ, nunquam diſpariturâ impoſterum. Jugis Dei præſentia. Quando & JESUM vidit in triplici ætatis differentia; infantem, quemadmodum degit in Aegypto; juvenem, ſicut docuit duodennis in templo; & virum, ut paſſionem ſubiit.

6. Hoc in triduo cujus maximam in extaſi partem tranſegit, plurima alia penetravit ſecreta cœleſtia. Hinc ad oratorium tranſiens, ante ſanctisſimæ Virginis Altare proſtrata, à Matre amabili; ſingularum conſodalium ſuarum corda vivis divini amoris flammis ſuccendi inſtantius petiit uberius obtinuit. Contigit interea, ut eodem Anno Admod. Rever. P. Auguſtinus ſeptuaginta ſeptem annorum ſenecio, qui Cœnobio cum maximo utilitatis ſpiritualis incremento deſervierat à confesſionibus, graviter decumbens, ſanctiſque Eccleſiæ Sacramentis præmunitus, extremo luctaretur in agone; periclitanti opitulata eſt Magdalenæ ſanctitas, quem ante CHRISTI corporis ſolemnitatem lethali exemit è grabato, S. Virginis Oratio. Confeſſariũ Cœnobii ſua prece ſanitati reſtituit.

7. In quinquennalis agonis termino, divinum accepit præceptum, in pane & aqua, ad dies quinquaginta, iejunandi, computatis diebus decem pro quolibet *lacus Leonum* anno, omnem per illud ſuppletura, ſiquam in dicto lacu admiſiſſet imperfectionem; ſuperiorum itaque ſuffragante conſenſu, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo, vigeſimo ſecundo Aprilis, qui ſolemnitati Paſchali ſacer erat, uſque ad Pentecoſten ſtrictiſſimum exorſa iejunium, ſolo victitavit pane & aqua: Eodemque tempore, ne ſtramineum quidem admittens grabatum, exceptis noctibus, Dominicas intermedias imediatè præcedentibus, in Oratorio quieſcebat Novitiarum, ſuper nudum pavimentum, horis paucisſimis, individuis latera ſti- Iejunat per 50 dies.

panti-

Digitized by Google

pantibus craneo, crucifixo, & clepydrâ, quibus'omnibus quotidiana, eaque acerbiſſima, ferrea ſuccedebat diſciplina. Dormit ſuper pavimentũ.

8. In Menſe Septembri ejuſdem Anni, in raptu conſtituta, animam matris ſuæ carnalis, poſt luſtrales quindecim dierum in purgatorio toleratas pœnas, æterno circumdatam ſplendore cœleſti vidit annumerari Curiæ, ſanctis ſuis ſtipatam Patronis; hocque triplici dogmate ultimum filiæ audiit impertientem vale; filia mea, in ſanctæ humilitatis palæſtra indefeſsè labora, vera eſto obedientiæ cultrix, & in omnibus operare prudenter. Matrem è purgatorio cœlo inferri videt. Monita ei à matre data.

Caput X.

De methodo Vitæ ejus, quam ab ingreſſu in lacum Leonum uſque in mortem ſervavit.

1. UT inviĉtiſſima JESU bellatrix, Heroina incomparabilis, tentationum omnium retunderet inſultus, attereret furias; virginei cordis armamentarium, exquiſitiſſimo pœnitentiarum, & mortificationum penu inſtruere deſtitit nunquam: per glorioſum deſolationis quinquennium, in ſolo, eoque modico, pane & aqua deliciata fuit; exinde ad triennium integrum, cœleſti obtemperatura præcepto, quam dudum deſpexerat, nudipes calcavit terram, & ne delicatæ intolerabiles hyemis acerbitates, exhorreſcenti carni palmam cedere videretur ſpiritus; hoc in apparatu, pluvias, nives, alioſque adverſùm ſe irritabat algores; modò in horto, modò in culina, modò in aliis Cœnobii locis; quantòq; magis accreſceret patiendi ardor, tantò immitior virgineas carnes dilaniabat equuleus, nunc atrociſſimis intumeſcentes in livoribus, nunc ſanguinem profundentes uberrimum; quibus ſpectaculis ſororum devicta pietas, multoties inſtitit, ut faſcias admitteret ſeu crurales, qui mederentur malo; aſt eos humiliter aſpernata Magdalena, læto ſemper vultu reſpondebat: *ſinite me pati pro peccatis meis, ſic namque jubet IESVS.* Pœnitentiæ & mortificationes

2. Unam eandemque omni anni tempore portabat tunicam vilem, attritam, laceram, licet frigoris horror ipſam quandoque virginis interrumperet loquelam; tempus quieti corporali deſtinatum, continuarum plerumque orationum, & mentalium exceſſuum conſecrabat deliciis, ſibi dictum autumans: *ſine intermiſſione orate*, Quaſque pauculas nocturnæ quietis horas inſuperabilis aſſignarat neceſ- Veſtitus tenuitas. *1. Theſ. 5. v. 17.*

ſitas

que pauculas nocturæ quietis horas inſuperabilis aſſignarat neceſſitas corporis, tormento conficiebat prudentia virginis; quæ quaſi ſemper, aut ſuper nudam humum, aut durum ſaccum, aut tabulam, ſeu lignum decumbebat veſtita, ut nullo non tempore & loco in odorem curreret Sponſi Crucifixi, exultans in Canticis: *in lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea.* Somnum, quem CHRISTUS ipſemet ei in quinque taxaverat horas, interrumpebant, vel oratio mentalis, vel ægritudinis frequentia (in ipſo Leonum lacu ſpectra nocturna) vel breviſſima raptuum, & extaſium intervalla. Utque vigilias multiplicaret uberius, non modò quinquennalis, deſolationis, ſed & totius deinceps vitæ ſuæ tempore, ſorores ad nocturnas horas excitavit, ſancto huic exercitio immoritura, niſi zelo inimica, corporalis ſupplantaſſet infirmitas.

Item ſomni ac quietis

Cant. 3. v. 1.

ex obedientia communi victu utitur.

3. Finito quinquennalis deſolationis agone, ex præcepto divino calceos, & ſandalia reaſſumpſit, caligas nunquam, niſi ad biennium, quo à gravi quadam reſpirabat infirmitate. Ab eodem tempore, ſolis diebus dominicis, & ferijs quintis, communi cœpit victitare Monaſterii refectione, quam tandem revelante Deo, & urgente obedientia, promptiſſimè frequentavit quotidie, cum admirando totius monaſterii exemplo, quando prudentiſſima Virgo ſimul & obedire didicit & eſurire, pauciſſimis contenta, ut potius famem irritaret, quàm ſedaret; viliſſimis gaudens, ut ſibi jugiter cederet in tormentum, quod aliis in oblectamentum, ingenioſo ſtratagemate inſipidis ſe trahi ſimulans, ut deliciari putaretur opiparè, quam felleæ parſimoniæ excruciabat diæta, glorianteм cum ſponſo: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.*

Pſ. 68. v. 22.

Curæ pro Eccleſia Dei,

4. Quotidie ſanctam Eccleſiam Deo commendábat & ſanctimoniales redarguebat, quæ diem prætetire ſinerent, non effuſis pro Eccleſia precibus; aſſueta dicere, nomen ſponſæ CHRISTI non mereri, quæ Eccleſiam Dei ſponſam Majeſtati divinæ ſedulò non commendaret.

Deviiſque Hæreticis.

5. Conquerebatur prætereа, flebat amaris lachrymis, quòd non poſſet ad CHRISTI ovilide devias oves reducere, & infidelium converſioni operam exhibere; & hæc revolvens animo, in profuſiores lachrymas ſolvebatur, adeo, ut cibum ſumere non poſſet, potum cum fletu temperaret, verè lachrymis ſtratum rigaret. Itaque ſi Martyrium deerat, martyrii deſiderio planè conficiebatur

,cum

Digitized by Google

„ cum aſſiduis corpuſculi cruciatibus, ſemper *mortificationem IESV* 2.Cor.
„ *CHRISTI in ſe circumferens, ut vita CHRISTI manifeſtaretur in cor-* 4.v.10.
„ *pore ſuo vid l. 2. c. 13. per tot.*

6. Inexſtinguibilem patiendi ſitim, ardentiſſimus adeo acuerat cum dæmonibus habitus conflictus, ut præteritarum immemor tribulationum, ſponſo ſupplicarit, pactumque cum eo inierit, ut ſe omni impoſterum ſpirituali deſtitueret guſtu; Amanti paruit amor, nimiis delectæ affectibus aſſenſit ſponſus; dum S. Virgo deinceps divinam quidem præſentiam, alloquium, favorem multiplicem obtinuit frequenter, aſt ſine guſtu, in corroborationem duntaxat, & præteritarum lenimen afflictionum. Unde quandoque etiam in mentis exceſſu ad ſponſum converſam circumſtantes audiêre dicentem: *Ah! cur DEVS meus pactum rumpis? nonne amore tui omnem recuſavi guſtum ſpiritualem?* Mortem quandoque procraſtinari optans, eo quòd à paradiſo exularet paſſio, dicere conſueverat; *Pati non mori.* In ſecretioribus Monaſterij angulis, orationi vacans, candelam crebrò, multoque tempore, manibus ſuſtentabat accenſam, è qua deciduas ardentis ceræ guttas in manus, nuda brachia & pedes dirigebat, feſtivè forſitan ingeminans: *manus meæ ſtillaverunt Myrrham & digiti mei pleni Myrrhâ probatiſſimâ.*

Singulare patiendi deſiderium.

Cant. 5. v. 5.

7. Quandoque brumales inter rigores, & nives, pedibus nudis, genuque flexo, multam in horto traxit moram, ſemel inibi ad diem quaſi integrum perſiſtens; ardentibus aliàs urticis in nuda deſævit membra, non ut carnis exſtingueret, ſed paſſionis augeret ſenſum. Plantas pedum certis aliquando, & minutis inſternebat cupreſſi corymbis hoc inſolens cothurno, quodammodo gloriatura: *Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina; his innixa, aſcendam in palmam Crucis, & apprehendam fructus ejus*; vocique reſpondit echo: *Chariſſima in delicijs, ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ.*

Diverſimodè carnem affligit.

Cant. 1. v. 16. Cant. 7. v. 8. ibi v. 7.

8 Illa Salvatoris ſententia: *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*; tam profundas ſolidasque in Magdalenæ præcordiis egerat radices, ut omnes ejus cogitationes, & actiones, unicum ſpectare viderentur mortificationum, actuumque humillimorum ſcopum, in quem ſolius panis, & aquæ inedia, ciliciorum horror, quotidiana diſciplinarum ferrearum ſævities, omnimoda potentiarum collimabat exinanitio, tripudians, ſi quando contingeret

Luc. 24. v. 26.

Digitized by Google

Act.5. v.41. *pro nomine IESV contumeliam pati.* Veruntamen hac de virtute fuſior ex profeſſo recurret mentio libro ſequenti cap de pœnitentiis, & cap. de devotione erga Paſſionem CHRISTI.

CAPUT XI.

Tyrunculis præficitur cum inſigni earum utilitate.

1. ANno milleſimo quingenteſimo octuageſimo nonó, dum annum ageret ætatis ſuæ vigeſimum tertium, omnium ſororum conſenſu, expertiſſima bellona, atque exercitatiſſima virago, iuniorum præficitur directioni, pædagoga ſeu ſocia Magiſtræ Novitiarum conſtituta. Trigeſimo tertio ætatis, Magiſtra eligitur profeſſarum, & cuſtos juniorum puellarum, Cœnobiũ ingredientium. 36. Magiſtra novitiarum, quo in munere confirmata fuit Anno 39. ætatis. Quas omnes, & ſingulas ad profectionis Evangelicæ culmen, virtutum ſuarum ſplendore illexit ſuaviter, traduxit faciliter, 1. Cor. 9. v. 22. *omnibus omnia facta*, ut omnes lucrifaceret; nullam non opportunis muniebat remediis, eruditis imbuebat conſiliis, modò vitia exſtirpans, modò virtutes conſolidans, noxarum pedicis illigatas ſermonis ſoluebat facundiâ, & orationis efficaciâ, in fidei dogmatibus cæcutientes acie illuſtrabat ingenii, amore proſequebatur ſingulas.

Noviтiis cum ſummo fructu præeſt

2. Primam anni 1589. provinciam pari acceptauit humilitate & obedientia, ſe longè incapaciſſimam auctumans, quæ novellas Religionis plantas irrigare poſſet utiliter; præſertim quòd debitam earum curam & inſpectionem, necdum terminata præpedirent quinquennalis agonis obſtacula, nihilominus ſuperiorum in omnibus paruit voluntati humiliter; trienníoque integro cum incredibili omnium progreſſu, mira benignitate, Dementiâ, prudentia, charitate, munus adminiſtrauit, partes implevit matris & Magiſtræ; ut mater ſpirituali foecunda partu genuit, dilexit, fouit, nutriuit, educavit; magiſtra erudiit, docuit, perfecit; unde & aliquando cum Apoſtolo gloriari audita eſt: *Filiolæ meæ, quas iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis; carnales vos matres genuère ſemel, ego autem millies, & millies in doloribus & preſſuris; quoties enim vos in triſtitia, moerore, aut cordis amaritudine, ſqualere adverto, ego una præ omnibus exanimor, & contabeſco in cruciatibus.*

Tyrun-

Digitized by Google

Solâ præſentiâ culpas arguit.

3. Tyruncularum animos ſolâ præſentiâ, piis cogitationibus „imbuebat, & uno oculorum ictu, culpis obnoxias deterrebat, ita ut „faterentur Tyrunculæ, ſe vel leviſſimis labeculis inquinatas, præcep„tricis conſpectum ſuſtinere nequiviſſe; quamvis illa adeò humiliter „de ſe ſentiret, ut ſuas tentationes, animique perturbationes, Tyrun„culis ipſis memoraret, ne præconceptâ ſuæ ſanctimoniæ opinione „deciperentur. Etſi enim ſancta omnibus & videretur & eſſet, ſe ta„men omnium imperfectiſſimam, multiſque culpis obnoxiam repu„tabat, nempè ſanctitas illius jam omnibus nota, ſe tantùm latebat.

Conſilio & tentos juvata.

„Nedum Tyrunculas ſuas, ſed alias, pleraſque tentationibus vexa„tas, ejus directioni confeſſarii ſubiiciebant, quas ipſa ad ſolidam ani„mæ quietem trahebat ſuâ non fucata benignitate, quâ illas condie„bat; ſolabatur interdum vel zelo, quo timorem incutiebat, & vitia „proſequebatur. Quemadmodum igitur ſolo verbo, animatum per„turbationes pacabat, ita ſolo nutu pervicaciam contundebat; nun„quam verò alias increpabat, niſi prius conſiderationis oculum in ſe „retorqueret, culpas timens, quibus carebat.

Iob. 4. v. 3. 4.

4. *Manus laſſas roboravit, vacillantes confirmarunt ſermones ejus, & genua trementia confortavit*; Puſillanimes erigebat, oblectabat triſtes, quaſcunque vitioſas arguebat, emendabat; torpentes animare, ſtantes impellere, calcaria addere currentibus, quotidiana Magdalenæ erat ſollicitudo, quæ tam felicem in omnibus ſortiebatur exitum, ut nulli non monialium, quotquot cum Maria Magdalena in eodem ſimul vixêre Cœnobio, ſingularem & ſpecialem attulerit opem, præter communia, quibus Monaſterium, locupletabat perpetim, ſubſidia, beneficia, favores; Cibum, potum, quietem nocturnam, quaſcunque corporales functiones, imò actiones, & ſpirituales delicias ſaluti & diſciplinæ poſtponebat ſuarum, piaculum rata, niſi omnes vires & potentias ſuas in ſpiritualem earum impendiſſet utilitatem; Horas, dies, noctes integras profectui conſecrabat ſororum, quà conſolando afflictas, quà opitulando oppreſſas, quà humiliando ſuperbas; animarum ſalutem quibuſcunque revelationibus, atque extaſibus ſuperiorem eſſe docebat; inquiens: *In raptu DEVS mihi, in ſalute proximi, ego opitulor DEO.* Atque ita Maria Magdalena per totum Cœnobium, omnium audiebat eſurientium cibus, ſitientium potus, torpen-

Omnibus in Cœnobio opitulatur.

Digitized by Google

tium calcar, lumen excutientium, doctrina rudium, gloria humilium, humiliatio arrogantium, mors ſcelerum, vita virtutum.

Rudes libenter inſtruit, unde & eorum amat conſortia.

5. Simpliciſſimæ cujuſque Laicæ, atque infimæ ambiebat conſortia novitiæ, ut optatam illuminandi, & perficiendi nanciſceretur commoditatem; ſi quando à cognatis, & amicis ad ſe deſtinatos nuncios, famulos, ruſticos puerosque idiotas alloqueretur, charitatis obſequia, ſpiritualium ubertate dogmatum recompenſabat liberaliſſimè.

6. Ardentem quo concreditas ſibi animas deperibat, amorem, ſalutis zelum & perfectionis, ſtupendam novitias in via divina inſtruendi methodum proſequatur, qui labyrinthum amat; mihi dixiſſe ſuffecerit, hujuſmodi ne ab ipſis quidem oculatis teſtibus penetrari potuiſſe: multa equidem de iis retulêre ſorores, ſemper tamen ingenue profeſſæ, ſe quodammodo nihil aſſerere reſpectu illorum quæ ſuis ipſæmet oculis fuerant contemplatæ. Veruntamen ne lectoris appetitum irritare potius, quàm oblectare voluiſſe videar, paucula in ejus gratiam per ſeptem ſequentia delibabo capita.

CAPUT XII.

Quâ ſollicitudine educarit Tyrunculas & Novitias, quidque fecerit, dum aliqua earum aut religioſam Veſtem aſſumptura, aut vota eſſet emiſſura.

Cant. 3. v. 9. 10.

Plus ſuas ſpirituales filias, quã matres carnales amant, diligit.

Iſa. 66. v. 11. 12. 13.

1. VIx ſponſarum JESU regimini & directioni præfecta Maria Magdalena, *ferculum fecit de lignis libani* candidiſſimæ intentionis; *columnas ejus fecit argenteas* virginitatis, *reclinatorium aureum* amoris, *aſcenſum purpureum* mortificationum, *mediâ charitate ſtravit propter filias Ieruſalem*; ita ut ſpiritualis intenſio amoris, quo S. Virgo concreditas ſibi animas inceſſanter proſecuta fuit, quemcunque corporalem, naturalem & humanum carnalium matrum excederet affectum; unde ſæpius ad ſuas converſa, his ſimilibuſque eas alloqui ſolebat verbis: *Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, ut ſugatis, & repleamini ab ubere conſolationis meæ, ut mulgeatis, & delicijs affluatis; ad ubera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis.*

2. Neceſſitates omnium præſentes ſublevabat, inſtantes prævenie-

Digitized by Google

veniebat, ſi quæ puſillanimis verecundior, aut reverentior ſuas occultaret neceſſitates, erigebat, provocabat, animabat, ut peteret; ni veſtes & indumenta earum ſuis ipſa manibus eluebat, aut reficiebat, nulli non ab obſequiis, juxta quod unjuſcujuſque, ſuadebat, urgebatque ætatis qualitas, *inſpectis ætatibus*, ut Regula præcipit, & *neceſſitatibus ſingularum*. Confeſſionis urgebat frequentiam, tantique Sacramenti inculcabat reverentiam & neceſſitatem; confeſſuras hâc plerumque inſtruebat ſententia: *Filiæ, memineritis vos jam jam Chriſti ſanguine abluendas*. Quotidie trinum ab omnibus, juxta conſtitutionum rigorem, inſtitui volebat conſcientiæ examen indiſpenſabiliter, non tam ut ad bonam ſe diſponerent confeſſionem, quàm ut defectus abolerent, quantumcunque minimos ſpirituali, inimicos profectui.

Induſtriè omnibus in neceſſariis ſuccurrit. Frequentiam confeſſionis Sacraminis conſcientiæ urget.

3. Alienorum onera laborum, humeris illa propriis alleviabat; volebat recreationes Religioſas ab illis in hilaritate, & abſque omni tranſigi perturbatione. Infirmas, & afflictas, ſeu melancholicas conſtantibus maximi amoris demulcebat obſequiis, nocturnis & diurnis alleviabat ſervitiis, erigebat ſolatiis: quotidie ſingulas alloquebatur ſeorſim, ut & ſpiritualibus & temporalibus uniuſcujuſque indilatè ſuccurreret neceſſitatibus, quamcunque filiolarum ſuarum corporalem aut ſpiritualem puſillanimitatem, reputans propriam, compatiebatur omnibus, præterquam ſibi, ad ægras quandoque dicere ſolita. *Vtinam his ego te pœnis liberare, meque yſdem cruciare poſſem*. Si quando intempeſtæ noctis ſilentio cujuſquam gemitum inaudiret aut ſuſpirium, confeſtim in pedes erecta, ad lectum accurrebat lamentantis, certa proprii corporis interrumpere quietem, ne alieni ſpiritus diſſiparetur tranquillitas: *Mulierem fortem quis inveniet? de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis; non exſtinguetur in nocte lucerna ejus.* Prov. 31. v. 10. 15. & 18.

Charitas erga ægras ac afflictas.

4. Rogabat, urgebat omnes, ne reverentiæ intuitu, ullo aut tempore aut loco, matri parerent, ſed accederent confidenter interpellarent audacter, informarent ſimpliciter, quotieſcunq; ſuaderet neceſſitas. Noctes itaq; & dies in charitatis officina deſudabat Magdalena, quæ aliquando rogata, ut tantillam ſaltem corpori, diurnis exenterato ſudoribus, indulgeret quietem, reſpondit: *filia mea, ſi neceſſitas ſuaſerit, hinc ne pedem movebo ante diem craſtinum, ſperans in Deum, vigilias mihi ne minimum allaturas nocumentum*. Aliquando

hoc ſe charitatis pabulo unicè ineſcari aſſerebat, eò quòd animas iſtas à religione, ſibi curæque ſuæ, ex voluntate divina concreditas noſſet.

5. Cœnobij ſeniores, tanto quandoque attonita ſus charitatis ſpectaculo, ſequentibus interpellavit verbis: *Filiolæ iſtæ mundum, patrem matrem, omneſque ſæculi reliquêre commoditates (avolarunt quaſi aves ex Ægypto, & quaſi Columbæ de terra Aſſyriorum) juſtum eſt itaque ut in religione talem nanciſcantur, quæ portet eas in brachijs ſuis, in funiculis Adam trahat eas, in vinculis charitatis per omnes religioſarum functionum ſemitas*; modò ad Tyrunculas converſa, dicebat: *filiolæ meæ, matrem deſeruiſtis unicam, inveniſtis plurimas; uni alteriue, quam reliquiſtis, carnali ſorori, ſpiritualium ſucceſſit ſororum turba, quæ vos tenerrimo, in DEO quemcunque naturalem & corporalem excedente, proſequentur amore.*

Oſe. 11. v. 11. Oſe. 11. v. 4.

Diſcretio ejus in agendo cum noviciis.

6. Ut Tyrunculas à ſæculi, parentum, amicorumque memoria avelleret ſuaviùs, multifariò amicabilis benignitatis impellebat argumento, quà connivendo, quà compatiendo in novitiatus præſertim exordio. Quoties puella aliqua Cœnobium ingrederetur, tempus probationi præſcriptum auſpicatura, ejusdem inclinationem, naturalem ſenſualitatem, & intentionem indagabat ſagaciſſimè: ſi intellectus ad diſciplinam, ſi ad obedientiam voluntas facilis atque expedita foret nullam non variis exercebat, probabat, expoliebat modis, æquali providentia & prudentia. Et ne cui benignitas matris ſupplantare videretur, quoſcunque religioſæ vitæ rigores, moleſtias, labores ſtatuta iterum iterumque ad amuſſim explanabat & inculcabat omnibus; cunctas ad religioſæ vocationis ſublimitatem amoroſius contemplandam, invitabat, his ſimilibuſque verbis: *Filiolæ meæ, opus grande eſt, quod molimini, neque enim homini præparatur habitatio, ſed DEO; ſi hæc vitæ norma vobis diſplicet, aliam inquirite, hac namque viâ conſtanter gradi, nobis certum, atque ſtatutum eſt*; ſi quam offendiſſet ad Religionis iugum ineptam, & inidoneam omni ſepoſito reſpectu humano, ad ſuperiorem deferebat,

1. Par. 29. v. 1.

Continuò culpam compeſcere docta, priuſquam
Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.

Profeſſandas

7. Cujuſcunque ſæcularis puellæ inveſtitionem, & ſolemnem Novitiæ profeſſionem, ardentibus multorum dierum præoccupabat,

Digitized by Google

cupabat, tum ſuis, tum aliarum orationibus, ſynaxi frequentiori. Religioſæ vigiliam ſolemnitatis, & noctem ultimam, inveſtitioni aut profeſſioni proximam, indefeſſis conſumebat in precibus, ſuo tenerrimè ſupplicans dilecto, ut neoſponſam ſuam cœleſtibus gratiis favoribus, chariſmatibus, ad religioſæ vitæ dignitatem oculatius penetrandam, & omnimodam vocationi ſatisfactionem præſtandam neceſſariis, prævenire, dotare, locupletare dignaretur. Vix inveſtitas, præter alia ſanctiſſima documenta, hàc ſolitâ exhortabatur pareneſi: *Filiolæ, primas DEVS, ſecundas hiſce, quæ vos ſuſceperunt, matribus & ſororibus gratias referte; per eas namque donum accepiſtis, quo excellentius (unico baptiſmali excepto) DEVS in hac vita nunquam contulit ulli electorum, ſcilicet ingreſſus in religionem; debita itaque gratitudinis obſequiis, & ſervitiis prævenite ſingulas, reputantes earum vos indignas conſortio.* Sic perfectionis Architecta à profundis humilitatis ſemper ordiebatur fundamentis, quæ ſublimes moliebatur ſanctitatis arces. enixe Deo commendat Eaſque in ſanct humilitate inſtruit

Caput XIII.

Qualiter Tyrunculas & Novitias in divini & mutui amoris, necnon in Orationis tramite direxerit.

1. Quæ in virginalium cordium Palatiis, ſolium aſſignarat virtutibus ſingulis, charitatem in vertice ſtatuit, virtutum reginam inſtanter admonens omnes, ut in virtutum palæſtra decertantes iugiter, indefeſſâ contenderent æmulatione, quæ mutui amoris, & reverentiæ palmam præriperet omnibus; eum volebat inter omnes ardere amorem reciprocum, qui inter unius eiuſdemque Patris & matris proles poteſt fervere flagrantisſimus; quamcunq; eliminabat originis ſtẽmatiſq; odioſam diſcrepantiam; omnes dictitans filias eſſe patris æterni Chriſti Jeſu ſponſas, templa ſpiritus ſancti, ſorores Angelorũ, proindeq; quoties convenirent, in angelorum cœtu, per caſtitatẽ virgineã figurato, ſe degere auctumarent nunquã Sol occubuit in diebus regiminis Magdalenæ, quin non uno eodemq; die, illa dilecti Chriſti diſcipuli ſententiâ, ſororũ inflamaſſet præcordia: *Filiolæ diligite alterutrum, quia præceptum IESV eſt*; Non rarò illam quoque S. Petri inculcabat doctrinam: *Filiolæ animas veſtras caſtificantes, in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde, invicem diligite attentius.* Amorem mutuũ inter Novitias tenet & commendat. 2. Ioa. v. 6. 1. Pet. 1. v. 22.

2. Tantum

Digitized by Google

2. Tantum à teneris medullis extorquebat mutui amoris exceſſum, ut vellet, ad quamcunque alterius memoriam, aut nudam de proximo cogitationem, ita exultare, jubilare, quaſi ad illud uſque momentum ſemper ſibi invicem incognitæ, tunc in primos ruerent amplexus; docebat, ut nunquam ſe, niſi ad amorem DEI exſtimulantibus ſalutarent verbis; ne animam cujuſquam livor arroderet ſpiritualis; plura aliis; quàm ſibi ipſi divina charismata & beneficia à DEO poſtulanda inculcabat; inquiens: *Filiolæ, ſi vobis unum, proximis duos petite chariſmatum gradus; ſiquidem certò vobis perſuadeatis oportet, ſorores veſtras, iis digniores, ad fructum ferendum capaciores, & ad dandam Deo gloriam multò vobis aptiores eſſe; hoc faciendo, animas veſtras à propria denudabitis æſtimatione & commodo, ad easdem uberius gratias recipiendas longè diſpoſitiſſimæ.*

Bona ſpiritualia aliis vult communicari.

3. Urgebat, ut altera alterius, tam ſpirituale, quàm corporale ex amore ſublevaret, & portaret onus, ſanctæ intuitu pacis, quia:

Pacis amor DEVS eſt, pacem venerantur amantes.

Ut ſpiritualia ſibi invicem communicarent bona, dictitans irreligioſam eſſe religioſam, quæ ſibi ſoli bona eſt, imò nec ſibi, nec aliis bonam eſſe, quæ ſibi ſoli videtur bona; earum itaque ſororum, quæ de ſpiritualibus facultatibus ſuis liberaliter erogabant in proximos, familiari trahebatur conſortio, cujus hanc aſſignabat rationem: *Etjamſi gratia divina in vobis torperent otioſa, nihilominus, ubi eas communicaveritis aliis fructum fortaſſis ferent.*

Pſ. 100. v. 5.

Detrahentiũ ac murmurantium pœna.

4. Detractionem, murmurationem, oblocutionem capitali proſequebatur odio, inimicitiâ irreconciciabili, pœnis contorquebat graviſſimis, gloriabunda forſitan cum Pſalmiſta: *Detrahentem proximo ſuo, hunc perſequebar.* Si quæ ſibi ſubditarum, vel leviter hoc ſe nævo contaminaſſet, veluti maculam turpiſſimam hunc in modum eluebat protinus. Rea illo die à communi exulabat Oratorio, donec ab omnibus novitiis veniâ humiliter petitâ, linguâ ſuâ detractrici crucem efformaſſet in pavimento. Quæ in eodem crimine exceſſerat enormius, in terram proſtratæ os conculcabatur à ſororibus omnibus, quandoque & trino virgarum ictu cædebatur à ſingulis. Porro, ut virtutis hujus excellentiam cordibus omnium imprimeret perfectius, firmaret ſolidius, omnem illum titulo *Sancti*, vel in vita etjam mortali afficiendum aſtruebat, cui malus nunquam

contra

Digitized by Google

contra proximum excidiſſet ſermo: *qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adversùs proximos ſuos.* Pſ. 14. v. 3.

5. Efficaciſſimum detractioni remedium aſſignabat, rarum de proximo ſermonem, etiam in rebus bonis; ſiquidem (dicebat illa) *diſcurſus inchoari amat à bono, terminari in malo.* Quoties de abſente proximo incideret mentio, vetabat ſeveriſſimè verbulum proferri, quod eius præſentiam quomodocunque offendere potuiſſet; Si quæ animorum contentio, mutuum violaſſet charitatis vinculum, quietem nocturam inhibebat reis, donec utraque bis ſupplex veniam petiiſſet offenſæ; atque ita charitatis perfectionem mirum in modum augmentabat in omnibus. Remedium contra detractionē.

6. Ut ſanctæ orationis ſtudium & deſiderium in cordibus accenderet omnium, iis extremam virtutis hujus neceſſitatem & utilitatem ſæpè ſæpius ob oculos ponebat, illam aſſerens in mundi hujus oceano veluti compendium eſſe viæ cœleſtis, & breviſſimum perfectionis tramitem; in orationibus enim CHRISTUS animas docet, & à terrenis avulſas vanitatibus, divini unit ſublimitati; ideoque dicere conſueverat: *Filiolæ, ſi compendioſam quæritis perfectionis ſemitam, Magiſtrum ſatagite habere Ieſum Chriſtum; eiuſque ſedulò auſcultate verba, ſemper enim veſtra alloquitur corda, præſertim autem poſt Communionem ſacram. Orationibus vacate, unio namque cum Deo per orationem, mentes ab omni ſequeſtrat Creatura, ſoli conglutinat Deo. Nolite confidere in amicis, aut quacunque re tranſitoria; unus nobis ſufficit Deus, qui omne ſubminiſtrat bonum, & plenam otorum veſtrorum ſatiſfactionem.* Oratio compendiū eſt viæ cœleſtis.

7. Accuratam ſingulis præſcribebat meditationis Regulam, quaſque in ea imbibenda depræhendebat tardiores, ſpecialibus imbuebat dogmatibus, aut ipſamet cum iiſdem meditationes per diem aut noctem exorſa, cunctas in ſancta mentalis orationis palæſtra, impulit, promovit, conſummavit; præterquam quòd ipſa S. Virgo in his exercitiis multoties à ſenſibus alienata, ſubtilem rerum divinarum explanationem fuerit aſſecuta. Ad ſolemniores Eccleſiæ ſanctæ feſtivitates, octo decemve diebus per prævia orationum, mortificationum, ſimiliumque virtutum ardentiora exercitia, tanquam ad cœnam nuptiarum agni, ſe, ſuaſque iugiter diſponebat; inquiens: *Gaudeamus, & exultemus, & gloriam demus ei, quia venerunt nuptiæ agni.* Studium orationis mentalis. Apoc. 19. 7.

Digitized by Google

Pro v. 31. v. 21. 22.

Nec timuit domui ſuæ à frigoribus nivis, omnes enim domeſtici ejus veſtiti erant duplicibus; ſtragulatam pretioſarum virtutum *veſtem fecit ſibi*, byſſus juſtificationum *& purpura* mortificationum *fortitudo* conſtantiæ *& decor* pudicitiæ, *indumentum eius. vid. ſup. c.* 4.

8. Ut debitam divini ſervitii reverentiã cordibus imprimeret omnium, cunctos ad, chorum, veluti ad tremendum Dei thronum invitabat, in quo infinitæ Majeſtatis Dominus cum pavore colitur, honoratur, adoratur. Quem qui circumſtant; requiem non habent die ac nocte, dicentes: *Sanctus, Sanctus Sanctus Dominus Deus omnipotens.* Multoties his, ſimilibuſque verbis mentes priuſquam ad chorum accederent; ad debitum divinæ gloriæ & honoris tributum exſolvendum, ſuccendere, atque inflammare conabatur, *Filiolæ corporalibus hujuſque vacaſtis exercitijs, converſantes cum hominibus; ex nunc verò ad Angelica tranſibitis, Deum allocuturæ. Tanta eſt harum functionum ſublimitas, ut ipſi Beati ſpiritus, admiranda præditi puritate; paventes & trementes ijsdem fungantur, quâ igitur reverentia, nos viliſſimas creaturas in Altiſſimi conſpectu compareamus oportet?* Porrò ut preces optatum ſortirentur effectum multiplici humilitatis, & exinanitionis propriæ condimento præparandas dictitabat, ut ſe indignas reputarent, quæ cum ſanctis ſpiritibus Deum Majeſtatis colerent, & glorificarent, ut orationes ſuas cœleſti ſponſo in unionem offerrent laudum & præconiorum, quæ patri æterno cœleſtes conſecrant ſpiritus; *quantumvis enim*, dicebat illa, *laudum noſtrarum ignobilitas, ad cœleſtium puritatem, quas Majeſtati divinæ ſpiritus offerunt beati, pertingere nequeat; Nihilominus eandem divinæ glorificationis excellentiam nobis deſiderare licet.*

Iſa. 6. v. 3.

Præparatio ad divinum officiũ.

Oratio humilitate condienda eſt, ut ſit grata Deo

Martyrii deſideriũ

9. Quoties in uniuſcujuſque pſalmi termino ſubnectitur *Gloria Patri &c.* caput maximâ animi promptitudine & profundâ humilitate inclinandum eſſe docebat, in ſignum deſiderii oppetendæ, pro fide Chriſtiana, mortis, in gloriam S S. Trinitatis.

Cura exacta cæremoniarum.

10. In choro omnes palpebris demiſſis, corpore erecto, ſitu modeſto aſſiſtere volebat; invigilans ſedulò, quam in cantu, genuflexione, inclinatione, aliiſque Cæremoniis ſingulæ ſervarent uniformitatem. Prævaricatrices modò ſuavibus, modò durioribus pro re nata perſtringens verbis: ſemel novitiam, cujus obſtinatam in choro negligentiam nequierat corrigere nutu, inchori

chori medium evocatam exire juſſit, ad cujus latus propter inobedientiam puellæ, ſaltantem viderat ſuperbiæ ſpiritum.

11. Chorum quibuscunque particularibus meditationibus, contemplationibus & devotionibus præferendum aſtruebat; unde aliquando novitiæ meditationibus, choralis officii tempore, vacandi licentiam petenti, reſpondit: *filia, tuæ forem injurioſa animæ, teq; fallerem, ſupplicæ annuendo; putas equidem, te majus* DEO *ſervitium & obſequium per particularia pietatis exercitia præſtiturum, ſed falleris turpiter; ſiquidem quæcunq; oratio, & pietas ſeorſim exercita, quando choro intereſſe tenemur, coram Deo exilis eſt meriti.* His, ſimilibuſque modis omnes ad continuam aſſiſtentiam divini in choro officii potenter exhortabatur, ſuaviter conſtringebat, cui ipſamet nunquam defuit, præterquam infirma. Chor' particulari devotioni præferendus eſt.

Caput XIV.

Quantam Tyrunculas docuerit, omnibus in operibus, intentionis puritatem, item cum DEO *& Superioribus unionem, præſertim in deſolationibus & preſſuris.*

1. ACtiones religioſas columbino puræ intentionis oculo diſcernendas & peragendas, evincebat argumentis variis, quotidie quaſi dicere ſolita: *filiolæ, ſi quis pura intentione, ex ſolo divinæ gloriæ motivo operaretur ſingula, poſt mortem, rectâ tranſiret in paradiſum, abſque purgatorij igne*; Peſte execrabilius aſſerebat opus illud, quod aut importunior extorſerat hypocriſis, aut vitiarat ſegnities, aut quicunque alius divino inferior direxerat intuitus; utque virtutis hujus omnibus adderet ſtimulos, modò hanc, modò requirebat illam, quâ hoc illudve exercitum intentione inchoaſſent, obirent, proſequerentur. Interrogabat aliam: *Quid meditare filia? ubi eſt cor tuum? quoties hodie pro religioſa vocatione gratias egiſti Altiſſimo? quas in horarum Canonicarum lectione foviſti cogitationes? quem ex refectorii lectione, quem ex hac illave admonitione aut ſermone, quem ex meditatione hauſti fructum?* Puræ intentionis præſtātia. Novitias examinat.

ſacrâ refectas communione; præſertim omni feriâ quintâ, quam diem nuncupabat *amoris*, eidem ſubiiciebat examini: *Quid hodie Ieſus ad te divertens, in tuo ſermocinatus eſt corde? quot illi pro collato ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti beneficio egiſti gratiarum actiones?* Feriis ſextis, quas *dies* appellabat *nuptiarum*, ſuas hunc in modum interrogabat: *Nunquid advertiſtis filiæ, quid pro vobis operatus ſit Ieſus?* Atque ita per ſingulos alios dies, juxta myſteriorum & occurrentium ſolemnitatũ diverſitatem, interrogabat, docebat, perficiebat, ita ut neophyti ſpiritus, & ſanctam ſemper nutrirent intentionem, & cordis latebras, quantò conſtantius Magiſtræ patefacerent, tantò pertinacius dæmoni occulerent; quo pariter fine ordinarat, ut culpas ſuas quotidie motu proprio accuſarent Novitiæ.

2. Aſſignabat continuam, per omnia & in omnibus, humani unionem intellectus, & voluntatis cum DEO, cogitationibus ſanctis, deſideriis cœleſtibus; aliis itaque hujus unionis difficultatem, aliis impoſſibilitatem pertimeſcentibus, reſpondere conſueverat: *Impoſſibile equidem eſt, cogitationes ſemper in Deo fixas circumferre, hæc enim perfectio patriæ eſt, nihilominus quæ nos Deo inceſſanter uniat, in via poſſibilis eſt intentionis relatio, quæ corporalia & ſpiritualia exercitia noſtra, in ſolum dirigat divini honoris & gloriæ finem, hocque modo ſemper unimur Deo.* Scalam porro rectiſſimam, & unicam, quæ ad unionis huiuſmodi culmen perducat, religioſum aiebat eſſe ſilentium, cuiùs ſtrictiſſimam ab omnibus extorquebat obſervantiam, dicens; *In ſilentio & Spe erit fortitudo veſtra.*

Unio cum Deo.

Iſa. 30. v. 15.

3. Si quæ ſilentium violaſſet, tempore collationis ſpiritualis, ſermonem interdicebat garrulæ, inquiens: *volo ut religioni detur, quod religionis eſt.* Ne autem otiantibus linguis, mentes liberius divagari inciperent, per mundialium ambitus vanitatum, aut in anfractibus laſſari cogitationum inanium, volebat, ut jugiter in mentibus volverent eas, quas JESUS à duodecimo uſque ad trigeſimum ætatis annum obiuit, & Evangeliſtæ ſancti ſubticuêre functiones.

Silentii obſervatio.

4. Turpiter falli aſſerebat Religioſam, quæ divino ſe conſecrat ſervitio, ut guſtus & conſolationes obtineat ſpirituales, ſiquidem DEUS non in lætitiæ vanitate, ſed virtutis reperitur veritate, quæ in triſtitia, ſuſpiriis & tribulationibus deliciatur; imò indignam judicabat Ancillæ DEI titulo, quæ huiuſmodi aut neſciret, aut ſubterfugeret anguſtiarum ſqualorem, neque ullam ab anima-

Non eſt Deo Serviendum ob ſpirituale guſtũ.

bus iis

Digitized by Google

bus iis ſperandam conſtantiam & firmitatem, quæ ad perfectionem continuis ſpiritualium illecebrarum fomentis traductæ videntur; ſiquidem, dicebat illa, *virtus non eſt, quam non exercuit tribulatio aut tentatio; Deus à creaturis ſibi ancillantibus perfectam exigit mortem, ut mille vijs & modis, omni horâ & momento, ſibi ipſis inferant mortem; quemadmodum enim vita carnis noſtræ fovetur & nutritur ſenſualitatibus, ita mors carnis, omnimodâ gaudet conſolationum, guſtuumque ſenſualium abolitione, jejunijs, vigilijs, & alijs rigoribus. Intellectus & voluntatis noſtræ vita, eſt exaltatio propria; mors utriuſque, perpetua ſubjectio & obedientia; Hanc ſibi mortem inferat oportet, quæ vera Dei ancilla eſt; ſe autem turpiter illudit, quæ hanc ſibi mortem promittit è mellis & lactis guſtu, inter exteriores aut interiores dulcedines; nam fieri nequit, quin magnos ſentiat cruciatus, quæ verè moritur, ut in ſe habitet Deus.* Continuam proinde Novitiæ cujuſdam ab omni immunem tribulatione & anguſtia nimiam admirata tranquillitatem, dicebat: *Timeo, ne omnes cogitationes tuas exterioribus applicaris, interioribus nullam.* Subijciebat poſtmodum: *contriſtare filia, quòd diem hunc dilapidaris inutiliter, dum nullâ te ipſam morte affeciſti.*

5. Actiones ſublimes, quæ nullam præ ſe ferunt perfectionis ſpeciem, iis præferendas docebat, quæ & magnificentiam præcontinent in ſe, & Majeſtatem ſpirant in apparentia. In exilium relegari jubebat torporem, nil attentari, ne minimum ne maximum, citra ſpiritus feruorem, & ferventisſimum perfectionis deſiderium; ſi quam depræhendiſſet in exercitiis remiſſam, tepidam, ſomnolentam, hac perſtringebat correptione: *Perſona Religioſa otioſa, Religioni eſt oneroſa; ordine præpoſtero portatur à religione, qui portare debebat Religionem.* Ut autem torpedinis zizania exſtirparet funditùs, ſuas ſemper volebat occupatas, nunquam à ſpiritualibus aut corporalibus vacuas functionibus; ita ſtantes urgebat, currentes impellebat Magdalena; neque erat vel ulla inter omnes filias, quæ matri non applauderet: *Meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis omnibus, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te; exultabimur & lætabimur in te, memores uberum tuorum.*

Actiones humilitatē præ ſe ferentes, ante alias amplectendæ. Tepor exterminandus.

Cant. 1. v. 1. & 2. v. 3.

CAPUT XV.

Quantam ab ijs exegerit Religioſæ paupertatis Obſervantiam.

 1. Pauper-

Digitized by Google

Vera com. munitas in conventu S. Mariæ Magdalenæ.

1. PAupertas religioſa præcipuum quodamodo, virtutes inter principaliores, in Cœnobio S. Mariæ de Angelis ſibi vendicarat dominium, omnibus benigna, nulli Tyrannis, omnibus familiaris, nulli inviſa; ſine perſonarum differentia æquale à ſingulis extorquebat tributum, ita ut nulla quid proprium ſibi vendicaret, ne minimum quidem; ſolæ haberent ſuperiores, quod neceſſitati ſubminiſtrarent, non prodigerent, nulli appropriarent.

Paupertatẽ effectu, & affectu docet ſervare.

2. Ut igitur Virgo ſancta in tantæ virtutis amorem corda neophyta attraheret potentiùs, pelliceret efficaciùs, eam fundamentalem totius Religioſæ perfectionis lapidem eſſe dictitabat; & quia, teſte S. Bernardo, plus concupiſcentia mundi, quàm ſubſtantia nocet, cautâ indagine ſcrutabatur, in quid vel maximè inſimus uniuſcujusque, etiam ſub ſpecie boni, propenderet affectus, ut ſaluberrimum paupertatis emplaſtrum applicaret malis.

Superflua obligat.

6. Internam ſemper & ubique defectuum ſuorum, Deique beneficiorum ſibi præſtitorum, circumferat cognitionem, æſtimans, ſe nullum ex his ferre fructum, ſed quemcunque potius alium ſimilibus longè gratiorem fore Dei favoribus, & chariſmatibus.

Caput XVIII.

Qualiter Novitias probarit in obedientia, & propriæ voluntatis abnegatione.

Propriam voluntatem ac inclinationem mortificat.

1. UT uniuſcujuſque intellectus compeſceret licentiam, voluntatis ſepeliret arbitrium, penebrabat ſedulò, ad quid unamquamque propria maximè inclinaret propenſio, ut contraria conſuleret, juberet, extorqueret: Orationis amantes, ad quietem aut operationes aliquas; functionibus deditas exterioribus, ad orationes & alias interiores occupationes applicare & conſtringere ſolita: Pœnitentiæ, mortificationi; rigoribus addictas, unam ſubindè, alteramuè orationem dominicam, aut ſalutationem angelicam recitare volebat; quæque à pœnitentiis abhorrebant, rigoribus onerabat. Atque ita innumeris aliis viis, & modis ſingulos virtutum gradus, cum perfectiſſima voluntatis propriæ abnegatione, promovebat in ſingulis.

Obedientiæ exercitia, & fructus.

2. Orantibus aliis, Cellularum feneſtras, aut dormitorij numerare gradus, aliis aquam ſuperimponere igni, moxque auferre jubebat; aliis papiliones capere in horto; alteri, ut quotidie in horto iuniores adiret herbarum plantulas, ab ijſque methodum ediſceret perfectæ orationis; paruit novitia cum inſigni ſpiritualis boni incremento, cujuſque ſpiritus antè in orationibus contabuerat præ ariditate, poſtmodum in meditationum cæpit exardeſcere incendio.

Defectus quomodo emendarit.

3. Defectus modò indilatâ, modò tardâ perſtringebat correptione, quæque ſuas ultraneo humilitatis motu non expiaverant noxas, poſtquam decubuiſſent, è ſtrato ſurgere præcipiebat, ut flexis genibus cum omni animi ſubmiſſione, veniam poſtularent, emendationem promitterent, quam ut præſtarent facilius, omnes jubebantur

Digitized by Google

bantur matri quotidiè ſub veſperam inſinuare, quoties in hanc, il-lamvè imperfectionem, ob quam repræhenſæ fuerant, relapſæ fuiſ-ſent; Si quæ igitur frequentiùs præ aliis iterarent recidivam; eun-demque ſæpè ſæpiùs multiplicarent defectum, eas repudiabat cum dicto: *non mihi ſupereſt amplius, quod vobiſcum teram tempus, ſiquidem mea in vobis otioſa feriantur monitiones.* Incerto autem tempore, dum minimè præſtolabatur rea, eam acceſere, culpaſque, quas antè au-dire recuſarat, interrogare ſolebat, ſicut & cogitationes, ſi quas fortè ad ultimam repudiationem elicuiſſet animi indignatio, aut ſpi-ritus fouiſſet amarulentia. Aliàs quandoque interruptâ quiete, & intempeſtâ nocte è lecto ſurgere, inque Oratorium ſecedere juſſit, ubi poſt acrem repræhenſionem, ut uſque in diem craſtinam perſi-ſterent, imperabat, ſolita quas reas ligarat, mox ſolvere obſe-quentes.

4. Tyruncularum una probationis tempus auſpicata, die quo-dam maturius ſurrexerat ſolito, ut choro aſſiſteret cum reliquis, ze-lum advertit, ſimulque mortificavit Maria Magdalena, quando pu-ellæ juſſit, ut à Prioriſſa licentiam peteret divinum frequentandi officium, petiit, impetravit; aſt reduci imperavit Magdalena re-petere lectum: paruit novitia; ſed vix ad ſtratum regreſſam, his no-vis adoritur mandatis: *ſurge veſtire, nobiſcum chorum frequenta; hæc feci, ut tuæ ſpecimen caperem obedientiæ.* Impoſitas quandoque pœni-tentias, tempore quo adimplendæ erant, revocabat cum dicto: *Sufficit mihi tua mortificatio voluntatis, animique promptitudo.* Zelum intem-peſtiuũ repri-mit.

5. Quemcunque obedientiæ actum hilari alacritate, & ala-cri hilaritate adimplendam docebat, cui, ut moram gererent faci-lius, non tam præcipientis perſonam, quàm Deum, qui præcipien-tem præfecit, cujuſque vices ſuperior gerit, attendendum incule-cabat, dicens: *Filiola, non creaturis, ſed veſtram Deo conſecraſtis volunta-tem, homo autem Dei fungitur vicibus.* Omnibus ſuperioribus, ſibi-que præfectis, quantumvis laicæ forent, exactam jubebat præſtare obedientiam, ſimplicem abſque diſcuſſione, feſtinam abſque mora, hilarem abſque torpore, liberam abſque neceſſitate, cæcam abſque intellectu, fatuam abſque ratione; ſiquidem, *non multi ſapientes ſe-cundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes; ignobilia mundi & contempti-bilia elegit Deus, ut ea, quæ non ſunt, deſtrueret.* Homi-ni obe-diendũ pro-pter Deum 1. Cor. 1. v. 26. & 27.

Cingulo tentationẽ ſedat.

6. Gravem cujusdã Novitiæ tentationem ſuo diſſipavit cingulo, quo Tyruncula ſe hunc in finem præcinxerat ex ſimplici obedientia. In S. obedientiæ palæſtra volebat deſudare ſingulas, curſu penitus indefeſſo: pithagoricam iis maximam quodammodo inculcatura: ἄυτη ἴφα, ipſa dixit.

Pulchrum obedientiæ documentum.

7. Saluberrima inter obedientiæ documenta, quæ dabat quotidiè, hoc facilè præeminet inter cætera, uſitatum frequentiùs: *filiolæ, quouſq; obedientiæ manibus vos neglexeritis conſecrare mortuas, deguſtare nunquam poteritis, quid ſit ſervitium divinum. Veſtram Deo in holocauſtum offerte voluntatem, magnamque experiemini pacem; ſi voluntatem Dei adimplere paratæ eſtis, ſuperiorum voluntatem cavete, ad veſtrum quocunque minimo ſigno aut verbo inclinare beneplacitum, ſed omnibus earum parete nutibus; hæc vera ad ſublimen perfectionem eſt ſemita; Obedientia difficilior, exigui index eſt amoris divini, ſiquidem in re tantilla, quâ Deus honoratur ſublimiter, veſtræ parcitis abnegationi.*

Nil abſque licentia fieri volebat

8. Ne minimum permittebat attentari ab ulla ſine licentia prævia, cujus obedientiæ difficultatem ne prætenderent ob ſanctæ Matris quandoque abſentiam, unicuique S. Virgo aſſignarat ſociam, cujus, abſente ſe, conſenſum poſtularent in ordine ad quamcunque functionem; ſique hanc ipſam fortè abeſſe contingeret, vicinam alteram ab altera, agendorum licentiam petere, in ejuſque virtute cuncta peragere ordinarat, ne ulla Religioſa functio meritò viduaretur S. Obedientiæ. Verbum *volo*, aut *nolo* blaſphemiam eſſe aſtruebat in ore Religioſo; ſi quæ novitia alterutrum horum protuliſſet, in expiationem flagitii, jubebatur linguâ terram lambere, aut crucem efformare in terra, aut os prævaricatricis conculcari pedibus omnium, aut trinis virgarum ictibus os flagellari à ſororibus ſingulis.

Volo, aut *nolo*, in ore Religioſi Blaſphemia eſt.

Quintuplex obedientiæ effectus.

9. Denique ut Neophytas mentes ſincero virtutis hujus amore ineſcaret ſuavius, hanc quintuplicem veræ perfectæque obedientiæ aſſignabat gratiam, & effectum: 1. quòd Deum ſuperioribus & ſubditis, bonum hujuſmodi obedientiæ habentibus propoſitum, uniat intimius. 2. quòd omnia præcepta, tam levia, quàm gravia, tàm ſuavia quàm amara ſine diſcrimine reddat acceptiſſima. 3. quòd animas placet, interioriq; conſolatione, & mirâ repleat ſuavitate. 4. quòd Eccleſiæ opituletur uberiùs; ſiquidem oratio obedientis penetrat Cœlum, impetrat poſtulata. 5. quòd coronam texat vertici divino;

Digitized by Google

divino; quemadmodum enim corona Majeſtatem denotat Regis, ita obedientia perfecta honorat, glorificat, ſublimatque Deum in omnibus.

Caput XIX.

Qualiter animas ad Religioſa perfectionis apicem traduxerit, & uniuſcujuſq; penetravit indolem, & ſecretiora Cordis.

1 TAnta, tamque indefeſſa in tenellis irrigandis religioſi paradiſi plantis, S. Virginis deſudabat cura, æſtuabat ſollicitudo; & nihilominus quaſi debitas obligationis ſuæ partes minimè expleſſet, quodammodo ingemiſcens, lamentabatur: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodivi.* Tantòque animus trepidabat formidoloſior, quantò præceptum à Domino acceperat ſeverius, ut ſibi creditarum aut credendarum animarum curam ageret ſolertisſimam, tot ſemper & ubique circumferens oculos, quot dirigens animas. Anguſtos itaque naturalis obtutus limites egreſſa, oculo angelico, lumine cœleſti, inclinationes & paſſiones penetrabat, ſpiritus ſecernebat omnium, ut ſingulis, quaſi unam duntaxat diſciplinæ ſuæ ſubditam haberet, fieret omnia; tot dirigendi, tot erudiendi, & perficiendi uſurpans methodos, quot regebat animas. Capacioribus imperare frequentius, rudioribus compati benignius, ingenioſiores perſtringere acrius, ſimpliciores erudire manſuetius, perficere ſubtilius, puſillianimes erigere ſtudioſius, idiotas æſtimare ſublimius, quotidiana ſatagebat Mariæ Magdalenæ induſtria.

Cant. 1. v. 5.

Cura ejus in regendis animabus.

2. Alias ſeveris onerabat repræhenſionibus, minimamque earum imperfectionem, inſigni eluebat pœnitentiâ; alias propter eundem [quandoque & graviorem] defectum aut commonebat benignè, aut penitùs ſupportabat; cum alijs connivebat in omnib⁹, ne in minimo quidem defectu diſpenſatura cum aliis. Quasdã amicabili demulcebat ſermone, nullo alias dignata verbo, eâ nihilominus ſemper diſcretione, cautela, prudentia, ut citra omnem iracundiæ motũ, invidiæ malum 'diſſenſionum turbinem, cum omnimoda animarum tranquillitate, ſingulas ſingulæ approbarent, ſibique perquam utiliſſimas reputarent dirigendi methodos, congratulabundæ: *venerunt mihi omnia bona cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.*

Diverſus novitias exercendi modus.

Sap. 7. v. 11.

3. Quod

3. Quod prodigioſius retulerim mirabantur ſeniores, ſtupebant Juniores; qualiter uno eodemque tempore in hanc duris debacchari repræhenſionibus, illā amicabilibus, melleiſque verbis demulcere poterat Magdalena; hanc immiti, ſevero, iracundo perſtringere obtutu; illā facie comi, blandâ pacata conſolari & lætificare: hanc exultabundam, ne modeſtiæ limites excederet coercere, illā puſillanimem ne in triſtitiæ & deſolationis cœno contabeſceret, animare, impellere, confirmare: modò hujus reprimere ardorem, modò illius ſuccendere teporem; ita corporalibus omnium conſulere, & ſuffragari indigentiis, ut & animarum promptiſſimè ſublevaret inopiam; ita ſpiritualibus abolendis indefeſsè inſudare neceſſitatibus, quaſi totam induſtriam, curamque ſuam devoviſſet corporalibus; ſuperiorum omnium prototypon effecta coram mundo, angelis, & hominibus; *omnibus omnia facta, ut omnes faceret ſalvas.*

Corpori cōſulit, & ſpiritui.

1. Cor. 9. v. 21.

4. Quantumvis frequentioribus aliquas exerceret pœnitentiis, & mortificationibus; cum tanta nihilominus providentia & diſcretione, id ſemper practicare noverat; ut vel ipſæmet reæ, palparent & profiterentur ingenuè, percutere Magdalenam, non ut ſterneret, ſed erigeret, non ut occideret, ſed ut vivificaret. Unde multoties præſcriptos pœnitentiæ & humilitatis actus, ubi voluntates depræhenderat obſequentes, revocabat, priuſquam executioni mandarentur.

Lenitas in puniendo.

3. Reg. 19. v. 5.

5. *Zelo zelata pro Domino Deo exercitium*, ad graviores quandoque excandeſcebat adoleſcentularum defectus, ſuperioribus dictum memorans: *Iraſcimini & nolite peccare.* Aſt nunquam in ſimili motu audita eſt repræhendiſſe quempiam, ne vindictam potius, quàm emendationem extorſiſſe putaretur. Si quæ novitia reſpondiſſet moroſè, ſancta Mater benigno, comique vultu excipiebat reſponſum, repræhenſionem & pœnam differens, uſque ad conſtitutum tempus; Adoleſcentulæ unius ex diabolico inſtinctu adversùs S. Matrem irritatæ animoſitatem, multis patienti ſilentio menſibus devoravit Magdalena; donec tandem indignatione novitiæ mitigatâ, ſancta Mater commodam nacta occaſionem, contumacem ad criminis agnitionem & pœnitentiam induxit.

Pſ. 4. v. 5

In motu nullam reprehendit.

differt reprehenſionem ad opportunius tempus

6. Opportuniſſimum increpandi, docendi, corrigendi, diſciplinas, mortificationes, aliaſque pœnitentias Novitiis imponendi tempus aucupabatur, immediatè poſt earum orationem, aut alias functiones ſpirituales, tum quia eo maximè tempore illa animarum

fervet

Digitized by Google

ſervet diſpoſitio, ut optatus monitionibus & pœnitentiis fructus reſpondeat; tum ut præſumptuoſum hujus illiuſue contunderet ſpiritum, quæ ſibi in delicioſo orationum profectu complacere poterant inaniter; tum denique ut genuinum orationis probaret, dignoſceretque progreſſum, cujus præcipuus effectus eſt, propriæ mortificationis & abnegationis amor. Unde ſi maternæ eo in tempore factæ repræhenſioni, alicujus novitiæ obſtreperet infirmitas, his eam acriter increpabat verbis: *Ab oratione redux, parata ſis oportet ad quamcunque recipiendam correptionem & pœnam, quà verbis injurioſis, quà reprehenſionibus, quà oblocutionibus; tamque ſolidè in Deo firmata, ut nihil penitus animæ tuæ quietem deſtruere poſſit aut perturbare.* Optimum corrigendi tempus, poſt orationem.

7. Tam zeloſus S. Virginis amor, & amoroſus zelus repræhenſiones condiebat omnes, ut, quò in increpando filias foret pertinacior Mater; eò Matrem ſuſpicerent, venerarentur, diligerent conſtantius filiæ, poſt correptionem dicere ſolitæ. Ecce veram Matrem. *Tam vivus erat* S. Matris *ſermo & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus,* ut novitiarum proteſtarentur aliquæ, ſe per medias etiam ſpinas, ad audiendam S. Matris doctrinam advolaturas; ſiquidem non tam Magdalenam, quàm cœleſtem ſibi intueri, & auſcultare videbantur ſpiritum in Magdalena, divino quodam ex oculis ejus promicante ſplendore, qui recreabat, & illuminabat omnes. *Hebr. 4 v. 12.* Libenter à Novitiis auditur.

8. Quæ male conveniunt, & varius una in ſede morantur Majeſtas & amor, æquale ſibi ſolium erexerant in Magdalenæ præcordiis, ſiquidem uno eodemque tempore, dura & miſericors, animoſa & humilis, ſevera & amabilis; ipſa trepidabat præ ſubmiſſione, languebat præ amore, verita verbum eloqui, quod diſplicere poſſet; aliàs terrebat Majeſtate, eneruabat ſermone, neſcia occulere verbum ſalutis. Si quæ novitia impoſitam ſibi pœnitentiam detrectaſſet inobediens, ipſamet eam implebat S. Mater, quaſi proprium expiatura reatum, tantâ animi ſubmiſſione, ut conſtanti humilitate confunderet ſuperbiam & humili conſtantiâ contunderet pervicaciam. Si quando nihilominus Tyrunculæ inſania induruiſſet obſtinatior, S. Mater multis cum lachrymis, novitiarum aliquarum pedibus aduoluta, rogabat, ſibi dicerent, quid porro in talis immorigeræ ſalutem ſibi operandum foret, atq; ita, quæ contumacior jugum repudiarat obedientiæ, plerumq; emendatior compedibus illaqueata Magdalena amabilis ſimul ac formidabilis.

Digitized by Google

fuit verecundiæ. Tanta Matris exinanitio, quæ ipſos propemodum lapides emollijſſet, obſtinato unius puellæ ſpiritu palmam ceſſura videbatur; quæ, veluti à Sole lutum, magis magiſque indureſcebat quotidiè, à tanta S. Matris humilitate. Puellam ſuperbiæ ſpiritu agitari prudens advertit Magdalena, quem ut exterminaret gloriosè, in furore ſpiritus, in Novitiam flagris & diſciplinis bacchari cœpit, cum dicto: *Probabo, uter prævaleat; an Deus, cujus ego perſonam ſuſtineo indigna, an diabolus, qui cor hujus captivat puellæ; percutiam, neque deſiſtam, uſque dum alterutri victoria cedat.* Icit, cæcidit triumphavit Magdalena, & puella ſuum execrata ſcelus, humilis ad pedes corruit directricis, profiteri docta: *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt; bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.* Atque ita *obſtetricante manu* Virginis ſanctiſſimæ, *eductus eſt coluber tortuoſus, dum prudentia ejus percuſſit ſuperbam.*

Superbam humiliat flagris. Pſ. 22. v. 4. Pſ. 118. v. 71. Iob. 26. v. 13.

9. Nunquam defectum arguit alterius, quin juxta præceptum Domini, ſibi ſpecialiter datum, animæ ſuæ latebras prius ipſa evertiſſet, ſedulòque exploraſſet, utrum in corde ſuo ſimilis latitaret noxæ labecula; & licet inibi, ne umbram quidem offenderet illius alteriuſuè culpæ, nihilominus ſemper, quoties alias reprælienderet, diverſos in ſeipſa multiplicabat humilitatum actus, omnium ſe reputans imperfectiſſimam; unde factâ alteri repræhenſione, ſuam coram Prioriſſa quandoq; incuſavit ſuperbiam, quòd ſcilicet arguiſſet meliores ſe veruntamen non ex alio, quàm charitatis & muneris ſui adimplendi motivo; interim ſi exceſſiſſet, ſupplici ſibi ignoſceret, reamque puniret, juxta exceſſus gravitatem in conſpectu omnium.

Humiliter alias arguit.

10. Pœnitentiam alteri non impoſuit ullam, quam non prior exercuerit ipſa; nihil ulli unquam ſororum præcepit, niſi præhabito conſilio cum Jesu Christo.

11. Quantumvis in humilitatis palæſtra, uſque ad Mortem aſtrueret deſudandum eſſe omnibus; nihilominus tamen neophytos præſertim ſpiritus, continuo mortificationis & humilitatis torculo ſubigendos dicebat, inquiens: *humilitas junioribus Religionis plantis infundenda eſt, quemadmodum oleum lampadi; ſicuti enim non illuminat abſque oleo lychnus, ita nec juvenes Religionis plantæ, ullum ſanctitatis, aut perfectionis lumen dabunt, niſi continuò ipſis affundatur humilitatis oleum.*

Humilitas junioribus ſpecialiter neceſſaria.

12. Ne

Digitized by Google

12. Ne ullius Novitiæ hypocriſi aut fictâ ſupplantaretur humilitatis ſpecie, Dominus eam prærogativâ dotarat intimos, virtute quadam cœleſti penetrandi cordium receſſus, præſertim. ut clarè diſtinctéque cognoſceret, quæ novitia verum eliceret humilitatis actum, quæque falſam obtruderet ſubmiſſionis larvam. Vice quâdam Novitiarum una Matrem acceſſit, ſpeciem præſeferens humilitatis, quæ ut ſe juſtificaret, maculam ſuam alienis ſordibus eluere ſtatuerat; necdum fari cœperat ſuperba quando præventa audiit à S. Matre: *Soror, ſi ore taces, tace & corde; quodque meditaris eloqui ſilentio occulta.* Aliam reſpectus impulerat humanus, ut à ſancta directrice ſua, licentiam extorqueret; ſpiritualia quædam peragendi munia extraordinaria; quæ latebras cordis ſancta penetrarat Magiſtra, his verbis ita vanitatem detexit diſcipulæ: *Licentiam petitura, intentionis puritatem, & ardens habe deſiderium; Dominus namque non ſacrificia, ſed intentionem reſpicit, qua dirigit ſacrificia.* Quod ſubtiliſsimum Matris acumen multiplici experimento edoctæ veritæque omnes, ſanctam Matrem, non niſi cum ſinceriſſima humilitate convenire, ejuſque præſentiam puriſſimo duntaxat corde frequentare audebant; Atque hæc de eâ, quam in Tyruncularum & novitiarum directione methodum ſemper ſeruavit Magdalena, dixiſſe ſufficiat; nunc ad vitæ ſeriem revertamur, breviori terminandam contextu.

Penetrat ſecreta cordiũ.

Cum fructũ Filiarũ ſuarum ſpiritualium.

CAPUT XX.

Primo triennio evoluto, reeligitur; graviter infirma, rigorem continuat, ſana officium reorditur Magiſtra Novitiarum.

1. **V**Ix triennale terminarat Magiſtræ novitiarum regimen, quãdo unamini ſororum conſenſu, anno milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, reconfirmata, continuo obruta fuit catharro, & tuſſi adeo vehementi, ut brevi temporis intervallo, in grabato ſqualeſcens, omnes propemodũ exuerit corporis vires; interim ne ad latum unquã à prioribus receſſit vitæ rigoribus, imò in ſe quodammodo crudelior, in ipſa corporalium cruciatuum cataſta, in carnem ſuam deſævire cæpit atrociùs, dubitans, ſi ſubdola forſã falleretur illuſione dæmonis, virginem ſanctã hac via & methodo, à pœnitentiis, auſteritatibus, & rigo-

Graviter infirma à rigoribus nihil remitit.

Digitized by Google

ribus abalienare ſatagentis. Ideoque repetebat ſæpius; *Quantam ſui ipſius neceſſum eſt habere curam, ſiquidem tanta eſt ſenſus noſtri pigritia & torpor, ut ſomnolentiam reputet, debilitatem & infirmitatem, tantilla intuita quietis.* Deinde ad ſemetipſam converſa ſubiungebat: *Novi te, neque unquam tuæ obtemperabo voluntati, ſed divinæ.*

Vena ei rumpitur. 2. In dies interim ſingulos incrudeſcente malo, Anno milleſimo, ſexcenteſimo tertio, Menſe Aprili, ei rupta fuit quædam vena pectoris, quam ingens illico ſecuta eſt, per os emiſſi, ſanguinis copia; accidens lethale percelluit omnes, præterquam Magdalenam, gloriantem cum Apoſtolo: *Cum infirmor, tunc potens ſum.* 2. Cor. 12. v. 10. Unde nec in ullum quantumcunque inſtarent ſorores, conſenſit corporis oblectamentum, majorem in cœleſtibus favoribus, quam in terreſtribus adminiculis collocans fiduciam. Infirmam urgebant ſuperiores, quam, mirabilium, & ſanctitatis ejus intuitu, conſtringere verebantur obedientiæ vinculis, ut aliquod corpori indulgeret ſolatium, ut lectum peteret, ut tantillum de vitæ rigore imminueret, ſed ſurdæ fabula cantabatur.

3. Quid ageret, quo ſe verteret infirma caro, hinc continuis preſſa doloribus, illinc indefeſſis propè exarmata ſororum precibus, urgentium quietem, ſomnum, refectionem? humanis deſtituta ſubſidiis, cœleſtem ſupplex imploravit opem, non ut à morbi violentia eximeretur, ſed ut mali ſævitia ab oculis hominum occuleretur. Dilectæ gemitum audiit, non exaudiit ſponſus; non quòd vocem ſupplicantis ullatenus contemneret, ſed ut virtutem patientis uberiùs patefaceret. In eas itaque anguſtias, miſeram tandem redegit infirmitas, ut nec cibum deinceps ſumere, nec unum alterumuè poſſet amplius promovere gradum, ſine cruciatu maximo. Tunc ſuperiores, totale formidantes emarceſcentis floſculi exterminium, per obedientiam, ut ſe lecto committeret, aſtrinxerunt infirmam, paruit Magdalena, & obedientiæ ceſſit, quæ nulli cedere noverat morborum ſævitiæ; quam infirmitatis quidem excoquebat atrocia, ſed majora interius incinerabant amoris incendia, refrigerii cupidam: *fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo,*

Ex obedientia lecto ſe committit.

Cant. 2. v. 5.

4. Hoc in ſtatu, ſingulari cum patientia uſque ad ſecundum perſtitit Auguſti diem, quando importuniſſimo prævalente tuſſis accidenti, tantam ſanguinis profudit abundantiam, ut reſiſtendo ulterius impar, propemodum ſuffocaretur; vitæ epilogum, ipſiſmet om-

Depoſita à Medicis.

Digitized by Google

met omni horâ & momento præſtolantibus Medicis. Preſſit hoc malum Virginem Sanctam, ab altera Menſis Auguſti, uſque ad feſtum S. Laurentij; neque ullum interim ſanguineo fluxui, remedium ſufficiens poterat applicari, deſperantibus Medicis, illachrymantibus ſororibus; quæ infirmæ lectum ſuſpiriis, fletibus, ſingultibus inquietabant. Interim quæ lecto affixa, in proprio natitabat ſanguine, medios inter cruciatus, divinis exundabat conſolationibus, ne minimum edens ſuſpirij aut doloris ſignum; quæ ſola ab omnibus deplorabatur, ſola omnes conſolabatur, erigebat, animabat; cujus unius miſerebantur reliquæ, ſibi uni immiſericors, aliarum miſerebatur omnium, promittens ſe hac vice non emorituram, ſed ſanam & incolumem officium Magiſtræ Novitiarum inchoaturam. Prophetiam fuiſſe, optatus docuit ſucceſſus; ſiquidem S. Virgo de die in diem, magis magiſque convaleſcens, eodem Anno in feſto Sanctorum omnium, munus directricis juniorum, cum incredibili totius Monaſterij gaudio atque emolumento, iterum aggreſſa fuit.

Prædicit ſe illa infirmitate non morituram.

Caput XXI.

Cognoſcit in raptu, ſe uſque ad Mortem, infirmitates Corporis, & deſolationes Spiritus paſſuram; eligitur in Prioriſſam: ægra, quotidie miſſam audit, & communicat.

1. INducias emaciato corpuſculo, morti indulſerat Tyrannis, non ut parceret languenti, ſed ut enecaret ſpirantem; quæ poſt anni unius, & octo Menſium curriculum, anno ſcilicet milleſimo, ſexcenteſimo quinto, in S. Joannis Baptiſtæ Nativitate, ſe graviſſimis deinceps, quamdiu viveret, morborum furiis impetendam, inque ſpiritualibus languoris & obtenebrationis deſerto, tandem morituram didicit in extaſi. Quæ Herculeum facilè eneruaſſet animum deſolationis mentio, unicam acuit in prælium, amazonem Virginem ſanctam, cui in ſpiritualibus illecebris deliciari mors cui ſine omni guſtu vivere & mori, vita erat.

2. In decurſu itaque temporis, tantâ obrui cæpit hebetudinum obſcuritatum, deliquiorum caligine, ut certo quodam modo derelicta videretur à Deo. Cimmerias dixiſſes tenebras; neque tamen,

Summas patitur tenebras ac derelictiones.

men quæ continuò de virtute ibat in virtutem, ſuos unquam ad lapidem pedes offendit Magdalena, per ſuæ unionem voluntatis divinis beneplacitis, eò ſemper conformior, quò ſqualebat obſcurior.

Prælaturas à ſe ſtudet dimovere.

3. Interea finem anxia præſtolabatur triennii, quo nova inſtituenda erat in Monaſterio omnium officialium electio; quæ igitur humillima Virgo, quamcunque prælaturæ horrebat umbram, ne aut in eodem novitiarum directricis confirmaretur officio, aut cuicunque alteri præficeretur cœnobiali dignitati, morbos, infirmitates, & exhauſtas tenelli corpuſculi vires humiliter obijcere, malis quodammodo illachrymari, vitæ tranquillitatem, & ab omnibus curis immunitatem inſtanter expoſtulare cæpit; non quòd corporis decllinaret incommoda, ſed ſpiritus horreret faſtigia. *Aſt non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.* In ſublimi perfectionis & ſanctitatis vertice, radiantes quaquà versùm fulgores ſpargebat Magdalena; ideoque communis ſororum calculus eam in Monaſterii elegit ſuperiorem, Menſe Octobri, Anno milleſimo ſexcenteſimo quarto. Obſtitit humillima Virgo ſuam prætendens impotentiam, ſuam eraggerans incapacitatem, recuſavit, repudiavit Priorillæ munus, quæ ſemper elegerat ſubeſſe, præ eſſe nunquam: ſolaque tandem, citra difficultatem, conſenſum elicit obedientia, quem nullæ extorquere poterant, quantumvis improbæ, conſtanteſque ſororum preces & obſecrationes.

Mat. 5. v. 14. 15.

Omniū votis in Prioriſſam eligitur invita.

4. Arduam novi muneris functionem dignè appretiari docta, totam curam, zelum induſtriam, ſollicitudinem eò contulit, ut omnes adimpleret officii ſui partes, in totius cœnobii integerrima adminiſtratione, & tam juniorum, quàm ſeniorum prudentiſſimo regimine, gloriatura impoſterum: *In portis noſtris omnia poma, nova, & vetera, dilecte mi, ſervavi tibi*: Sed qui proponente homine, ſolus omnia diſponit, Deus, *ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*, impetum zeli ſtitit in exordio, quando octavo ab electione die, dilectam ſuam gravi afflixit febri, tamque intenſo cruciavit dolore, capitis, ut vel invita ſe lecto commiſerit, ea continuans, quotidianæ quietis intervalla, ut omni diluculo cum ſororibus reliquis, & miſſæ ſacrificio & ſanctæ ipſamet particeps intereſſet ſynaxi, quâ pietate peracta, vix in

Cant. 7. v. 13.

Infirmatur in initio ſui muneris.

vix in cellam redux, in tanta plerumque contabeſcebat debilitate, afflictione, cruciatu, ut in paroxyſmos, ſyncopes, ſymptomata, & deliquia cadens, propemodum exanimari crederetur nihilominus, Angelici panis oblectamentum & amor, omnium quotidie inducebat dolorum oblivionem, aut certè potentior vincebat cruciatuum ſenſum, & quoſcunque inſolitæ febris ardores; quando non obſtante quocunque corporis tormento, quotidiè ad idem Euchariſticæ Menſæ convivium reptabat cum reliquis.

Licet ſummè ægra, indies tamen communicat.

5. Imò tanta Magdalenam panis Euchariſtici quotidiè preſſit & oppreſſit eſuries, ut potius acerbiſſimos uſque ad mortem perpeti elegerit dolores, quàm vel ad diem unicum eâdem deſtitui; cum enim tanta foret virginei corpuſculi debilitas, ut morborum violentiæ propemodum ſuccubuiſſet victima, niſi omnes tres horas novo fulciretur edulio, potius elegit jejuna ægerrimè reſpirare quàm corporaliter cibata ſine pane Euchariſtico ſpirare, ſuadebat quandoque S. Matri ſororum compaſſio, urgebat pietas, ut à quotidiano ſanctiſſimi Sacramenti pabulo tantiſper abſtineret, alternis aut ternis ſaltem quibuſque diebus, pane Angelico refici contenta, donec morbi remitteret ſævities. Non aquam, ſed oleum igni affuderant ſorores, incendii fomentum, ſiquidem Sancta Mater hujuſmodi auditis importuniori quàm unquam ſpiritualis orexeos ſtimulo concitata, filiabus hæc in Verba reſpondit: *Si judicio veſtro, ita mea exigit indignitas, libenter me communione privabo; ſi verò aliis inductæ reſpectibus, ut à communione abſtineam, inſtatis: ſcitote, me ſub quocunque etiam vitæ periculo nunquam paſſuram, niſi à patre ſpirituali compellar per obedientiam: auctumo namque certiſſimum, me, niſi quotidiano ſanctiſſimæ Communionis fulta fuiſſem ſubſidio, nunquam continuis infirmitatum doloribus, & deſolationibus ſpiritualibus ſupportandis potuiſſe parem fore: ſumpto enim hoc vitæ cibo, non exilem, ad tribulationibus meis quibuſcunque, & quantumcunque intenſis reſiſtendum, experior vigorem.*

Mori mavult quam ſacra ſynaxi deſtitui

Per quā ſe confortari aſſerit.

6. Alius decubuam conficiebat dolor, quòd lecto inceſſanter affixa, ab omni exteriori prohiberetur opere; cum enim juxta naturalem complexionem, admodum activa foret, maximam hac in cataſta experiebatur mortificationem, dicere ſolita: non potuiſſe graviorem aliam, ſibi à DOMINO unquam infligi

Excercitii carentia, ſummus ei dolor.

pœnam,

Digitized by Google

pœnam, in qua majorem experta fuiſſet repugnantiam: Nihilominus de divino certa beneplacito, tripudiabat præ gaudio, ingeminans frequenter: *Pati, non mori.*

Novas petit patiendi occaſiones

7. Octiduo ante infirmitatem, dum in refectorio prælegi audiret cujuſdam Sancti Vitam, qui plurimas pro Deo exantlarat moleſtias & tormenta, tanto patiendi exarſit deſiderio, ut præteritarum omnium immemor tribulationum & preſſurarum, novas à Deo inſtantiſſimè ſollicitarit patiendi occaſiones, quam frequentiorem precandi methodum advertens ſimul & obſtupeſcens quædam ſororum, ſubjunxit: Mater, an non ingens tibi dolor videtur, quinquennale continuæ probationis ſpatium? cui negavit S. Mater, ſe tempus illud diebus tribulationum annumeraturam, in quo cœleſtem quandoque deguſtarat ſuavitatem, cujuſcunque pœnalis abolitivam amaritudinis. *Tunc enim*, dicebat illa, *nunquam abſque ſolatio pertuli quidquam, ſiquidem inter tentationes & cruciatus, ros ſemper aliquis illapſus è cœlo cordis mei intima irrigans, quidquid premebat amaritudinis, ſuaviſſimè indulcoravit. Modo autem à Deo gratiam peto nudæ & crudæ paſſionis, nullis permixtæ guſtibus ſpiritualibus, nunc fel expeto fellitiſſimum, nullâ penitus ſuavitate temperatum: amaritudines ambio amariſſimas, procul ab omni, tàm corporalis, quàm ſpiritualis ſolatii condimento ſequeſtratas. Tantamq; de ſponſi mei amore concipio fiduciam, ut firmiter ſperem, ante obitum, hanc mihi ab illo gratiam & beneficium concedendum: ſcio namq; pretioſas haſce dapes, tantis juſtorum expetitas votis, in patria deficere cœleſti.* Tàm abundanter autem votis dilectæ ſponſus annuit, ut vix ulli hactenus mortalium conceſſa videatur reſidua tribulationum & paſſionum fæx in calice, quem divino labiorum attactu Chriſtus edulcavit in cruce; ſiquidem, quæ aliis deliciæ & ſolatia arrident, Magdalenam, ut ſupplicia & tormenta premebant, ideoque audita ſubinde fuit dicere, cor ſibi eſſe non niſi afflictionum capax, unde & à viſitantibus ſollicitè precum petebat ſubſidia, ut ſufficeret tot crudeliſſimis ſufferendis afflictionibus.

Abſq; ullo Solatio.

Dolores lenit Conſideratione Crucifixi Salvatoris.

8. Aliquando rogata ſub idem tempus, quid ſentiret, dum tot inter & aſpera, tàm corporis tormenta, quàm ſpiritus deliquia; indilatè reſpondit, digito in crucifixum intenſo: *Hinc quidem acerbiſſimos contemplor cruciatus, ſuſceptos à Chriſto pro genere humano: inde lectulus iſte, in quo excrucior, videtur mihi aſſurgere in theatrum, ſub Dei omnia cernẽtis ac præmiantis oculis: videt me è cruce ſua, novit ipſe infirmitatem*

Digitized by Google

mitatem meam, animatq; ad patientiam; durißimi mei me delectant dolores & cruciatus, quoties mente recolo, quidquid uſquam prædeſtinatus divexavit, aut divexabit impoſterum, in ſacram hanc humanitatem confluxiſſe.

Caput XXII.

Morbi ſævitiem patientiſſimè ſuffert.

1. Votis quotidiè magis magiſque aſſenſit Magdalenæ Dominus, cujus deinceps dolorum & infirmitatum grabatum, atroci quodammodo aſſimilavit intenſiſſimorum tormentorum ſuorum cruci Salvator mundi. Certatim equidem noctu diuque S. Matrem prævenire & demulcere contendebant obſequiis ſorores omnes, ſedulò intentæ, ut graviſſimos ejus cruciatus, ſuis aliqualiter ſublevarent ſervitiis; ſed negavit imperterritus dolorum ſcopus, Magdalena, vel minimum ſe ex iisdem haurire ſolatium, dictitans, cor ſuum eo in tempore ſolius eſſe tribulationis, nullius ſolatii, nulliusve lætitiæ capax, ita ut deinceps ex diſpenſationis divinæ beneplacito, quæcunque creatæ conſolationes ſibi cederent in dolorem & pœnam. Creatæ conſolationes ei cedũt in pœnam.

2. In dies igitur ſingulos, cruciatus furere atrocior, vitæ periculum minitari vicinius, mors inſidiari contumacior; nec ſibi ipſi benignior Magdalena, ardentiori ſemper cõtabeſcere paſſionum deſiderio, tribulationum graviorum evaneſcere ſiti. Unde in atroci illo cruciatuum equuleo, ſublevatis continuò in Cælum oculis, gratias agebat Deo, quòd uſque ad tempus illud ſe præſervaſſet ſuperſtitem, in quo ſibi, ut millenis expetierat votis, tantam, omni denudatam conſolatione, paſſionem, puro Dei ſubire liceret amore. Aliquando in graviſſimos omnium membrorum ſuorum cruciatus, corporis mentiſque defigens obtutum, ut majores ægra, quàm ægritudo indueret vires, intolerabilem preſſuram, ſequenti hoc alleviabat pharmaco; *ſcio, tales ac tantas eſſe culpas meas, ut tormentum merear longè atrocius iſto.* Magna patiens majora pati parata eſt.

3. Ad hæc, dentium acceſſit tortura, quæ per biennium integrum noctes, dieſq; tanto in infirmam deſæviit furore, ut in lamentabiles quandoque effuſa voces remedium quæſierit nec invenerit, quod mederetur malo; ut dentes conſtringere impotens, ciboſque ſumptura, prorumperet in ſingultus, & tandem omnes dentes doloribus attriti ſtationem paulatim deſeruerint oris. Atroces dẽtium patitur dolores

4. Si quis interim cujuſcunque rei particularis ſtimulaſſet appetitus, ſtimulum illicò retundebat paſſionum amor, noxam ratus, Levamen

K conſentire;

doloru̅ reſpuit. conſentire; piaculum, poſtulare; ita ut nihil admitteret Magdalena, quo intenſiſſimus tantillu̅ mitigaretur dolorum ſenſus; ipſis pariter, per amicos miſſis ſibi bellariis ac condimentis religioſius abſtinebat. Nobilis quædam, in S. virginem & Cœnobium propenſiſſima matrona, delicatos aliquando cibos ex charitate ſubmiſerat, qui afflictæ Matris tantisper erigerent ſpiritum, foverent vires; aſt irrito ſemper effectu, ſiquidem ſancta Mater nullum unquam ex illis bolum libare voluit, ut inediam ſanctificaret infirma, quam ſemper honorarat ſana.

Alime̅tu̅ corporis, ei eſt torme̅tum ſpiritus. 5. Omni tandem deficiente, quo paſceretur, nutrimento, patris ſpiritualis adacta præcepto, ita ſubmiſſorum ciborum corpori ſuo indulſit fomenta, ut ſimul & ſpiritus augeret tormenta; quia ciborum magis cruciabatur deliciis, quàm penuriâ, dicere ſolita, perſonam Religioſam ne quidem in extrema infirmitate, quoquam frui debere, niſi ſanctæ in eo ſemper reſplendeat, & prædominetur paupertatis rigor. Ideoque quanto edulium ſibi præparatum fuerat delicatius, tantò guſtabat tormentum atrocius; quantò pabulum faveret vilius, coſolatium exundabat feſtivius S. Virginis, crucifixi ſponſi inter amplexus gloriabundæ: *Aſperſi cubile meum Myrrha & Aloe.* Prov. 7. v. 17.

Capitis doloribus torquetur acriter, acerrimè feriis ſextis. 6. Doloribus capitis inceſſanter premebatur, crudelius autem ſolito feriis ſextis, in quibus graviſſimos capitis pertulit cruciatus, poſtquàm virgineum verticem ſpinea JESU inſignivit coronâ, de qua libro ſequenti, capite *de amore erga paſſionem Chriſti*: neque aliæ interim feriabantur totius corporis torturæ, tantò pertinaciores, quantò hominum obſequia & ſervitia faverent frequentiora.

7. Malum alleviaturi, cauterium inflixerant Medici, ſed & hoc ipſum cruciatus intolerabilior exacuerat in lanienam, ut S. Virgo quandoque ad crucifixum converſa in hunc amoris & humilitatis actum, effunderetur ſuaviſſimum: *optime Ieſu, niſi virtutem mihi, auxiliumq; præbueris; tantis ſuccumbet vile iſtud corpuſculum meum paſſionibus.* Quæ & ſimilia verba aliquoties iterabat, ſupplicans, & enixe rogans ſorores, ut gratiam ſibi à Domino impetrarent, ne tantos inter dolores & anguſtias, minimo unquam verbo, facto aut cogitatu, divinam offenderet Majeſtatem. Interim profunda, quæ ſemper trepidat humilitas, nimio S. Virginem concuſſerat pavore, ne fortè

Digitized by Google

ne fortè defeciſſet in quopiam ; unde ad patrem ſpiritualem converſa, dicebat: *Pater, putaſne me ſalvandam,* attonitus ille: quid hoc à me petis filia ? cui ipſa : *Pater mi , tremendum eſt, creaturam , quæ nihil unquam boni fecit in vita ſua, altiſſimæ ſiſti puritati Dei,* moxque replicabat : *Pater, putaſne me ſalvandam?* ita de ſalute ambigebat S. Virginis humilitas , quam immaculata nunquam deſeruerat vitæ ſanctitas. Audi hæc, & contremiſce O anima mea : *ſi juſtus vix ſalvabitur , impius & peccator ubi parebunt? Columnæ cæli contremiſcunt & pavent ad nutum ejus: quantus ergo ſum ego, ut reſpondeam ei?*

De ſalute ſua, ſuũ interrogat cõfeſſariũ. 1. Pet. 4. v. 18.

8. Aliquando afflictam erecturus pater ſpiritualis , ſolatium ei cœleſte , priuſquam moreretur, ſpoſponderat affuturum; cui protinus S. Virgo , cum incredibili magnanimitate , *non illud ego , ſed conſtantem , in hiſce atrociſſimis doloribus meis peto à Domino patientiam; abſit à me , ut aliquod ſolatij genus exſpectem ; imò majores exopto tribulationes , quibus non alius finis quam vitæ.* Atque ita ut abyſſus abyſſum invocat , ita Magdalena ærumnas & tormenta in mediis cruciatibus ; ſtupor erat , animam durare poſſe in tanta macie & languore , cernenteſque Medici conſumptum planè humidum radicale, quidquid ſupererat vitæ, audacter attribuêre miraculo.

Solatiũ omne tantis in anguſtiis reſpuit.

Caput XXIII.

Semper ſuo invigilans muneri, torquetur crudelius , & tandem Sacramentum recipit extremæ unctionis.

1. IN rabioſa cruciatuum ſartagine , quantò magis corpus conſumeret multiplicis violentia morbi , tantò potentius animum incinerabat amoris & dilectionis incendium , ita ut continuò & in occultis deliciaretur divinæ unionis amplexibus , & in publicis deſudaret , raræ in proximum , charitatis obſequiis ; quæ in his preſſurarum ardoribus , quantum per vires licuit, partes ſuperioris & Matris adimplevit fideliſſimas ; quodque ſtupendum traditur, cum infirmam inviſerent , conſulerentque ſorores omnes , nulla unquam ab ea diſceſſit , ſine maximo ſolatio & ſatisfactione. Interim de die in diem incrudeſcente malorum Tyrannide , modò ſibi videbatur laniantem pectore inſævire novaculam , modò veluti incude contundi caput malleorum

Sũmis in cruciatibus ſuo muneri nõ deeſt.

ictibus,& infinitis aliis eviſcerari doloribus, ita ut niſi, prius voluntariam adeo ſe ſponſo cœleſti conſecraſſet paſſionum victimam, & acutiſſimo mentis oculo nobilitatem, quæ adverſitatibus ineſt, amore Chriſti Jeſu toleratis, penetraſſet ſublimius, aliquam facilè impatientiæ vocem barbarus extorſiſſet equuleus; nihilominus *in omnibus his non peccavit Magdalena labijs ſuis, neque ſtultum quid contra Dominum locuta eſt.*

Angelicæ puritatis indiciū.

2. Spectaculum expreſſerant, omni compaſſione pleniſſimum ſimul & patientiæ auguſtiſſimum, lecto impaſtina oſſium in emaciato corpore prominentium, veſtigia foſſuliſque hinc inde profundè efformatis, intolerabiles ſubibat dolores, quoties neceſſitatum intuitu à monialibus elevaretur, aut de loco in locum moveretur; quibus ſororum obſequiis dum præveniretur quotidiè, aliquod angelicæ ſuæ puritatis præjudicium verita dixit: *Creditiſne, O ſorores, hunc attactum, quo me in elevando contrectatis, virginitati & puritati nocumentum afferre? Si ita eſt, mihi ipſi vim faciam, opemque feram, quam permiſerint vires; ſin minus, hoc in loco libenter immota manebo.* Sed de hac virtute, ſpecialis & latior redibit ſermo. *lib. 2. cap.* 4.

Sūmis in cruciatibus cunctorum opinione longius ſupervivit.

Luc. 23. *v.*28.

Indies cōmunicat, horaſq; canonicas devotè auſcultat.

3. Scire negarunt ſe Medici, qualiter macilentum adeo corpuſculum, tanto temporis ſpatio, tot, tamque atrocibus par foret ſufferendis pœnis; ipſæ moniales individuæ dolorum teſtes, impoſſibile judicabant, Magdalenam ad octiduum ſupervivere, ſed crudelitatem humanam protracta dierum, ſeptimanarum, & Menſium ludebat infirmitas, & Æſculapium jugiter confundebat Medicus cœleſtis; corpore interim in eum redacto miſeriarum ſqualorem, ut moniales ad infirmam ulterius accedere vix præſumerent, ne lachrymabili exanimarentur ſpectaculo; quæque S. Matrem inviſebant, in uberrimos effuſæ ſingultus, quaſi elingues, horrebant in Matrem conjicere oculos, unde & non paucæ ſine verbo, quemadmodum acceſſerant, receſſere; quarum omnium lachrymas multis modis cohibere ſatagebat Magdalena, quaſi ſponſi uſa verbis: *Nolite flere ſuper me filiæ Ieruſalem.*

4. Pater Confeſſarius, cujus è manibus angelicum quotidie cibum ſumebat, angebatur plurimum, ne fortè cœleſtes dapes amplius deglutire impotentem in ipſa tantæ pietatis functione, pœnarum quandoque ſuffocaret acerbitas; Magdalena autem ſe ipsâ vegetior,

getior, & epulis Euchariſticis indies paſci, & canonicas quotidiè horas audire gaudebat; quas (duabus ſororibus coram lecto recitantibus) incredibili cum attentione & devotione auſcultabat, ipſamet quoque nonnullos ſubinde exprimens verſus, ſi quando morbi violentia torqueret clementior.

5. Tandem poſt quinquennalem hujuſmodi dolorum equuleum, vicinæ ipſamet præſaga mortis, cœnobium Patri directori ardentiſſimis commendavit inſtantiis, promittens ſuum pro eo omnibuſque ſororibus, modò ſalva fieret, continuum in cœlo patrocinium. Exinde ab omnibus, coram congregatis, monialibus humillimè veniam petiit ſui cujuſcunque, per omnem vitam admiſſi, defectus & exempli mali, hinc cunctas, ut datam ſemel ſponſo cœleſti fidem ſervare ſatagerent illibatam, exhortata, ab eodem patre ſpirituali 13. Maij Anno milleſimo, ſexcenteſimo ſeptimo, ſingultientibus omnibus, cum profundisſimæ humilitatis & ardentisſimæ charitatis actibus, extremæ ſuſcepit unctionis Sacramentum, eo animi vigore, ut continuò in crucifixum, quem manu gerebat, defixa obtutu, ipſamet reſponderit verſibus & litaniis. Extremâ unctionē recipit, ſuum in cœlis patrocinium ſpondet ac errarorum veniam petit.

6. Suſceptâ unctione extremâ, quaſi oleo delibuta lætitiæ, vultu ſereniori animata, hinc inde feſtivè circumſpicere cœpit, ita ut omnibus crederetur exempta anguſtiis, corporiſque cruciatibus. Deinde ad Patrem directorem converſa, ait: *Intelligo, Pater, te die craſtinâ patres Eremitas viſitaturum, degentes in monte ſenario; ideoque vade ſecurus, nec dubita quidquam, me namque vivam invenies redux; rogo te autem, ut eorum me precibus recommendes, quibus me ſalvandam confido* Hæſitanti ad hæc Confeſſario, ob præſentisſimum mortis periculum, replicavit iterum agonizans: *vade ſecurus, quia me vivam invenies redux*; Hâc itaque ille animatus promisſione, viam aggreditur, poſtque trium dierum ſpatium, negotiis perfectis, ad Magdalenam reverſus, infirmam in eodem, quo eam reliquerat, offendit ægritudinis ſtatu. Confeſſario peregre proficiſcenti, ſe ad eiuſdem reditũ ſupervicturã prædicit.

Caput XXIV.

Adhortatur ſorores, munitur Viatico, ex obedientiâ mortem differt, deſolata ſanctè moritur in feria ſexta, & ſepelitur devotiſſimè.

1. PEr tredecim, quos ab extrema unctione ſupervixit dies, multò atrociori, quàm unquam dolorum oceano exagitari cæpit,

quaſi cruciatus præteriti, nimiâ S. Virginis patientiâ devicti atque confuſi, reſiduam tormentorum colluviem in ſuum viderentur advocaſſe ſubſidium, ut viribus junctis uno ſternerent impetu Magdalenam. Aſſultus adeo ſæviit ferox, ut emaciata agonizantium oſſium cutis, copioſum cœperit diſtillare ſudorem, qui primitus lintea, deinde ipſummet lectum tanto perfudit madore, ut continuâ opus fuerit aliquarum ſororum induſtriâ, quæ pannis lineis extergerent humorem.

Extra ordinariũ in ipſa dolores exprimũt ſudorẽ.

2. Ita ad claſſicum infirma expavit caro, ſed longè promptior ſpiritus novos aucupabatur divinæ Majeſtati placendi modos & vias; ideoque vocatæ ad ſe Matri Prioriſſæ, longum multumque de perfectione Evangelicâ, illiuſque Religionis, & Cœnobii bono texuit diſcurſum; exinde omnibus Matribus & ſororibus, nova ſaluberrima impertiit æternæ documenta ſalutis, principaliter autem, ne alterius quàm JESU Chriſti ſinerent ſe ineſcari amore, in eo ſolo ſperarent, ſemperque pati & anguſtiari ambirent amore Dei.

Sorores adhortatur.

3. In ultimo igitur vitæ margine fluctuantem, interrogavit confeſſarius, quis foret dolorum ſenſus; cui S. Mater: *Noveris Pater mi quamcunque corporis mei partem, doloribus eſſe plenam; at maximam in corde meo experior pacem.* Deinde variis utrimque factis, quæſtionibus & reſponſis, tandem his verbis ſermonem finiit Magdalena: *Scias, me ſemper ſimplici paruiſſe ſuperiorum meorum obedientiæ; inque omnibus functionibus & rebus meis continuam in mente foviſſe præſentiam DEI.*

In ſummis doloribus ſumma pace fruitur.

4. Itaque 24. Maij, Anno milleſimo, ſexcenteſimo ſeptimo, in ipſa ſanctiſſimæ Aſcenſionis ſolemnitate, quaſi linguæ beneficio deſtituta circumcirca mœſtiſſimâ ſororum, lectulum cingente, coronâ, viaticum ſacrum verbo, geſtuque, ut potuit, petiit à Patre directore; qui cum vix proximo mediæ noctis tempus viatico conferendo aſſignaſſet: Magdalena in doloroſo, ſed & glorioſo grabato, cum tanto ſpiritus ardore, de rebus cœpit diſcurrere cœleſtibus, cum ſingulari omnium præſentium fructu, ut nulla dubitaret circumſtantium, Magdalenam in exceſſivo potius tripudiare amoris jubilo, quàm in infirmitatis marceſcere ſtrato, ut quaſi accinerent omnes: *ſicut vita coccinea, labia tua, & eloquium tuum dulce. Favus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua.*

De cœleſtibus cum adſtantib⁹ diſcurrit.

Can. 4. v. 5.

5. Morti proxima, ſymbolum fidei, quod, loquelæ uſu deſtituta,

Digitized by Google

,ſtituta, recitare nequibat, à ſororibus recitari, nutibus impetravit, ,eoque inchoato, in extaſim rapta eſt, & quaſi tunc prælibaret felicia ,illa paradiſi gaudia, agenti animam quædam æternæ felicitatis & beatificæ fruitionis dulcedines in ejus vultu collucebant; quæ tamẽ adhuc à profundæ humilitatis indiciis, eam minimè ſegregabant. Auſcultans ſymbolũ fidei in extaſim rapitur.

6. Mediâ tranſactâ nocte, promptus adfuit pater ſpiritualis, qui in omnium præſentia monialium, Magdalenam ſacro munivit viatico, eodemque novum illi contulit vigorem & ſolatium, ita ut ſpiritus eò vegetior attolli videretur in jubilum, quò miſerabilius debile corpuſculum fatiſceret in excidium; ſciens poſthæc S. Virgo, paucas ſibi ſupereſſe vitę horulas, Patrem ſpiritualẽ, qui poſt datum viaticum jam diſceſſerat, iterum accinit horâ duodecima (quæ ultramontanis in Menſe Majo, eſt quaſi ſeptima diei) ut ſibi aſſiſteret agonizanti, accurrit ille, ut glorioſæ mortis & ipſe fieret teſtis; moxque omnes Pſalmos replicare & hymnos, uſque ad decimam quartam horam, ſolâ obmuteſcente exterius, quam loquela jam deſtituerat, Mariâ Magdalenâ. Sacro munitur viatico.

7. Læta infirmæ facies, quieſque inſolita Patri directori plures videbatur ſpondere vitæ horas; ideoque miſſarum ſolemnia peracturus, & ſacrâ ſynaxi ſorores refecturus, petiit Eccleſiam; aſt vix præparationem inchoarat ſacerdos, quando inaudit exſpirare Magdalenam; turbatus hæſitabat ille, neſcius conſilii; ſi enim dicebat, ſacrum proſequor, morientem deſtituo ſolatio; ſi interrumpo, epulo ſorores privo Euchariſtico. Hæc agitanti animo opportuniſſimum ſuggeſſit conſilium providentia Altiſſimi; ut agonizanti in virtute S. Obedientiæ præciperet, ne animam redderet, uſque dum finito Miſſæ ſacrificio, & ſororibus omnibus communicatis, ipſemet præſens compareret. Quam veritatem à Congregatione ſacrorum rituum, pro majori Lectoris ſolatio & ſatisfactione, in medium proferendam duxi, ſequentibus ſtabilitam verbis. Ex obedientia mortẽ differt.

, 8. Mane cum Confeſſarius ſacrum facturus, ſtolam indueret, & ,à monialibus admonitus eſſet, ut ad Mariam Magdalenam, agentem ,animam, accederet, reſpondit: *Dicite illi, ut, quam vivens exhibuit obe- ,dientiã, præſtet pariter moritura, & me exſpectet, donec ſacro peracto ſorores ,ſuas cæleſti pane reficiã.* Hæc audiens Maria Magdalena, quæ uſq; tunc ,penit⁹ obmutuerat, quaſi ab interitu revocata, ſubſidẽs inquit: *Bene- ,dictus Deus:* potũ poſtulavit, & animam retinuit, donec ſacrificiũ cõ- ,pleretur, & moniales à ſacro convivio unà & Confeſſarius rediiſſent. Vera obediẽs uſq; ad mortẽ.

9. Moram

Digitized by Google

9. Moram interim trahente directore, ad ſorores circumſtantes converſa, ait; *Gratias Deo, qui me uſque ad ultimum vitæ ſpiritum, ita deſolatam, atque omni deſtituit guſtu; ſummo mihi ſolatio eſt, ita placitum eſſe ante oculos ejus; iterum de novo, quodcunque illi ultroneè offero ſolatium ſpirituale, nudæ & crudæ immoritura paſſioni, tantummodo ut ſalver.* Hos ſimileſque ferventiſſimi ſpiritus affectus, ſuperveniens cum reliquis omnibus ſororibus, interrupit Pater ſpiritualis; quas ſic congregatas, & circa lectum agonizantis genu flexas, lugubris tragœdiæ teneritudo primo in lachrymandi conſortium, mox in pſalmorum, hymnorum, aliorumque divinorum præconiorum, ſingultibus permixtorum, emolliit concentum; quem inter obedientiſſima Virgo, hora decima octava (ultramontanis circiter primâ pomeridianâ) in die Veneris, eâdem horâ, quâ Chriſtus Dominus *factus obediens uſque ad mortem*, maximis exanimatus eſt crucis angoribus; obedientisſima, inquam, virgo, in atrocisſimorum dolorum cruce vigeſimo quinto Maij, An. milleſimo ſexceuteſimo ſeptimo, ætatis ſuæ quadrageſimo primo, Menſe ſecundo, diebus viginti quatuor, & Religionis Anno vigeſimo quarto, Menſe tertio, diebus viginti quinque, plus impatientiâ amoris, quàm pasſione doloris, plus vulnerata charitate, quàm gravata infirmitate placidisſimè exſpiravit; animam, candidæ inſtar columbæ, divinâ circumdatam luce Angelis deducentibus in indefectibiles ſponſi cœleſtis amplexus.

Philip. 2. v. 8. Placidiſſimè moritur.

10. Spirare deſierat, quam reſpirare ſuadebat, facileque perſuaſiſſet tam vivida faciei forma, tamque Angelica vultus venuſtas, ut gloria animæ in ipſo protinus corpore reſplendere videretur. Quodque cæteris prodigioſius eſt, omnes, quotquot aderant, à triſtitia in lætitiam, à mœrore in ſolatia, à fletu in plauſus & gaudia ſe adigi compelliq; adverterunt, occultâ quâdã metamorphoſi, modò tripudiantes præ ſpiritus dulcedine, quæ antea præ angore, & mœſtitia, quaſi jam jam exanimandæ credi poterant. Inter hymnos & pſalmos, cadavere in domum capitularem delato, Pater director hora vigeſima tertia, ante crates interiores Eccleſiæ, unde proſpectus favebat in capitulum, panegyricum, coram univerſis ſororibus, de S. Matris laudibus & encomiis habuit ſermonem. Poſtridie translatum in Eccleſiam mortuale pignus, vix à religioſa vulgi reliquias veſtimentorum, florum, qui ſacras exuvias contigerant, ſimiliumque improbè extorquentis, rapacitate defendere potuerunt

Corporis venuſtas.

Lugentium mæſtitia ſubito in gaudiũ verſa.

Digitized by Google

11. Officiorum ſacrorum functionem populi interturbabat clamor, ſuſpendebat ſtrepitus, diſſipabat vociferatio, Magdalenam beatam & ſanctam proclamantis. Itaque ad horam decimam quintam, reſeratis Eccleſiæ poſtibus, ſoli iſti ad ſacrum pignus patuit aditus, qui per refertiſſimam hominum multitudinem perrumpens, ſibi ad ſacras exuvias patefecit acceſſum. Tandem obductis ceris, hora ſecunda noctis (nona veſpertina ultramontanis in Menſe Majo) retro altare majus, cum debitis reverentiæ & honoris indiciis, terræ mandatum fuit emortuum buſtum. Sepelitur.

12. Multa eaque ſtupenda ante & poſt mortem prodigia, clara ſanctitatis Magdalenæ indicia, ad honorem dilectæ ſuæ operari dignatus eſt ſponſus cœleſtis; ſicut & eo ipſo tempore, quo ſacrum pignus in Eccleſia expoſitum proſtabat, ſed de his ipſis in ſequentibus comodior redibit ſermo, ubi de miraculis ante & poſt mortẽ ejus perpetratis agemus; Item quid juveni cuidam libidnoſo, ſanctã faciẽ virginis emortuæ curioſiꝰ cõtemplanti acciderit, *vid. lib. ſeq. c. 4. §. 18.*

13. Atque hæc de S. Virginis ortu, vita, tam ſæculari, quàm religioſa, & morte obiter memoraſſe ſuffecerit; nunc ad virtutes, vitæ Chriſtianæ animas, quas ſanctiſſima Virgo omnes quaſi in gradu heroico poſſedit, progreſſum faciamus, quibus ſolis vita litat immortalis, ſiquidem ſola,

Virtus eſt ſenij ignara, & poſt fata ſuperſtes,
Durat, & ad Cœlum prævia pandit iter.
Nempe Dei donum, virtus felicitat una;
Poſt cineres, virtus vivere ſola facit.
Omnia terra ſuis ſepelit, conditq; cavernis;
Sola vagum virtus neſcit habere gradum.

VITÆ

S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZI.

LIBER SECUNDUS

De Virtutibus.

Maria Magdalena *ſicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, omnium perfectio, atque excellentia virtutum. In iis itaque adumbrandis, ut gradiar ſecuriùs, intelligar faciliùs, illiciam feliciùs, paucorum capitum anguſtiis conſtringam, quæ volumen integrum depoſcunt. Cant. 4. v. 4.

Digitized by Google

Caput I.

Quanti æſtimarit ſtatum Religioſum, & vota Religioſa, eorumque renovationem? Item de quibuſdam Religioſæ vitæ documentis, quæ accepit à Chriſto.

1. SOrores Religioſas obſtrictas votis, ſponſas Jeſu nuncupare conſueverat, ſe reputans ſimili indigniſſimã gratiâ; Quamque nullus unquam Religioſæ obſervantiæ, pœnitentiæ, aut mortificationis rigor afflixit, moerore confecit Novitiam, tantilla temporis mora, quæ ſolemnem procraſtinabat votorum emiſſionem.

Status Religioſi excellentia. 2. Beneficium vocationis ad Religionem, omnium aſtruebat auguſtiſſimum, quod Deus electis ſuis poſt baptiſſimum impertiri poteſt in vita præſenti. Negavit ſæpiùs, ſtatum Religioſum, cum ullo cujuſcũq; mundi Monarchæ dominio & potentiâ, imò cum ipſis Cherubim & Seraphim ſe commutaturam eſſe; ſiquidẽ aiebat illa: *ſtatum Religioſum, per jugem trium votorum obſervantiam, ipſummet honoravit & veneratum eſt Verbum divinum, quod impoſſibile eſt Angelis.* Optavit frequenter minima potius & abjectiſſima vivere Religioſarum omnium, quàm prima imperare mundi Regina glorians cum Davide: *Elegi abjecta eſſe in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Pſ. 83. v. 11.

Cibi Religioſorũ groſſiores à Religione ſanctificantur. 3. Delicatior cujuſdam Tyrunculæ palatus, rudiores quandoque faſtidierat Religionis cibos, tanquam inſalubres & nocivos, quique nullas ſubminiſtrarent vires; ſingulare itaque ſtimulandæ orexi S. Mater diſpoſuit ſynceraſtum ſeu edulium, hoc ſplendidum condimento: *Noveris filia, cibos noſtros à Religione ſanctificari; Deumque illis eandem, imò & majorem, quàm delicatis, indere vim nutritivam.* Electuarium hoc guſtavit juvencula, neque vulgares impoſterum ei unquam deſipuêre cibi. Eodem animata Religioſæ eminentiæ zelo, vetuit ſeveriſſimè, ne ulla ſororum ſuos quoſcunque morbos duris aut cibis, aut exercitiis imputaret Religionis; ſed peccatis propriis, quæ ſponſam Chriſti indignam conſtituunt, quæ Religioſas obeat functiones; Eo ſpiritus fervore, de Religionis & Monaſterii ſui excellentia, ſemper ſermocinabatur, ut in decurſu, raptum multoties extorſerit magnitudo devotionis & exultationis.

Affectus ſingularis 4. Quotidiè Cœnobium, Ordinemque ſuum inſtantiſſimè commendabat patrocinio Matris amabilis; quandoque ad ipſos Mona-

Monaſterii converſa muros dicebat: *Quantumvis ruinam minitemini, nobis nihilominus perquam utiliſſimi eſtis; ſiquidem nos à mundo, atque omni eo, quod à Deo ſeparare poſſet, ſequeſtratis.* Plurimis aliis methodis, dogmatibus, exhortationibus, nulli non excellentiam Religionis ob oculos ponere atque inculcare ſatagebat. erga cœnobium.

5. Quot Regulas, conſtitutiones & Religioſas Cœnobium ſovebat conſuetudines, quantumvis minimas, & ſecundùm ſpeciem futiles; totidem Magdalena voluntates Dei, totidem inſtinctus venerabatur Spiritus ſancti; quaſque prævaricata eſt nunquam, adimplere deſtitit quandoque, quoties aut morbi violentia, aut obedientiæ virtus, aut amoris in Deum vel proximum avelleret impetus; Communes Religionis functiones cuicunque commodo particulari, etiam ſpirituali præferendas, ſoli autem obedientiæ poſtponendas eſſe verbo docuit & exemplo. Exacta obſervantia etiam minimorũ.

6. Votorum profeſſionem & renovationem dignè appretiari didicerat, quam aliquando in extaſi conſtitutam audierunt ſorores, in ſequentia prorumpentem verba: *Quoties facta Deo vota renovamus, unionem reſtabilimus cum Deo; animæque electæ juxta perfectionis, & divini menſuram amoris, quam continet, major minorve correſpondet unio. Hæc interna votorum renovatio ſanctiſſimæ Virgini Mariæ adeo grata eſt, ac ſi ipſamet votum ſuæ renovaret puritatis. Eſt ingens Angelorum honor, dum inſpirationes ſuas gloriantur executioni mandatas; ſublimatio ſanctorum eſt, dum ſuſpiciunt Deum, qui vota renovando* (aut emittendo) *per veſtigia eorum, creatorem ſequitur omnium. Eſt ſanctarum jubilus Virginum, quæ novum renovant Canticum, dum id, quod ingenti ipſæ exercuêre affectu, augeri lætantur; eſt & gloria earundem, quia votorum renovatio* (& profeſſio) *ut ita dicam, virgineæ eſt feſtivitatis ſolemnitas. Votorum renovatio diverſos animæ parit proventus, ſcilicet augumentum gratiæ, robur fidei, novam pacem & unionem. O excellentem votorum, in ſancta anima cum Deo unione, in religione emiſſorum, dignitatem; quæ tantos fæcundo partu in anima enituntur fructus. Non igitur mirum, ſi omnis lumine præditus hanc frequentes renovationem: ſi enim ſæculares diem ſuum natalitium, aut quemcunque alium, ſpecialis teſtem favoris, tanta in æſtimatione habent; quantò potiori jure, nos diem illum feſtivis lætitiæ ſignis conſecremus oportet, qua noſtras Deo animas, inter ſpiritualis jubili tripudia, vinculo unit indiſſolubili.* Renovatio votorũ quanti facienda.

7. Anno milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo quinto ſabbato

Digitized by Google

Votorum renovatio gratiſſima Deo virtus.

poſt Pentecoſten, extatica, varios cum ſponſo de ſpiritualibus animæ cum Deo connubiis miſcens ſermones, didicit ab eo, qui *unus eſt Magiſter noſter in cælis*, quod omniũ Deo gratiſſima virtutum, ſit ſanctorum votorum renovatio, quam Magdalena amabat iterare quotidiè, quandoque etiam in actuali extaſi.

Mat. 23. v. 8.

8. Aliàs in extaſi ad inviolabilem votorum obſervantiam, quinque à Deo puncta petenda, jugiterque executioni mandanda intellexit ſcilicet:

Varia puncta quæ cœlitus didicit circa votorũ obſervantiam.

1. *Vt perpetua in Religione foveatur charitatis unio, cum Deo & proximo.*

2. *Vt obedientia nullo unquam vel minimo labefactetur nævo.*

3. *Vt ſuperior ille ſolus præficiatur, qui eſt ſecundùm cor Dei, ne S. obſervantiæ, præſertim autem paupertatis, vitæque communis pereat vigor.*

4. *Vt perpetuò vigeat votum ſanctæ paupertatis.*

5. *Vt ſinguli Religioſi excellentiam penetrent, quæ in minima etiam relucet ſanctæ Religionis functione.*

9. Aliâ vice pariter in extaſim ſublimata, Novem accepit Regulas pro perpetua votorum & Religionis obſervantia, quas in Monaſteriis obſervari neceſſum eſt.

1. *Electio ſuperiorum, nullo ætatis, aut perſonarum, aut voluntatis cujuſpiam habito reſpectu, ſit ſancta ex ſolo Dei intuitu.*

2. *Si afflictionibus, tribulationibuſque preſſi Religioſi, puras ad Deum elevaverint manus, opem illi feret auxiliator Dominus, quemadmodum olim Moyſi.*

3. *Si ſæculum fugerint & faſtidierint, terreniſque exuti affectibus, ſoli Deo famulari ſtuduerint, protegentur à Chriſto, ſicut Collegium Apoſtolicum, iiſdemque cum eo privilegiis fruentur.*

4. *Si paupertatem amaverint velut ſororem, ſponſamque dilectiſſimam, illis omnia abſque penuriâ cæleſtis impertietur providentia.*

5. *Si oculi Religioſorum, cordis munditiem induſtriè coluerint, omnemque impuritatis horruerint umbram, Deus internis eos beabit oculis, & ſecretorum cæleſtium penetratione, ipſique, inſtar dilecti Chriſto diſcipuli, ſupra pectus Domini amantiſſimè recumbent.*

6. *Si ſincero, ſancto, ardentique proximos proſecuti fuerint amore, Verbum æternum, ſuam in illis figet gratiarum ſedem.*

7. *Si levaverint ſe ſupra ſe, totoſque divinæ ſe conſecraverint voluntati illorum voluntatem adimplebit Chriſtus, quemadmodum, dum viveret in terris, æterni Patris ſui paruit voluntati.*

8. *Si*

8. *Si pœnitentijs & rigoribus fuerint oblectati, illorum contubernio ſummè recreabitur Chriſtus.*

9. *Si eieratis carnis deſiderijs, conſtantes vixerint in obſequio Dei perſeverantiam illis finalem elargietur Pater Miſericordiarum.* Tandem concluſit legifer, nullum his, omnibuſque aliis fruiturum gratiis & favoribus, qui exors viveret vitæ communis.

10. Religionem ipſam modò terreſtrem paradiſum, modò hortum deliciarum, aliquando patriam cœleſtem, pupillam aliquando oculi divini; modò thalamum Regium, Cœlum terrenum, Dei thronum; paradiſum, ubi degunt homines Angeli, ſeu Angeli incarnati, modò Arcam ex incorruptibili fabricatam ligno, modò ſancta ſanctorum, quandoque S.S. Trinitatis conclave appellavit; quibus diverſis ſub figuris, aliiſque pluribus, extaticæ multoties exhibita fuit Religio; ſicuti & una vice ſub ſpecie venuſtiſſimæ Virginis, humanâ auguſtioris formâ, nimiis circumamictæ varietatibus; *cujus emiſſiones paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula, & cinamomom cum univerſis lignis Libani*; quæ Virgo Magdalenæ diverſa monaſticæ vitæ exhibuit documenta. Statum Religioſũ variis ſub figuris cognoſcit. Cant. 4. v. 13. 14.

11. Aliàs Religionem in raptu vidit ſub ſpecie fontis plurimarum aquarum viventium; *quæ fluunt impetu de Libano, & corda inundant verorum Religioſorum.* Singulariter autem ſemel S. Virgini Regio exhibita fuit ſub ſpecie paradiſi; è cujus meditullio quatuor promanantes fontes, orbem irrigant univerſum, homineſque fœcundant: è primo fluebat vinum omnium delicatiſſimũ, & ſapidiſſimũ divinæ ſymbolum unionis quæ religioſas mentes mirifice inebriat. E ſecundò, aqua limpidiſſima, denotans, quã excellenter Eccleſiæ theſauros Religioſorũ participent clauſtra. E tertio, olei exundantia, per quam ſumma exprimebatur vitæ monaſticæ pax & tranquillitas. E quarto, miri balſamum odoris, quod prudentem ſuperiorum ſignificabat adminiſtrationem, quæ ſua non præſtat condimenta, niſi planè mortuis. Cant. 4. v. 15.

12. In extaſi quandoque Religioſæ obſeruantiæ integritatem & neceſſitatem conſiderans, in hæc & ſimilia prorumpebat verba: *Verbum amantiſſimum, increata ſapientia, meique cordis ſponſe dilectiſſime, deſideras, in ſponſis tuis ſimplicitatem, puritatem, humilitatem, quibus molem inædificent perfectionis. Iubes mi ſponſe, ſimplicitatem & paupe-* Obſervantiæ regularis integritas ac neceſſitas.

tatē in illorum veſte, ſupellectile, corde, ore & vitâ univerſâ eminere: ſed quæ
pars vitæ tuæ, O Salvator amantiſſime, magis illas in noſtrum exhibet docu-
Luc. 2. *mentum? ſcilicet in nativitate ubi te paſtores vagientem adorant in præſe-*
v. 6. *pio. In præſentatione, quando non offeruntur niſi geminæ hujus virtutis ſym-*
ibi. v. 24. *bola. In panum multiplicatione, ubi omnes humi diſcumbebant, opiparæ*
nullus accumbebat Menſæ. Quàm igitur cuique metuendum, ne vanita-
Marc. 8. *tem ipſe in clauſtra inducat; væ, væ, & millies væ, ubi præſertim radiat*
v. 6. *lux aliqua paupertatis & ſimplicitatis; væ, væ proprietatem & vanitatem*
introducenti. Vis inſuper O Verbum ſummè adorandum, obedientiam ex-
Can. 3. *actiſſimam. Ille, ille lectulus eſt Salomonis, ubi mutuis fruuntur amoribus,*
v. 7. *ſponſus & ſponſa; ibi tranquilla mens dormit, quam corde vigilantem, ſponſus*
cuſtodit. O felix Religio, ubi hujuſmodi exundant deliciæ? quàm verè uſur-
pare iſtud poteris: filiæ Ieruſalem ſi diligitis me, congratulamini mihi. Et quæ-
Philip. *nam tua fuit, Ieſu optime, exaltatio, niſi quia factus obediens uſque ad mor-*
2. v. 8. *tem, mortem autem Crucis?*

13. Aliàs quoque in extaſi conſtituta novam accepit à Chriſto Regulam, his dilectam alloquente verbis: *Ego animæ tuæ ſponſus, meique Patris Verbum hanc tibi præſtituo Regulam, in eodem actu amoris, quo te facio participem infinitæ meæ puritatis, tibi & mihi nota. Vide ſedulò, Regula tua, mea eſt; quando ut à me tibi amantiſſimè conceſſa, ſic à te fideliſſimè obſervanda.* Sic divinus legislator ſponſam ſuam allocutus, viginti immediatè ſubiunxit articulos, ſummæ perfectionis & ſtrictisſimæ Religioſæ obſervantiæ compendium, ſequentibus expreſſos numeris.

Novâ in extaſi à Chriſto accipit regulam.

1. *Id à te efflagito, ut in omnibus, tam internis, quàm externis, actionibus tuis ad eam ſemper aſpires, quam te edocui puritatem; tibique certum perſuaſū habeas, quidquid aut loqueris, aut operaris, vitæ tuæ poſtremum eſſe.*

2. *Iuxta virium tuarum potentiam, meaque gratiæ benignitatem, & indulgentiam, tot ſemper & ubique, oculos habere conaberis, quot animas tuæ commendauero curæ.*

3. *Omne erga alios Conſilium & præceptum primò hauries à me Crucifixo, nulli unquam quid conſultura, aut imperatura niſi primò à me crucifixo conſilium petieris.*

4. *Nullius defectum notabis aut reprehendes creaturæ mortalis, niſi prius per verum humilitatis actum, eâdem te minorem, inferioremque judicaris.*

5. *Verba*

5. *Verba nunquam proferes, niſi ſincera, veracia, gravia, manſueta, juſta, procul ab omni adulationis & vanitatis fuco aliena, neque creaturis ſemper in agendorum exemplar præfiges & ideam.*

6. *Converſans æqualibus, cave, ne benignitas ſuperet gravitatem aut gravitas clementiam excedat & humilitatem.*

7. *Omnes actiones tuas tantâ condies manſuetudine, atq; exinanitione propriâ, ut in totidem ſerviant magnetes, quibus meæ ad me pertrahantur creaturæ; tantâ functiones ſingulas diriges prudentiâ ut membris meis, id eſt, animabus religioſis, proximiſque tuis, cedant in Regulam.*

8. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita conſtanter nullo non tempore, ad charitatis officia anhelabis, quibus mea prævenies honorabiſque membra; neque corporis tui debilitatem & ſolicitudinem majoris facies ea, quam calcas terram.* Pſ. 41. v. 2.

9. *Conaberis, juxta mearum tibi indultarum gratiarum menſuram, ſemper cibus eſſe famelicorum, ſitientium potus, nudorum veſtis, hortus captivorum, & afflictorum refrigerium.*

10. *Cum ſæcularibus agens, prudentiam imitabere ſerpentis; columbæ autem ſimplicitatem, quoties cum chariſſimis meis & dilectis ſponſis fueris converſata; illos cavebis, ut aſpidem & Baſiliſcum; has veneraberis & coles, tanquam ſpiritus ſancti templum.*

11. *Tuis victrix dominaberis paſſionibus & appetitibus, eamque à me omnium dominatore creaturarum, gratiam poſtulabis enixe.*

12. *Exemplo meo, ſummam erga omnes creaturas meas, miſericordiam exercebis & charitatem; ſemper in corde, ſemper in auribus illam Apoſtoli mei circumferens ſententiam: Quis infirmatur, & ego non infirmor?*

13. *Petitis ſemper aquieſces & ſuffragaberis, quoties id tibi tua permiſerit conditio; nec ullâ re, maximâ aut minimâ, unquam creaturam aliquam privabis, niſi prius me cordis tui ſcrutatorem, tuumque cum potentia & Majeſtate futurum Iudicem, tuæ exhibueris mentis oculis.*

14. *Tanti facies tua vota, tuam Regulam, tuique ordinis conſtitutiones, quanti meipſum, utpote à me profectas; altèque ſingularum monialium pectoribus inſculpes meæ zelum vocationis tuæque Religionis.*

15. *Optabis ſubjici omnibus, minimaque horrebis præferri creaturarum.*

16. *Non aliud tibi gaudium, refrigerium, quies, aut ſolatium erit; quàm deprimi, deſpici, conculcari ab omnibus.*

17. *Mutua*

Digitized by Google

17. *Mutua inter nos deſideria, tua, meaque viciſſim dona, amnes latere volo, præterquam eos, quibus id muneris demandavero.*

18. *In continua deges omnium deſideriorum, operumque tuorum oblatione ſimul cum membris meis in me.*

19. *Iugiter offeres æterno Patri meos angores, meipſum, omnesq́; creaturas; eritq́; hæc mihi jucundiſſima, tibique perpetim utiliſſima præparatio, ut ad me in Altaris Sacramento accedas, quod diu, noctuque, niſi charitas vel obedientia vetuerit, vicibùs triginta tribus viſitabis.*

20. *Tandem in omnibus, quas tibi permiſero, operationibus, tam internis quàm externis ſemper transformaberis in me.*

14. Has Regulas extatica, vigeſimo quarto Auguſti, Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio, poſt con munionem ſacram, tribuſque vicibus *ſponſa & electa* à Jeſu vocata, accepit; eaſque, quoad vixit, deinceps diu noctuque, inviolabili ſanctificavit obſervantiâ. *Vide latius lib. 1. cap. 17.*

Cant. 6. v. 8.

Caput II.

De Obedientia.

1. TRiplici bonorum naturalium generi, per profeſſionem ſolemnem amore Dei, abrenunicat Religioſus, ſcilicet bonis externis, boris & voluptatibus corporis, & bonis animi; primis per paupertatis, ſecundis per caſtitatis, ultimis per votum ſe exuit obedientiæ, quam virtutum moralium maximam, ſecundùm omnes & ſingulas ejus perfectiones in gradu heroico poſſedit Maria Magdalena, cujus in obediendo promptitudo, currebat voluntaria, rutilabat pura, properabat alacris, tripudiabat læta, cæca volabat, oſcitabat nunquam.

Obedientia in vita ſæculari.

2. Vel ab ipſis unguiculis obedientia tantam inierat cum Magdalena familiaritatem, tam indiſſolubile amicitiæ contraxerat fœdus cum S. Virgine, ut ne vel ipſiuſmet Dei præceptis parendum judicaret, niſi conſultâ prius & aſſentiente obedientiâ. Sæcularis adhucdum meditationem paſſionis Chriſti, iejunia, ſæculi contemptũ, veſtiumque pretioſarum fugam & horrorem didicit ab obedientia: ne vel in pœnitentiæ rigoribns, vel charitatis in proximum exercitiis, debitos diſcretionis limites excederet, Magdalenam ſæcularem docuit obedientia; ita matre ita domeſticis, ita Monialibus Cœnobii S. Joannis, in quo ad tempus propter parentum degit abſentiam, fuſius atteſtantibus.

3. Ipſo

3. Ipſo Religioſæ inveſtitionis die, ſuperioris ſuæ, cui nomen erat ſoror *Victoria Contuzi*, veſtigiis aduoluta humillimè, paucis expreſſit verbis, quod toto deinceps vitæ curſu, millenis docuit exemplis: *ut jumentum facta ſum apud te.* Simili humilitatis, atque exinanitionis propriæ geſtu & verbo, ad pedes pariter ſe coniecit ſororis *Evangeliſtæ del Giocondo*, ſeu *Iucundæ*; quæ dictæ ſorori victoriæ, in officio ſucceſſerat Magiſtræ novitiarum. Pſ. 72. v. 23.

4. Voluntariam conſecrârat obedientiam, ſpontanea votorum emiſſio, ſed longè liberiorē admiranda promoverat, S. Virginis in obſequendo promptitudo, quæ nullis unquam, aut pœnis adigenda aut minis, ita obibat omnia, quaſi propriæ impulſu voluntatis raperetur ad ſingula; voluntatem ſuperioris ſubtiliſſimâ quâdam indagine ſæpius coniecturando prævenire ſolita. Prima omnium manum applicabat laboribus, tàm ſibi ſpeciatim, quàm omnibus in communi impoſitis. Imò rata, tantum obedientiæ zelum, ſanctæ huius virtutis merito aliquatenus præjudicare, ſancto quodam dolo, oculos deluſit hominum, qui ſecundùm faciem judicant, ſimulans, ſe unicè oblectari iis, quæ delicatior faſtidiiſſet animus, & nauſeare alia, quibus trahebatur fortiter, ut hæc ei prohiberentur, præciperentur illa; pia latuit fraus, & ſanctæ huius prudentiæ beneficio, obedientiæ meritum, S. Virgo adauxit indies mirificè; ſuperioribus, æqualibus, inferioribus, idem pendens ſubjectionis tributum. Pia fraude propriæ illudit voluntati

5. Obedientiam puram, in ſolo fundatam amore divino, practicè callebat Magdalena, quæ, ut in §. præcedenti aſſeruimus, pia faude ſoli cognita Deo, prodigioſum occuluit per tempora multa, obedientiæ artificium. Virtutem hanc ab omni penitus amore proprio ita denudarat, ut orationem & quaſcunque alias inedias, corporis caſtigationes, aut ſpirituales animi delicias, mentiſque illecebras cœleſtes, placito ſubſterneret S. Obedientiæ, dicere ſolita: *Dum Religioſis exercitijs applicor per obedientiam, certa ſum de voluntatis divinæ adimpletione; non item quando ex motu proprio, quantumcunque ſublimibus immergor contemplationibus, aut alijs ſanctis vaco operibus.* Pia opera non niſi ex obedientia facit.

6. Tantus obedientiæ amor ſanctam urgebat virginem ut piaculum duceret, attentare vel minimum, niſi præobtentâ ſuperiorum licentiâ; ad omnes Religioſas functiones, tantò velocior, quantò illæ majorem ſaperent humilitatem. Nefas aſtruebat, contra ſuperioris voluntatem, ullos rigores, pœnitentias, aliarumuè virtu- Ut i nec minimum quidquam

M tum

Digitized by Google

tum, quantumcunque excellentium, actus exercere. Ideoq; quas infirma ſemper recuſavit, faſtidivitque refectiunculas & Medicinas, prōptiſſimè ſemper conſumpſit obediens, cum dicto: *Benedictus Deus.*

7. Eadem hæc obedientiæ puritas, nullam inter Religioſas functiones, noverat differentiam, niſi quòd humillimas altiſſimis, infimas ſummis, culinæ moleſtias contemplationibus proferendas juberet, illius memor prototypi; quod *humiliavit ſe uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Unde & Cœnobiticam vitam, congregationibus ſacram, eremiticæ anteponendam cenſebat, inquiens: *Quantumvis ſtatus ſolitarius & anachoreticus magnam in ſe contineat perfectionem, nihilominus huic Cœnobiticum ego ſemper præferrem; in hoc namque ſemper occaſio favet propriam mortificandi voluntatem, inque jugi arbitrij proprij morte ſe exercendi.*

Philip. 2 v. 8.

Cœnobitica vita, Eremiticæ præferenda.

8. Quàm feſtiva in obedientiæ callibus tripudiarit, vel ex eo prudens abundè dignoverit lector, quòd multoties tentationum, atque internarum tribulationum angores obedientiæ ſerenaverit obſequiis; in medio etiam lacû Leonum exultans præ jubilo, quoties obedientiæ parendum foret. Nullâ unquam inſtantiâ voluntatem ſuperioris, ad inferioris placitum inclinandam verbo docuit & exemplo; quas humilitas occultari ſuadebat gratias, extaſes, favores cœleſtes, incorrupta ſemper patefecit obedientia, ſæpè poſita extra ſe, clamabat: *Sorores meæ, ſorores amantiſſimæ, nunquid non guſtaſtis ſuavitatem hujus vocis: VOLUNTAS SUPERIORUM?*

S.V. tentationes ſuperat obedientiæ exercitio.

9. In raptu ſublimata, ſemper & ſolius audiebat præceptum ſuperioris cui ad amuſſim ſubitò parebat in omnibus, tam ante, quàm in ipſa extaſi ſibi imperatis: quandoque etiam non interruptâ extaſi; unde ſi quandoque aliquod à ſuperioribus mandatum extra raptus accepiſſet, occurrebat extaticæ; rem narrabo, occulatis probatã à teſtibus, An. milleſimo quingenteſimo octuageſimoſexto, die Septembris vigeſimo nono, Cardinalis Medices Archiepiſcopus Florentinus, poſtmodum in Pontificatu dictus *Leo XI.* in vocationis, ac ſpiritus Magdalenæ exploratione, virginem ſanctam quindecim intra dies, trina duntaxat refectiunculâ fruitam didicerat, ut igitur ſpiritum probaret, ſi ex Deo eſſet, virgini ſanctæ vetuit, ne impoſterum, ultra viginti quatuor horas differret edulium. Præceptum humilis excepit, obediens implevit Virgo, nullâ etiam præjudicante, quantumcunque diuturnâ extaſi; tempore namque præſcripto, ſuis eam ſenſibus ſemper reſtituit, refecitq; obedientia. Quæ obedien-

Obediens in extaſi.

Digitized by Google

tiæ puritas, poſt ſex ſpeciatim pariter illuxit annos, quando Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, in die Jovis Sancto, à decima octava feriæ quintæ uſq; ad decimam octavam feriæ ſextæ, extaſim patiens, jamque viginti quatuor horarum ſibi præſcriptarū termino vicina, audita eſt dicere: *O Verbum, tu tempus abbrevias propter obedientiam*, ſubitòque ſenſibus reſtituta per tantillam panis & aquæ refectionem, adimplevit obedientiam. Aliàs in raptu, viſa fuit abſq; naturalis opis beneficio, ſublimem conſcendere trabem, Crucifixum amplexatura, eidem infixum ligno: ſeriem rei geſtæ excepit Reverendus *Dominus Franciſcus Benevenuti*, eiuſdem Monaſterii Gubernator & Confeſſarius, juſſitque S. Virgini, deinceps ſcalam ut applicaret. Paruit Magdalena, quæ poſtea in mediis raptibus, ab omni alienata ſenſu, cum jam ad trabem properaret, præcepti memor, ſubſtitit inquiens: *Neceſſum eſt, ut inſtrumentum applicemus*, ſubitòque ſcalam conquiſivit, trabi affixit, obediens aſcendit, & deſcendit.

10. Mater Prioriſſa ſæpius Magdalenam in ipſo pariter raptu interpellans, præcepit, ut has illasvè obiret functiones; ſubitòque paruit quàm exactiſſimè. Semel in ipſa Sanctiſſimæ Deiparæ Aſſumptione, altiſſimis immerſam contemplationibus, Prioriſſa citavit, protinuſq; abire juſſit ad refectorium, ubi accumbentibus ſerviret ſororibus; vix verbum expreſſerat ſuperior, jamq; prompta, ad nutum volabat Magdalena eo tamē corporis ſenſuūq; geſtu, quaſi in continuō permaneret raptu, vixq; terminatâ Menſâ, quam utcūq; interruperat extaſim, protinꝰ reinchoavit. Aliàs extaticæ imperabat obedientia, ut Cōfeſſariū, ad Cœnobii crates exſpectantē viſeret, protinuſq; nō interrupta extaſi, eo quo vocabatur, properare viſa fuit Magdalēa.

In extaſi Menſæ inſervit ex obedientia.

11. Quam myſtici variis attollunt præconiis obedientiā cæcā, longè ſublimiùs Magdalena illuſtravit factis, quàm docuerit verbis, dicere ſolita: *Perfecta obedientia intellectū & voluntatē propriam, intellectui & voluntati mācipat ſuperioris.* Quoties volūtati ſuperiorū obſequeretur, præcepto quidē ſe ſatisfeciſſe augurabatur, aſt obedientiæ nunquā, niſi prius in obſequiū ſponſi, ſuū captiuaſſet intellectū & voluntatē. De divinis certa mādatis, nunquā parendū duxit, niſi, præhabito ſuperiorū & patris ſpiritualis cōſilio, executionē ſuaderet obedientia, nudipediſmum, veſtem viliſſimam, iejuniū in pane & aqua, Magdalenæ præceperat Dominus, ſingula certis de cauſis inhibuit obedientia, in omnibus quoq; perfectiſſimè paruit Magdalena, donec tandem prodigioſi eventus, ſuperiorum extorſerunt conſenſum.

Auſteritates à Deo imperatas vetante obedientia intermittit.

M 2 12. Tam

Digitized by Google

12. Tam inviolabili cultu ſanctam obedientiæ virtutem proſecuta fuit, per totius vitæ curriculum, ut morti proxima negarit, ſe ex ulla re, gratia, aut favore cœleſti majus haurire ſolatium, quàm ex conſtanti obedientiæ cultu, certa, ſe nunquam proprij intellectus, aut voluntatis, ſed ſuperiorum ſemper & ſpiritualium paruiſſe ductui Magiſtrorum. Unde & ſuo aliquando confeſſario proteſtata fuiſſe legitur: *Nunquam memini, vel minimum, me attentaſſe citrà obedientiam, ſed ſemper ſuperiorum parvi nutibus.* In raptibus conſtituta, hanc eandem à ſuo ſponſo aliquoties exoravit prærogativam, ut ſcilicet, veluti mortua, alieno per omnia, & in omnibus, ageretur motu, ſine ulla voluntatis, aut intellectus proprii influentiâ; petiit, obtinuit, cujus vita perpetuum eminuit obedientiæ holocauſtum; ipſum pariter vitæ epilogum præclarâ inſignivuit obedientiæ coronide, dum ſpiritum jam jam emiſſura, ad unicum abſentis & in Eccleſia, miſſarum ſolemnia peragentis, confeſſarii præceptum, mortem ſuſpendit, vires reſumpſit, fari cœpit, uſque dum finito ſacrificio, atque omnibus ſororibus ſacrâ ſynaxi refectis, confeſſarius immaculatum Virginis ſpiritum benedictione ſolveret præſens, quam obedientiâ ligarat abſens. *vid. Lib.* 1. *c.* 24. §. 8. *&* 7.

Voluntatem propriã nunquam ſequuta eſt.

Obediens etiã in morte.

13. Loquentem aliquando de propriæ voluntatis reſignatione, extaſis invaſit, in qua vidit, quæ, quot, quantaque mala, propriæ generet voluntas, maximè autem in hominibus, qui per votum obedientiæ, conſecratam Deo hoſtiam, toties vitiant, polluunt, contaminent, quoties ſibi ipſis obtemperant.

14. Obedientiam ſuperioribus præſtitam, nimis ſibi exilem auctumans, præter ſuperiores, aliam ſibi deſignavit ſororem nomine *Mariam Pacificam del Tonaglia*, cum tantâ ſubmiſſionis exinanitione, ut ne ipſas quidem, aut à neceſſitate extortas, aut à Regula & conſtitutionibus præſcriptas, obiret functiones, niſi antè petito & obtento ejuſdem ſororis conſenſu; deficiente illâ, aliis ſupplicabat ſororibus æqualibus, pro aſſenſu impetrando; quas ſi quandoque etiam abeſſe contingeret, à propriis ſubditis extorquebat conſenſũ, omnem illum diem perditum reputans, quem ſine hujuſmodi obedientiæ exercitiis tranſegiſſet. Nutibus ergo parebat omnium, neque tamen ullo ſuperiorum, aut aliarum ſororum mandato ſe dignam arbitrabatur.

Omnibus ſe ſubmitt-

15. Porro de propriæ voluntatis reſignationis excellentiâ, va-

rias,

Digitized by Google

rias, eaſque omnes perquam ſaluberrimas tradidit ſententias, quas inter, præter citatas in libro primo cap. 16. quatuor eminent ſequentes. 1. *Quisquis brevi temporis ſpatio, ingentem avet multarum virtutum accumulare in occulto theſaurum, bonum hoc & ſalutiferum frequentet obedientiæ exercitium, quod ad inferendam homini veteri mortem, novoque vitam, judico efficaciſſimum. 2. Poteſt anima maximæ, quam cum Deo habet, utcunque ſatisfacere obligationi, ſi perfectum ſe obtulerit obedientiæ holocauſtum Majeſtati divinæ; ita ut hujus ſe omnimodè committat voluntati, tam in cœlis, quàm in terris; ipſoque inferno indifferenter circa ſe, & quamcunque aliam creaturam adimplenda. 3. Anima, per dies ſingulos ſanctiſſimi particeps Altaris Sacramenti, in tanta vivat oportet indifferentia, perque promptiſſimam obedientiam, ita divino ſe conſecret beneplacito; ut penitùs dignoſcere nequeat, quid ſibi placere, aut diſplicere poſſit, niſi in quantum placuerit, aut diſplicuerit, voluntati divinæ. Perfecta Religioſæ animæ obedientia perſonarum neſcit acceptionem. vide latius infra cap. 15. de unione voluntatis cum divina.* Propriæ voluntatis reſignationis excellentia.

CAPUT III.

De Paupertate.

1. FUnibus & catenis vinci gaudebat paupertatis Maria Magdalena, vel ab ipſis quodammodo faſciis, quæ, priuſquam Religioſam indueret veſtem, gloriari conſueverat: *Exiſtimo omnia detrimentum, lutum, & ſtercora, ut Chriſtum Ieſum lucrifaciam.* Ideoque omni manè Deo ſupplicabat enixè, ut optatiſſima eo die ſibi occaſio faveret, in qua ſingulare ederet paupertatis ſpecimen, ſemper anxia, quandoque & querula, quod nimia ſuperiorum charitas ſibi abundè proſpiceret in omnibus. Imò ſæcularis, quandoque lamentabiliter nimiam pariter incuſavit domeſticorum & parentum erga ſe curam, ſollicitudinem, providentiam. Ingemiſcebat ſæpius, verita ſe morituram, priuſquam, quid paupertas eſſet, intelligeret, longè minùs probaret; neque vulneri aliud, præterquam penuria poterat mederi. Fixis quandoque in Cœlum oculis, exclamabat: *Deus meus! cur me tanto paupertatis pro te ſufferendæ exagitas ſtimulo, quandoquidem panem oſtiatim mendicandi (gratiæ rariſſimæ) mihi denegatur facultas? Imò omnium hujus mundi deliciarum & gratiarum maximam reputarem O Ieſu, ſi nuda tecum in cruce aliquando exſpirarem.* Philipp. 3. v. 8. Affectus continuus erga paupertatē.

2. Si quid interdum ad vitæ neceſſaria ei deeſſe contingeret, præ gaudio geſtiebat, tunc inquiens ſibi videri, quòd paupertatis limites non excederet. Copiam itaq; rerum nauſeabat, & novam nun-

Digitized by Google

quam ſed magis tritam veſtem perquirebat, ſollicita, non fulgere nitore veſtium, ſed candore animæ, juxta Divi Bernardi ſententiam: *foris pannoſa intus ſpecioſa*; ſic emergens è terra, ea duntaxat appetebat, quæ ſurſum ſunt.

3. Pauperis aliquando, panem per plateam mendicantis, inaudiens vocem, erubuit, ſummoque pudore ſuffuſa, ait. *Iſti ad paupertatis obſervantiam minimè aſtringuntur, quemadmodum ego; & nihilominus plurima patiuntur paupertatis incommoda, ego nullum. O ſi mihi panis oſtiatim petendi faveret licentia! O ſi mihi eleemoſynam, amore Dei poſtulanti, verba darentur amara! O ſi à pluvijs, & tempeſtatibus domũ redux laſſa, exhauſta peſſimèque diſpoſita, nullam invenirem requiem, refrigeriũ nullũ, quàm feſtivo tunc jubilo exultarẽ! ſed hujuſmodi prô dolor indigna ſum favore.* Ad novitias quandoque & alias pariter converſa ſorores, his ſimilibuſq; verbis, earum mentes ſincero paupertatis Religioſæ amore accendere nitebatur: *Tunc utique veraciter nomen portaremus & omen Religioſarum ſororum B. Virginis Mariæ ab Angelis, ſi diurnis fractæ laboribus, veſpere facto, pro refrigerio & quiete, iniurias gaudenter reciperemus, & verbera. O quæ utilitas, quæ gratia, quod privilegium nobis obtingeret, ſi manducaturis, cibum; ſi dormituris, locum quietis; ſi veſtem mutaturis, quodcunq; operimentum, cœnobialis negaret paupertas. Quoad me attinet, maximoperè delectarer in ijs, omnique, hanc mihi gratiam præſtituro, meum ego ipſamet ſanguinem donarem & vitam.*

4. Suas dexterimè, ne charitatis ſubſidio alleviata, paupertatis neſciret incomoda, omnes occultare didicerat neceſſitates, quas in extremis quandoque anguſtiis inſolens prodebat, penuriæ partus, animi jubilus. Anno milleſimo ſexcenteſimo Magdalenam pranſurã, pane deſtituerat, neq; poſtmodum ſubſtituit refectorariæ injuria, vix è Menſa ſurrexerat S. Virgo, pollucibiliter refecta abſq; pane, quando ſibi ipſi quodammodo non compos. præ magnitudine gaudii, inſolitis lætitiæ ſignis exſilire cœpit. Inq; virtute S. Obedientiæ, cauſam jubili edicere juſſa, rem enarravit, ut ſucceſſerat, profeſſa, ſe nullũ unquam, quoad vixit, majorẽ ſenſiſſe animi júbilũ & ſatisfactionem.

Pane deſtituta prandet.

5. Aliquando in pauperioribus degens Monaſterii locis, genuflexa, oculiſque in crucem, quam manu portabat, conjectis, lachrymabatur, dicens: *O quàm beata forem, ſi omnium mihi neceſſariorum laborarem penuriâ; ſi exulante refrigerio, omnes me impeterent & premerent,*

amore

amore tui, O Ieſu, tribulationes, moleſtiæ, anguſtiæ! imò tunc aliquatenus me pauperem arbitrarer, amore tui.

6. Seraphici æmula Franciſci, auguſtiſſimis titulis & præconiis ſanctam ſublimabat paupertatem, plerumque eam nuncupare ſolita, ſponſam Jeſu, electam ex millibus, cui merito accineretur: *una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt Matris ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Vel minimũ Religioſæ paupertatis nævum, quem in aliis depræhendiſſet, omni depoſito reſpectu humano, à patre ſpirituali, aliiſque ſuperioribus aboleri ſatagebat quantocius.

Paupertatẽ extollit. Can. 6. v. 8.

7. Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto, quinta nocte octavæ Pentecoſtes, in raptu conſtituta, ſequentem cum Jeſu de paupertate Religioſa inſtituit diſcurſum: *Beati qui te abſque ullius rei tranſitoriæ poſſeſſione ſequuntur; te ſiquidem ſuæ obtinebunt pretium ſequelæ, divitias divitiarum, theſauraum theſaurorum infinitam cæleſtis opulentiam paradiſi: At quis paradiſum emit? quæ illum adæquabit pecunia? quæ tanti boni pretium recompenſare poterit retributio? quis credit? NIHIL emit, NIHIL adæquat paradiſum; amore Dei, nihil poſſidete, nihil appetite, nihil, quod hujus mundi eſt, deſiderate; nihil, præterquam Deum, velitis, Dominus pars hæreditatis noſtræ; excellentius dico; nec Deum ipſum, niſi propter Deum deſideretis. O ſublimiſſimam & ditiſſimam paupertatem! tu pretium es Regni cæleſtis; theſaurus theſaurorum extremâ comparatur paupertate, anima pauperrima paradiſum poſſidet, jure pleniſſimo. Quis paupertatem faſtidiet, tot cæleſtium originem, fontemque bonorum? Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea; utrum dicã, an præ deſiderio poſſeſſionis cæli, an præ deſiderio poſſeſſionis paupertatis tuæ? ſiquidem hæc æquivalet cælo, pretium infinito æquale pretio.*

Cum Jeſu de paupertate diſcurrit.

Mat. 5. v. 3. Pſ. 83. v. 2.

Paupertas æqualis eſt paradiſo.

8. Aliâ quâdam vice fortiter exclamantem audiêre ſorores: *O Beati Religioſi, quos tanto Deus deperit amore, tanto afficit honore, ut ipſemet elegerit pars eſſe eorundam, dum amore illius, per ſolemne votum; omnia alia deſeruêre. O divitem paupertatem, quæ nos altiſſimi poſſeſſores efficis boni! è contrario autem væ Religioſis iſtis, qui proprietarij quidquam poſſident, quemadmodum reliqui, quos ſimile non conſtringit votum; vah! hi Deum contemnunt, partem hæreditatis ſuæ, dum alia, præterquã Deum, concupiſcunt & poſſident, ſuorũ prævaricatores votorũ. Vtinam, utinam in vitæ epilogo pariter nõ derelinquantur, æternũq; ſequeſtrentur ab eo, qui bonitas eſt infinita*

Proprietatis mala.

infinita. O miſeros, O cæcos Religioſos! O paupertas deſolata & incognita Religionibus! Adeo neglecta ab ijs, qui ſuam tibi fidem addixêre. Deus ſcit, an talis cæcitas ſeveram divini ſubterfugiet vindictam examinis, quod non modo defectus, ſed & ea multoties, quæ nobis virtutes eſſe videntur, flagitia eſſe perhibebit.

9. Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, quinta Julij, in raptu edocta, quàm nudo deinceps paupertatis rigore, nudum in cruce ſponſum ſequi deberet, Cameram ſuam omni, ab obedientiâ indulto, ſpoliavit apparatu, ſaccum paleis ſeu ſtramine farcitum, oratorium & librum Evangeliorum, præter quæ nihil niſi unicam poſſidebat crucem, protinus eiecit; ſolâ in orationis obſequium aſſervatâ cruce, quam ipſam dum quoque ſuperfluam eſſe pertimeſceret, in extaſi hiſce ſuum interpellavit ſponſum: *O Verbum incarnatum ſi noſſem, hanc crucem vel minimum gloriæ præjudicare cœleſti, ex nunc eandem è cella exterminarem.* Ab hoc Anno & die, cum Superiorum aſſenſu, ad dies vitæ quotcunque ſibi interdixit veſtimentum novum, imò & vetus, niſi ſummam ſaperet vilitatem, pauperiem extremam.

Cellam ſuam omni exuit ſuppellectile.

10. Unicam Magdalenæ cellam, commune ſororum adagium, paupartatis deſignarat officinam; materiæ quidpiam aliquando petierat à Superioribus, quâ Religioſum ſuum reficeret theriſtrum; reſarcito habitu, ſupererat tantillum, quod reſtituere diſtulit ex oblivione, neque tamen dudum latere potuit theſaurus, quem quotidianum illicò prodidit ſcrutinium. Inventum igitur ſuperiori detulit, ſe graviter incuſans, quòd illam panni ſtaminei particulam, citra neceſſitatem, tantillâ temporis morulâ, in cellâ aſſervaſſet; exinde ad Dominum converſa, eidem gratias egit, quòd ſibi tempus iudulſiſſet, hanc in ſevera pœnitentia eluendi noxam. Aliâ vice ex pauculis acubus, quot ſuperabundare putabat, alteri conſignavit ſorori, *pauper in cella, dives in conſcientia Magdalena.*

11. In frigoribus, nivibus, pluviis tantò deliciabatur amoroſius, quantò in nudos pedes & corpus, paupere attritâq; lacernulâ tectũ, deſævirent atrociùs; multoties tamen obedientiæ diſcretio, nimios coercuit pauperatis exceſſus; veritatem perhibeat ſubjecta rei geſtæ ſeries. Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo octavo, ſoror *Evangeliſta del Giocondo*, S. Virginis Magiſtra & directrix, hyemalibus

miſerta

Digitized by Google

miſerta diſcipulæ algoribus, lacernulæ attritæ, quam conſtanter in rigidiſſimo hyemis gelu, unicam portabat tenella Magdalena, aliam frigoris patientiorem ſubſtituere decreverat veſtem; Aſt ne ſpiritu pauperrimam affligeret in minimo hanc ſpiritualis ſtratagematis adhibuit cautelam. Vigeſimo ſeptimo Decembris, in feſto S. Joannis Evangeliſtæ, abſolutis matutinis, coram omnibus ſororibus, S. Virgini in medium chori evocatæ, genuque flexæ juſſit, religioſam protinus exuere veſtem, quo facto, aſſentientibus ſororibus reliquis, aliam ei veſtem conſignavit, cum dicto: hunc tibi habitum, amore Dei, donat Religio, hunc indue & aſſerva, uſque dum eum repetat à te. Eleemoſynam cum incredibili gaudio amplexata eſt Magdalena, ſtip[illegible]mque feſtivo recompenſavit, *Deo gratias*; neque ſpectaculo interfuit ulla, quam in communem lachrymarum ſocietatem & ardentem paupertatis amorem, non aſciverit ſanctæ Virginis paupertas. Attritæ B. Virg: veſti alia cum aſtu ſubſtituitur.

12. Aliquando in raptu conſtituta pluribus edidicit, quantum Deus ſimplici oblectetur pauperie, quæ vigilis inſtar canis, furum detegit machinamenta, Religionis hoſtium publicat technas coſmophilorum arcet vanitatem, & Religionem divinum efficit habitaculum. Perſtitit hic raptus multo tempore, quem hac tandem terminavit parænesi: *Caveant Religioſi, ſub prætextu compaſſionis in ſe provocare maledictionem vanitatis. Væ væ & millies væ ei, qui hujuſmodi vanitatis maledictionem induxerit in Religionem.* Aliàs paupertatis contemptorem leproſo aſſimiliavit. Si quæ ſororum abjectiorem veſtem, abſonium inſulſum, & quamcunque aliam vilem, pauperemque Cœnobii ſupellectilem verbo memoraſſet contemptibili; excanduiſſe graviter dixiſſes Magdalenam, in hæc illicò prorumpentem verba: *Quò majorem ea, quæ Religionis ſunt paupertatem & vilitatem ſapiunt, eò pluris illa æſtiment & ardentius concupiſcant, oportet, Religioſi; ipſi enim paupertatem voverunt: Pauperes autem aſpernantur omnia, certi, ſibi nihil deberi ſubſtantiæ pretioſæ.* Paupertatis in Religione commodas, proprietatis mala.

13. Aſſerebat aliàs: *humilitatis & paupertatis amatorem nihil turbat nihil affligit; qui paupertatem poſſidet, pauperis ſemper memoriam habet Chriſti, tantique ſuum æſtimat corpus, quanti, Rex telam aranearum.*

14. Die quodam dominico, dum veſperas caneret cum reliquis, ſubito in extaſim rapta, numeroſiſſimam vidit animarum catervam,

Digitized by Google

veluti floccos niveos, in infernum ruere; didicitque, omnes infortunatiſſimas illas creaturas, perſonas eſſe Religioſas, quas in Cœnobiis laxioribus & minus obſervantibus degentes, votorum damnavit prævaricatio, principaliter autem ſanctæ paupertatis neglectus. Unde in hanc ſubitò prorupit exclamationem *O paupertas! O Religioſa paupertas propemodum incognita, vix obſervata; O ſi nota fores, omnis è Religioſorum cellis exularet ornatus, omnis è Cœnobiis proſcriberetur elegantia, nullus vanitatem ſuſtineret angulus; pecuniam, ut venenum, declinaremus; O Ieſu, quantum Religioſæ paupertatis decorem maledicta deflorавit proprietas! O quot Religioſarum animas ignis cremat infernalis, propter ſanctæ paupertatis neglectum, aut contemptum.*

Paupertatis neglectu multos Religioſos videt damnari.

15. Si quam inſipidos faſtidientem cibos audiret in foribus aderat, quæ monebat, quæ acriter perſtringebat, Magdalenæ diſciplina, inquientis: *Soror memineris, te pauperem eſſe; pauperes autem ſtipem mendicantes, maximi reputant beneficii loco, ſi quod mucidi, ſicciq; panis impetrent fruſtillum.* *vid. ſup. cap. 1. §. 3.*

16. Inaudierat aliquando, Religioſos quoſdam ſpecioſo paupertatis titulo gloriari, eo quòd neceſſaria omnia quotidianus manuum labor tenuiter ipſis ſuppeditaret, quæ in aliis ordinibus, abunde atque indefectibiliter benigna ſubminiſtrat Religionis charitas. Infeliciſſimam horum Religioſorum aleam tacito primitus gemitu, perſecuta fuit S. Virgo, quæ paulo poſt extatica, voce exclamavit ſonorâ: *O cæcitas hominũ! O ſtatus Religioſus tam parũ cognitus? O ingens miſeria? prætextu boni, malũ tegitur & protegitur, tot innumeris æternaliter exitioſum animabus. Tales ſeipſos fallunt, ſiquidem operum ſuorum exſpectantes mercedem, æternam invenient damnationem, quia paupertatis incommoda, voluntariâ proprietate ſecundarunt.*

17. Aliàs in raptu exiſtens, laxioris vitæ Religioſos hâc perſtrinxit objurgatione: *Intelligere nequeo, qualiter Religioſi per tria vota Deo conſecrati, communem declinarent vitam, ſpecioſam perfectæ vitæ Religionem, ſuâ adulterantes proprietate. O maledicta proprietas, tot excuſationum & prætextuum auceps, ut virtus quandoque reputetur, quod ſcelus eſt; Non capio, qualiter Religioſi tutâ conſcientiâ, proprios poſſideant cenſus; qualiter Religionis officia & munia, ſpecialibus nutriantur & foveantur redditibus, cauſa, cur Religioſi præ ipſis quandoque ſæcularibus ſectentur ſæcularia. O IESV, omnibus me conſice tormentis, dummodo tot tibi conſecratæ ſponſæ comunem obſervent vitam; video namque & exhorreo, plu-*

Laxiores Religioſos perſtringit

rimas earum, propter communis defectum obſervantiæ, ſupplicijs devoveri æternis. O deteſtabilis exteriorum ſollicitudo, quæ ſponſam Chriſti, tempore deſtituit & modo, quo minus perfectè Deo converſetur; Vtinam, utinam in vitæ margine faciem pariter non auferat divinam.

18. Deſperatam judicabat Religioſi ſalutem, cui voluntariæ proprietatis obſequium, cibos indulget delicatiores, etiamſi vili ſqualeat veſtitu; ſiquidem niſi *quis renunciaverit omnibus, non poteſt Chriſti eſſe diſcipulus*, neque ſpe cœleſtis lætari beatitudinis. E converſo certam aſtruebat illius ſalutem Religioſi, quem communis profeſſorem, cultorémque vitæ, ſola veſtit, ſola fovet, nutritque Religio & ſuperior. Luc. 14. v. 33.

19. Quædam è vivis diſceſſerat ejuſdem Cœnobii Religioſa, cui laudabiliſſima vita, ingentem conciliarat ſanctitatis conceptum apud omnes, vidit hanc Magdalena admirabili circumcirca illuſtratam gloriâ, præterquam quòd manus ejus, omnis ſubterfugiſſet ſplendor & decor; ſubitòque intellexit S. Virgo, hanc manuum labeculam, paupertatis prævaricationis effectum eſſe; ſiquidem monialis iſta, dum viveret, plurima perſonis ſæcularibus impertierat munuſcula; Ideo extatica Virgo in hæc illicò prorupit verba: *O peſſimum defectum, divinis adeo faſtidioſum oculis ſiquidem animam hanc, quantumvis felicem & beatam ſupremâ illâ deſtituit luce, quam habuiſſet, ſi hujuſmodi non admiſiſſet defectum.* Paupertatis neglectus ſplendorem animæ beatæ obfuſcat.

Caput IV.

De Virgintate & Caſtitate.

1. Virgo quædam Spartana, inops, quam ſponſo dotem afferret, interrogata, *patriam*, inquit, *caſtitatem.* Idem S. Magdalena in camino paupertatis electa, atque decocta, reddere potuiſſet reſponſum ſuo cœleſti ſponſo, ſi quam à pauperrima dotem poſtulaſſet, de qua in præſenti. Puella in ædibus dimorans paternis ſæperus inviſere gaudebat, infantium atque adoleſcentularum agreſtium amore capta, ſuum vel à primis unguiculis docta frequenter invitare ſponſum: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* ſtupuêre parentes, cur ſolitudinis mantiſſima, humaniq; jurata hoſtis conſortii, tanto ruſticanæ familiaritatis traheretur deſiderio, cauſam itaque interrogata, reſpondit: puerile decus ſe amare, venerari, amplexibus demereri, Cant. 7. v. 11. Parvulos amat ob eorum caſtitatem.

Digitized by Google

reri, propter intemeratam illius caſtitatem, & angelicam corporis animique puritatem; vi cujus proinde, in ætate iſta Ieſum ſibi infantem repræſentari aiebat.

Caſtitatem Deo decennis vovet.

2. Candidum virgineæ puritatis ſuæ floſculum, ut à peſtiferis mundi, in maligno poſiti; defenſaret injuriis, vix pullulantem, decennis, in die Jovis ſancto, poſt communionem ſacram ſponſo conſecravit cœleſti, voto irrevocabili, connubii divini pollicita fidem. In perpetua igitur Virginitate Deo adhærere certa, ad nuptias carnales provocata à variis, Matrem, ne caſtiſſimum impediret propoſitum multis tandem emolliit precibus & lachrymis; cumque patris aſſenſum adverteret difficiliorem, reſpondit intrepidè, ſuam ſe potius cervicem Carnifici, quàm caſtitatem diſcrimini ſubjecturam; atque ita omni caſtior, puriorque

Penelopê manſit, quamvis cuſtode careret,
Inter tam multos intemerata procos:
Nec quid hymen, quid amor, quid ſint connubia, curans;
Contempſit, quotquot ſe petiêre viri.

Tentata impuris aſſultibus quid caſtitatem violaret nunquã tamen ſcivit.

3. Biennio integro, ſcilicet milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto & ſexto, in lacu Leonum, continuos impuræ Cupidinis ſuſtinuit impetus, neque tamen unquam, per 41. ætatis annos, quos vixit in terris, quid virginalem caſtitatem offenderet, quid violaret, quid foret actio contra caſtitatem, vel nudâ aſſequi potuit cogitatione, ſanctiſſimè coram omnibus monialibus proteſtata in agone ultimo, ſe biennio illo graviſſimis quidem appetitam fuiſſe impuri hoſtis aſſultibus; nunquam tamen penetraſſe, quid à ſe extorquere ſatagerent inimici; verè equidem *hortus concluſus, ſoror mea, ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.*

Cant. 4. v. 12.

Vanos ſermones divertit.

4. Summæ ducebat Religioni vel minimam parentum, amicorum, aliarumvè rerum ſæcularum inſtituere mentionem, dicere ſolita, indecens prorſus eſſe, & ab omni alienum honeſtate; Religioſam, per ſolemne caſtitatis votum, Deo conſecratam, vel minimam cordi cogitationem, aut ori indulgere verbum, ſanctæ diſſonum profeſſioni; Unde ſi vanum cujuſpiam ſororis offendiſſet ſermonem, admirandæ affabilitatis gratiâ, diſcurſum, à terrenis & tranſitoriis avulſum, ad cœleſtia ſublimabat, ſanctæ & pudoratæ eloquentia Magdalenæ, abſque offenſa ullius, imò cum maxima omnium utilitate, ædificiatione & ſatisfactione.

Digitized by Google

5. Inter alia, teſte Doctore Angelicò, quæ in virgine valent ad conſervationem incorruptionis, eſt fuga occaſionum peccandi; ideoque Magdalena Cœnobii muros & parietes, ſæpius ſummo cum affectu exoſculantem vidêre & ſtupuêre ſorores, cauſamque interrogata S. Virgo reſpondit ſimpliciter, ſanctorum illorum parietum beneficium eſſe, quòd ab infelicis mundi turbinibus ſequeſtrata, tutum poſſideat, quem *in vaſis fictilibus* circumferimus theſaurum; quod muris illis debeat, cur à ſæculi vanitatibus & concupiſcentiis avulſa ſolum cœleſtem depereat amorem; unde & exclamabat quandoque: *O ſi mundani ſcirent, & intelligerent; quot, quantaſque alterius vitæ delicias perpetua deguſtet virginitas, tanquam cervi ſitibundi ad aſperrimas convolarent Religiones, ut intactam puramque protegerent pudicitiam; quò namque pluribus vinea circumdatur ſepibus, eò ſecurior degit ab hoſtibus; cujus ſi deſtructa fuerit maceria, vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam.*

Muros Monaſterii exoſculatur, defenſores caſtitatis.

2. Cor. 4. v. 7.

Pſ. 79. v. 13.

6. Quotquot S. Virginis uſi fuêre notitia aut converſatione, puritatem in ea, angelicam potiùs, quàm humanam reluxiſſe, teſtimonio perhibent concordi; in oculis, geſtibus, verbis mirus deliciabatur illius odor puritatis, quæ corpus, totumque cor poſſidebat; caſtiſtiſſimas omnibus ſe intuentibus ingerebat cogitationes, admirandam facies ejus ſpirabat gratiam, angelicæ figuræ ſimillimam, imò in vultu ejus quid neſcio divini coruſcabat, quod corda ſecum agentium, loquentium, & quomodocunque tractantium inescabat, fortiterque attrahebat omnium; tantâ conceptuum, affectuumque ſublimitate puritatem extollebat, quoties de ea loquendi faveret occaſio, ut ſanctæ hujus virtutis amore voluntates ineſcaret omnium, abundeque panderet, quanto illius ipſamet amore teneretur. Corpus & membra ejus certum quendam, ſuavem, inſolitumque ſpargebant puritatis odorem, quem Monachæ quidem exterius percipiebant, at cui eum aſſimilarent, penitùs ignorabant; jugiterque eo oblectari, quaſi inſatiabiles gaudebant, ſiquidem quamcunque ſuaviſſimam excedebat florum fragrantiam, quotieſq; ipſum perciperent, toties novis ſe puritatis & caſtimoniæ deſideriis repleri, ſtimuliſque agitari experiebantur; odor itaque erat omni fragantior, melior, ſincerior, artificiali & naturali; & communi nomine à ſororibus nuncipatus, *odor puritatis.* Ultimo vitæ triennio cellam incoluit, quam incommodus odore peſſimo vitiaverat ſitus;

Caſtitatis amantiſſima, ſingularem ſpirat odorē.

Quo cellæ grave-olentiâ fuga-vit. Gen. 27. v. 27. ſitus; at ſanctæ præſentia virginis, id quod omnes atteſtatæ fuêre ſorores, tunc ſuperſtites, illam inſolitâ replevit odoris fragrantiâ, quæ tandem in ipſa etiam ſe diffudit puriſſimæ virginis veſtimenta, cujus ſuavitate Pater illectus æternus benedicens illi, ait: *Ecce odor filiæ meæ, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

7. Puritatem itaque veſtimenta, corpus, verba, omneſque ſpirabant caſtiſſimæ Virginis nutus & geſtus, atteſtari ſolitæ, ſe ex ſpeciali privilegio ab incunabulis ardenti ductam puritatis ardore cujus ſupremum in terris apicem & perfectionem, per mille etiam cruciatus & tormenta conſcendere, animo fixum ſtatutumque eſſet, quantum humana ſineret fragilitas. Sororibus, imò & ipſis, quæ ſorores, aliæque virgines calcarant, aut contrectarant, locis plurimam deferebat reverentiam, hujus unius intuitu virtutis; & ne quis hanc agendi conſtantiam, ſolo adumbratam dictitaret virtutis colore, nullâ veſtitam veritate, frequens eventus docuit, Magdalenam ægerrimè converſari cum iis, qui impuritatis, quantumvis occultisſimo, laborarent contagio.

Caſtas ſorores colit, vel minimo impuritatis laborantes contagio, averſatur.

8. Auguſtisſimis caſtitatem proſequebatur titulis & præconiis tanto eloquentiæ & fæcundiæ profluvio, ut vix finem factura videretur ſermonis, quoties hujus virtutis incideret mentio: cautionem acceperat à ſponſo cœleſti, ſicut & à Deipara ſanctisſima, virginitatem ejus nullâ unquam labeculâ contaminatam, neque impoſterũ contaminandam unquam, nihilominus tanta hujus theſauri conſervandi premebatur ſollicitudine, ut omnes ejus curæ & induſtriæ in ejuſdem unius viderentur conſpiraſſe cuſtodiam, tutelam, defenſionem; ideoque crates ferreas, quantumvis à piis ſanctiſque ſæcularibus ſollicitaretur ad colloquium, cane peius, & angue declinabat, ad ſorores dicere ſolita: *Recordemini, vos Deo conſecratas eſſe, nec fieri poſſe, quin ſoror à cratibus redux, multo egeat tempore, priuſquam internam recuperet, quam ante poſſiderat, pacem & puritatem; quia ſæcularium diſcurſus candidum frequenter inopacant & pulvere conſpergunt caſtitatis lilium.*

Caſtitatem mirè deprædicat, illius conſervandæ ſummè ſollicita.

Collocutoriũ ac moniales illud amantes averſatur.

9. Si quam hilari vultu, agilique greſſu ad collocutorium properantem vidiſſet, hâc ſuavi eam interpellabat voce: *ſoror, nondum integrè evaſiſti noſtra; monialium namque S. Mariæ ab Angelis proprium eſt; contriſtari, non exultare, quando vocantur ad crates.* Quoties autem ſorores, vel omnes, vel aliquam à cratibus abhorrere adverteret,

ret, ſummâ cum lætitia, animique jubilo, hanc gratiam, veluti ſpecialiſſimum ſanctiſſimi Sacramenti fructum ſuſpiciebat & venerabatur. Pauca certè aut nihil potius mihi dixiſſe videor, dum id, quod jam jam ſubiungo, uſque modò reticui. Proteſtabatur aliquando, ſe potius tot purgatorii ignis eligere, quot in ſæcularium colloquiis conſumptura eſſet horas; gravius rata tormentum, ſpecioſas Cœnobii, quàm ardentes purgatorii crates. Si quando S. Virgo collocutorium tranſire compelleretur ob negotia, vix ipſum ſuo dignata obtutu, dicebat. *Locus iſte Sponſis Chriſti nullum fructum, quietem nullam, ſed diſtractiones cauſat & turbines; diſcrimina multiplicat puritatis tentationes non ſolùm non aufert, ſed & auget.* Quæ omnia & ſimilia integerrimus eructabat effectus, quo ſanctæ proſequebatur virginitatis excellentiam Magdalena. Quotieſcunque, dum Magiſtram ageret Novitiarum ad collocutorium vocaretur ſororum implorabat preces, hâc ſimiliq; formâ: *filiæ orate pro me quia vocor ad crates.*

10. Die quâdam, ſororum juvencularum unam proprius alloqui petiit Germanus, diſſolutæ, pesſimæque vitæ adoleſcens, novitiam juxta ordinis conſtitutiones, comitata eſt Magiſtra Magdalena, vixque Juvenis, oculos offenderat, caſtiſſimus S. Virginis obtutus, quando è veſtigio inſalutatâ ſorore, nulloque prolato verbo dorſum obvertit, totuſque furiis agitatus, abſcurrit. Fraternæ incivilitati ingemuit, incuſavitque Novitia, cujus cauſam à Matre interrogans, intellexit, fratrem ejus purisſimi Magdalenæ obtutus impatientem, ſe fugâ ſuſtuliſſe; quia ſcilicet, utprimum oculos in S. Virginem coniecerat impurus leno, tanta ſubitò interius verecundiâ & confuſione repletus fuerat, ut extraordinariæ inquietudinis ſtimulo adactus, nolens, volens, Magdalenæ præſentiam illicò declinarit.

Juvenis impurus caſtæ virg: vultum ſuſtinere non poteſt.

11. Ipſæ Moniales ſi aut locum contigiſſent, ubi pedem ante fixerat Magdalena, ſubitò ſanctisſima puritatis concipiebant deſideria, aliæ S. Virginem intuentes, aliæ vicinæ aliæ remotæ, aliæ eam ſolâ cogitatione agitantes, mirabiles in ſe experiebantur caſtimoniæ effectus; indilatè tranquillatis earum animis, ſerenatis cordibus, quâcunque moleſtâ evaneſcente tentatione, noviſque ſuccreſcentibus puris, ſanctis, immaculatis affectibus.

Omnes ad puritatem accendit

12. Princi-

12. Principalem puritatis clypeum, frequentiam aſſignarat ſacræ ſynaxis & orationis, patrociniū virginis virginum, è cujus manu, dum annum ageret ætatis vigeſimum primum, candidiſſimam accepit chlamydem; item patrocinium S. Angeli tutelaris, & S. Alberti Carmelitæ, quem ſingulari ſemper hunc in finem proſecuta fuit cultu & veneratione; ſcutum inſuper ejuſdem virtutis, inexpugnabile aſſerebat, rigorem vitæ, vigilias, orationes, pœnitentias, auſteritates, nec non fugam eorum, quæ viſa, audita, contrectata, aut ore prolata, quomodolibet nos ad impudicitiam accendere aut incitare poſſent, ideoque ut diximus, ſæcularium conſortia, capitali odio proſequebatur, nec verbo, nec calamo eos dignata. Litteris ad ſe deſtinatis nullum niſi ex obedientiæ virtute, reddebat reſponſum, dicere ſolita, literarum commercium, ſponſarum Chriſti Jeſu dedecere puritatem; ſiquidem earum lectio, ſæcularum renovat ſordium, turbinumque memoriam. Semel eam interrogarat Confeſſarius ejus, R. P. Virgilius Cepari Soc. Jeſu, Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo, utrùm impoſitum à Superioribus gubernium Collegii Florentini ſibi ſuſcipiendum foret; Præmiſſis orationibus, quid ſibi Dominus inſpiraſſet, fideliter retulit Confeſſario Magdalena; aſt ille rei ſeriem in ſcriptis habere geſtiens, S. Virgini in virtute S. Obedientiæ, præcepit, ut quod verbo expreſſerat, ſcriptis commendatum, ſibi extraderet. Paruit Magdalena, quantum jubebatur, nec ultra, hoc ſimpliciſſimo, ſummèque ſpirituali, omnibus ſuperioribus documento perquam neceſſario, uſa ſcribendi genere.

Scuta ac patrocinia caſtitatis.

Epiſtolarum odit commercium.

IESUS MARIA.

Epiſtola S. M: ad ſuū confeſſarium.

Reverende in Chriſto Pater. Veſtræ ſatisfactura obedientiæ, id ſcribo in præſenti, quod mihi circa veſtram occurrit petitionem; ſcilicet, Primò, ut regimem eo ſuſcipias amore, quo Dominus noſter amplexatus eſt Crucem. 2. ut ipſum eo continues amore & ſatisfactione, quâ Dominus noſter perſtitit in Cruce; 3. nihil in eodem quæſieris, præterquam id, quod idem Dominus in Cruce pendulus; ſcilicet, pati, amare, gloriam dare Patri ſuo, eumque pro ſuis exorare crucifixoribus. ſi quid aliud dixi, mente excidit; quia ut noſti, memoriam non habeo. Benedicite; ora Deum pro me, ut meam illuminet mentem in ordine ad particulare quoddam negotium, quod mihi dubium creat & faſtidium. Ieſus impleat nos Zelo ſuo.

13. Deo per votum caſtitatis conſecratas animas, à ſæculo, veluti

Digitized by Google

veluti paſtores in deſerto degentes, ſequeſtrandas docebat, quaſi inculcaſſet ſingulis: *Egredere* è ſæculi tumultu, *& abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos juxta tabernacula paſtorum.* Neque hoc loco prætereundum duxi, quod Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto, circa principium Menſis Junii, contigit extaticæ: Eo namque tempore, à ſenſibus alienata per quinque circiter horas, didicit, quatuor præſertim mediis ad apicem perveniri poſſe puritatis angelicæ; ſcilicet, perfecta ſenſuum mortificatione, cordis cuſtodia, corporis caſtimonia, ſpiritus humilitate. Eadem in extaſi coram ſanctis principalioribus Patronis ſuis, ſcilicet B. Virgine Maria, S. Auguſtino, S. Angelo Carmelita, & S. Catharina Senenſi excellentiſſimum divinæ puritatis donum à JESU recepit, in forma candidæ veſtis, ſæpe ſæpius iterans; *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?*

Cant. 1. v. 7.

Quatuor mediis ad apicẽ puritatis pervenitur

Pſ. 115. v. 12.

14. In alia didicit extaſi, paucos admodum in hac vita, divinæ illi copulari puritati; ideoq; ſuſpirans, ingemiſcebat: *Heu mihi! ſponſus languet, ſponſus languet, ſponſus lãguet & diverſorium quærit amori ſuo divino, languet ſponſus, nec diverſoriũ reperit, ubi hoſpitetur cum ſponſa puritate: requiem quærit, & nõ invenit, & nihilominus tantillũ divinæ hujus ſufficeret ſimplicitatis & puritatis: hanc unã deſiderat, ut locupletiſſimos profundat gratiarũ theſauros: ſed ò dilecte anima mea, electe ex millibus: ubi vis puritatem, adeò à te dilectam ſponſam collocare? ſuffecerint fortè oculi pro porticu? Non: quia oculi tui columbarũ. Fortè ſuffecerit os, forſan cor pro thalamo? minimè: quia recti diligunt te, nequaquã ſufficiunt iſta, JESU caſtiſſime, ſed vis ſponſam tuam hoc exornandam favore, totã eſſe pulchrã, penitus immaculatã. Vis puritatem cunctis illius inſidere mẽbris, oculis, ori, labiis, cordi, cogitationibus, locutionib⁹, operationib⁹, ut de ea dici poſſit tota pulchra es amica mea & macula nõ eſt in te.*

Pauci verè puri.

Cant. 1. v. 14.
Cant. 1. v. 3.

Cant. 4. v. 7.

15. In Feſto S. S. Innocentium, pariter in extaſi conſtituta, intellexit, veros Religioſos S. S. Innocentibus æquiparandos in puritate & Martyrio: quando alia inter verba profudit ſequentia: *Religioſi, virginitatis cultores, agnum ſequuntur immaculatum, cum candido illo Innocentium exercitu: quia & illi in ſtatu permanſère virginali, adeò divinis grato & accepto obtutibus, ut unicè in eo ſibi complaceant, & delicientur: Religioſos inæſtimabili video circumdatos luce & candore; ſed diverſimode, juxta majorem, vel minorem, quam in terris coluêre puritatis & virginitatis integritatem.*

Apoc. 14. v. 4.

Digitized by Google

Tres virtutes ſpecialiter in S. Ioanne eminuerunt.

16. In Feſto S. Joannis Evangeliſtæ, dum orationibus vacaret, ſubitò pariter in extaſim ſublimata, tres principaliter didicit, in hoc dilecto diſcipulo eminuiſſe virtutes, ſcilicet, puritatem, humilitatem, & amorem; quibus penitiùs conſideratis, in hæc tandem proruprit verba: *Multi equidem Religioſi puritatem poſſident, ſed eheu viduatam humilitate & amore; virginitas abſque aliarum virtutũ exercitio, ornatu caret & decore; non tibi placet O DEUS, virginitas abſq; humilitate & charitate; multæ equidem in inferno ardent animæ, quæ in terris virginitatem coluêre, conſtanter; Patria autem cæleſtis, ne unicam quidem poſſidet animam, quæ, dum viveret, humilitate caruerit & amore.*

Teſtimoniũ S. Rit. cõgreg. de ejus puritate

17. Supereſt, ut capitulum hoc inſigni terminem ſacræ congregationis rituum teſtimonio, quo omnia alia, quæ fuſius de Sanctæ Virginis puritate & caſtimonia narrari poſſent, brevi quaſi compendiolo conſtringit, inquiens: Adeò cultrix caſtitatis erat, ,ut ſe jam ad aliam partem vertere non valens, dum ægra, jam penè ,confecta decumberet, ægrè ferret ſororum manibus tangi; jucundius ,ſibi, inquiens, in ſtrato marceſcere, quàm alienâ manu contrectari; & ,jam propè moritura, à Confeſſariis expetita, ingenuè faſſa eſt, ne co- ,gitatione quidem cognoviſſe unquam, quidnam eſſet, quod caſtita- ,tem deformaret. Hunc verò pudicitiæ candorem, ſe à B. Virgine ,accepiſſe aſſerebat, quæ eam in extaſim ſemel raptam, nitidiſſimo ve- ,lo operuerat; quo circumdata, nullâ unquam labe potuit pudicitiæ ,candorem denigrare.

Mortua faciem ab impudico avertit.

, 18. Dum Corpus ejus ad Eccleſiam elatum eſſet, illud quo- ,que accidit admirabile, quòd, cum Sanctæ Virginis facies ad ſi- ,niſtram declinaret, extemplò dextrorſum vergere viſa eſt, quamvis ,feretrum nullo motu ageretur; & compertum eſt, à ſiniſtris ad- ,ſtare proſtitutæ vitæ adoleſcentem, quem neque exanime virginis ,corpus ferre potuerat. Spectaculo huic teſtis adſtitit inter alios, quidam è Societate IESU Præsbyter R. P. Claudius Siripandus: atque ita quam viva intemerato cultu ſemper venerata eſt Magdalena, exanimem quoque Magdalenam uſque ad tumulum proſecuta fuit.

Enthea virginitas, divino tradita dono,
Mater inoffenſæ vitæ, bona munera fundens,
Pars Chriſti, Geniiſque ſacris ſociata polorum.

CAP-

Digitized by Google

Caput V.

De Humilitate.

1. DOctor Angelicus duplicem aſſignat ſpirítus paupertatem, alteram bonorum, quæ in voluntaria rerum, mundique hujus ſubſtantiarum abdicatione, aut carentia Salvatur; alteram quam fundat humilitas; utraque modo excellenti viguit in Magdalena; primam probavimus ſupra cap. 3. de ſecundâ in præſenti ſermocinandum, quam pariter in tantâ poſſedit perfectione, ut meritò gloriari potuerit: *profundum abyſſi penetravi.*

Duplex paupertas ſpiritus.

Eccl. 24 v. 8.

2. Omnium Novitiarum ſe reputabat viliſſimam, abjectiſſimam, imperfectiſſimam, reliquas omnes longê aptiſſimas ad quamcunque functionem corporalem & ſpiritualem obeundam, rudiorum, ſimpliciorum minorumque, ambiebat Tyruncularum conſortia, quarum infimam auctumans ſe ipſam, infimo inter ipſas gaudebat loco Magdalena, quam eo ipſo tempore, veluti ſanctam ſuſpiciebant & venerabantur ſorores reliquæ, ita ut aliquæ earum præ reverentia terram exoſcularentur, quam pes contigerat S. Virginis: ab omnibus diſcere, docere nullam; conſulere omnes, nulli conſulere; reſpicere omnes, deſpici ab omnibus, volupe erat Magdalenæ, ſingulis ſupplicanti, ut eam, de imperfectionibus à ſe commiſſis, quocunque loco & tempore indilatè admonerent; nullius unquam novitiæ præſentiam verbo aut facto contriſtare viſa fuit, digniſſimam ſe rata, quæ omnium oneraretur, & obrueretur injuriis & calumniis, imò æternis addiceretur ſuppliciis.

Omnibus etiam novitiis ſe poſtponit.

3. Quoties de Regularium tranſgreſſione, de imperfectionibus & defectibus incideret mentio omnibus ſe abundâre aſſerebat in ſummo gradu Magdalena; unam quandoque ſororum deſtinarat, quæ accuratiſſima indagine ejus defectus exploraret, exploratoſq; incunctanter exprobraret; paruit illa Mariam Magdalenam per multum temporis ſpatium in refectorio, omnibuſque aliis locis & exercitiis ſeveriſſimo contemplata & perſecuta obtutu, neque tamen vel minimũ in ea depræhendere potuit imperfectionis nævum, imò potius, quoties eam conſideraret moroſius, ad miram devotionem, virtutumque amorem ſe pertrahi animadvertebat, quà factis, quà verbis Magdalenæ.

Nihil imperfectionis in ea deprehendi potuit.

Digitized by Google

4. Imò longè adoleſcentior gloriam didicerat eſſe duplicem, alteram ſecundùm carnem, ſecundùm Chriſtum alteram, illam, quia modica eſt, contemnendam; hanc, quia magna eſt, quærendam, cœleſtis imitatione ſponſi, qui *non rapinam arbitratus, eſſe ſe æqualem Deo, exinanivit ſemetipſum*; quod prototypon æmulari certa Magdalena, inter ipſas etiam Cœnobii S. Joannis moniales, ubi ad tempus morata eſt ſæcularis, infimis affectabat implicari ſororum functionibus, à quibus nulla eam, præterquam ſolius divellere poterat vis obedientiæ; earumq; monialium conſortio per quam indigniſſimam ſe rata, dicebat: *Vos Religionis vota ſponſas effecère Chriſti; me neutiquam; ideò veſtris indigna ſum conſpectibus.*

Philip. 2. v. 6. Interna gloria ſui humiliatione quærenda.

5. Omnibus ſororibus ſummè ſe obligatam aſtruebat, à quibus in religionis paradiſum ſe admiſſam gloriabatur; ideoque frequentia locis iis figebat oſcula, quæ dictarum ſororum calcaſſent pedes. Habitum omnium ambiebat viliſſimum, in contumeliis & verberibus tantò glorians ſublimius, quantò hæc in ſe inſoleſcerent licentioſius. Omnibus cœleſtibus gratiis & favoribus ſe indignam arbitrata, præſertim autem communione ſacra, & religioſi ſtatus, imò ipſius terræ incolatu, præ omnibus ſe reputabat maximè rudem & ignorantem, ipſas quandoque conſulens novitias, quam in animarum regimine, aliiſque religioſis functionibus methodum ſervandam judicarent. Sæpius genuflexa, ſuos ſibi à ſororibus dici petiit defectus, cui deſiderio atque exinanitioni aliquæ ſubindè ſatisfacturæ ſorores, hunc illumve illi exprobrabant defectum, quantumvis hujuſmodi nunquam patraſſet Magdalena, quæ repræhenſa, nunquam replicare audita fuit, majorem ſemper in omnibus operibus ſuis verita imperfectionem, quàm humani attingere poſſet intellectus acumen, quaſq; actiones aliter in ſe improbare nequibat, eas naturales, non à virtute profectas, dictitabat. Imò tot ſe peccatorum, arbitrabatur ream, ut jam jam moritura ſuſcepto oleo ſancto, dicere non dubitarit: *Omnino mihi perſuadeo, velle Deum, me ex hoc mundo tranſire, eò quòd æquale non reperiat peccatis meis ſupplicium.*

Cũctis ſe indignã reputat bonis.

Accuſata nũquã replicat.

6. Omnium tam vivarum, quàm mortuarum ſororum dicta, factaque miris extollebat præconiis, ſua ſemper quantumcunque excellentia opera, imperfectionis redarguere ſolita; imò in tantum ſuos exaggerabat defectus, ut cuicunque, qui non agnoviſſet Magdalenam, facillimo negotio ſuſpicionem ingeſſiſſet, peſſimæ vitæ, & irre-

Aliena laudat, propria reprobat.

& irreligioſæ converſationis hanc ipſam eſſe mulierem. Nobilis quædam puella, viginti circiter habens annos, monaſterium Sanct. Mariæ ab Angelis ingreſſa, habitum ejusdem Ordinis & Cœnobii, anno 1602. ſuſceperat; puella prudentiæ & judicii ſingularis acumine, bonitatem, ſanctitatem & perfectionem ſuæ confeſtim penetravit Magiſtræ, quam proinde in ſumma veneratione habendam concluſit. Nimiam novitiæ reverentiam & obſequium exhorruit, S. Mater, quæ ut conceptam de ſe ſanctitatis opinionem penitus aboleret in tyruncula, hoc tandem, cum licentia Confeſſarii, adhibuit humiliationis artificium. Die quâdam, ubi novitiam offenderat ſolitariam in loco ſecretiori, pedibus ſe advolvit Neophytæ cum humilitate profundiſſima, permixtâque ſingultibus & ſuſpiriis uberrimis voce, ita affata eſt diſcipulam: *Volo o ſoror, ut, quæ tibi Magiſtra præfecta eſt, probè dignoſcas, ut excellentius creſcat obedientiæ tuæ meritum, dum mihi ſuperiori quidem, ſed heu infeliciſſimæ peccatrici obtemperas inferior. Noveris itaq; me ſanctæ hujus religionis ſcandalum exſtitiſſe & perturbationem*: hîcque longiſſimâ ſerie omnes e. narrare cœpit gulæ, apoſtaſiæ, infidelitatis, ſuperbiæ, aliorumque vitiorum, graviſſimas tentationes; quas in quinquennali ſubierat, lacu Leonum eo verborum contextu, non quaſi tentationes, ſed ipſorummet ſcelerum fuiſſent perpetrationes; quibus omnibus tandem ſubjunxit: *Si in ſæculo perſtitiſſem, tot utiq; & tanta flagitia, quorum me ream agnoſco, civilis in me caſtigaſſet juſtitia per mortem turpiſſimam; ſiq; aliud ingreſſa fuiſſem monaſterium, minori dotatum charitate, ad perpetuum carcerem condemnata fuiſſem; hæ autem matres & ſorores, cum incredibili patientiâ, me tolerarunt & degere permiſere in converſatione ſua. O quantam erga ſingulas habeo obligationem, o quantam ſingulæ mihi præſtitère miſericordiam!* Quæ omnia & ſingula, tantâ ſermonis emphaſi perſuaſerat novitiæ, ut hæc protinus ad chorum confugiens, coram ſanctiſſimo ſacramento, exoraret in formam ſequentem: Domine, quæcunque demum hæc mulier fuerit olim, hodie ſaltem, maxima eſt divinæ majeſtatis tuæ ancilla, utque talem venerabor eam ſemper. Hincque ad alias recedens ſorores veritatem didicit, ſcilicet, hæc omnia in quinquennali lacu per tentationum turbines appetiiſſe, non obruiſſe Magdalenam; ex quo temporis puncto, incredibilis, tum hujus, tum aliarum omnium ſororum, tam juniorum quàm ſeniorum, crevit

Coram novitia mire ſe humiliat.

Digitized by Google

affectus, pietas, reverentia, & nimiæ humilitatis exiſtimatio verſus Magdalenam.

7. Quæ de ſe ſcripta, deque ſuis viſionibus penès ſorores reperiebat, comburere ſolebat, intimam animi modeſtiam, ſuique contemptum, oculis ac vultu perpetuo demonſtrans. Quoties poſt extaſes, ſenſibus reſtitueretur, quaſi in infami flagitio depræhenſa, coram omnibus, etiam Laicis, ſe humiliabat profundisſimè, verius dixerim, quà verbo, quà facto ſe exinaniebat. Uberrimarum quandoque lachrymarum cauſam, quas in ſimilibus actibus effundere ſolebat, edicere juſſa: reſpondit: *Quia otiari mihi videor in ſervitio divino & charitate proximi.* Semel in duarum horarum raptu, leves ei Dominus exhibuit, quas aliquando admiſerât, imperfectiones; moxque & in fletus, & in ſequentes effuſa voces, corda emolliit adſtantium omnium: *O Vtinam ad inferni abyſſum mihi deſcendere liceret, modò per hujuſmodi pœnas efficere poſſem, ut nunquam Deum meum offendiſſem in minimo.*

Poſt extaſes ſtatim ſe humiliat.

8. Suo in pœnitentiis, præcibusque ut præſumebat humilis, torpori, qualemcunque cœnobii infelicitatem, totiusque mundi adſcribebat peccata, aliquando dicere ſolita: *ſi ſuâ me DEVS deſtitueret gratiâ, enormia totius mundi perpetrarem flagitia; væ mihi miſeræ, quæ millies promerui, dehiſcente ſub pedibus terrâ, abſorberi viva; o me beatam, ſi non in profundius, quàm purgatorii barathrum demergar.*

Mala proximi, ſuo adſcribit torpori.

9. Interrogata quandoque; utrùm ori cordis ſubſcriberet ſententia, hocque verè ſentiret in corde, quod aſſerebat ore; quibus S. Virgo: *Quid ni? immunitatem namq; ab omni peccato mortali, gratiæ debeo divinæ, quæ ſi aliis copioſè adeo communicata fuiſſet, Deo longè conſtantiſſimum, ferventiſſimumq; exhibuiſſent, cum omni gratiarum actione ſervitium; meæ itaq; ingratitudini omnium debetur pœnarum, ſuppliciorumq; cumulus.* Dicebat aliàs: *Niſi DEVS ſpeciali me præveniſſet ſubſidio, in horribiliſſima me conjeciſſem totius mundi crimina; vos autem ſimplici ejus paretis præcepto, abſq; ſpecialis gratiæ privilegio; ideoq; ego una omnium veſtrum vivo infeliciſſima. Quid ni à terra abſorberi timuerim? licet enim gravia non admiſerim, quæ divinam gratiam auferant crimina, id divino debeo favori, qui me occaſione deſtituit peccaminoſâ.* Aliàs rogata, ſi nunquam in tantis inaniter evanuiſſet cœleſtium gratiarum, favorumque affluentiis, indilatè replicavit, ſtupentibus omnibus:

De bono ſuo nunquã fuit gloriata.

Digitized by Google

omnibus : *Nemo bonis gloriatur alienis , qualiter itaq; ego donis inſolescere potero divinis ?* Soror , Maria Pacifica quoſdam aliquando raptus & extaſes ſanctæ prælegebat Virgini , ut , ſi quid forte erroris irrepſiſſet in ſcripta , extatica corrigeret Magdalena ; neque ex hujuſmodi lectione ſeu auditione , majori vanæ gloriæ pruritu ſe aduſtam fuiſſe proteſtata eſt Virgo ſancta, quàm ſi quemcunq; alium librum, aut legiſſet ipſa, aut legi audiiſſet ab alia , hoc duntaxat excepto, quòd hujuſmodi in ſe extaſes & revelationes fuiſſe agnoſceret.

10. Coram ſuperioribus, præſertim autem Matre Priorisſâ, quoties S. Virgini comparendum foret, omnibus trepidabat membris , ſuis ſemper auribus inſonare rata : apage , recede è loco hoc ſanctiſſimo , è puriſſima ſponſarum JESU Societate., è cœtu ſanctarum exterminetur creaturarum peſſima , quæ impietate ſua , orationum & precum aliarum impedit efficaciam , ideoque quoties vocaretur à ſuperioribus , è veſtigio genuflexa , pedibus advoluebatur vocantis , tanquam enormium rea ſcelerum & exceſſuum, ut reprehenſiones , dignasque pro culpis ſubiret pœnas. Se pariter longè indigniſſimam reputabat , quæ chorum frequentaret cum reliquis ; inquiens : *Vos meos noſtis defectus atque indigniſſimam converſationem ; quid igitur retribuam Domino, pro omnibus , quæ retribuit mihi. Salvete o benedicti parietes , qui infelicisſimæ peccatricis cervicem gladio eximitis juſtitiæ civilis.* Nec unquam vel in choro , vel in aliis communibus congresſibus , ex ſimili humilitatis motivo , palpebras ſurſum attollere præſumpſit.

Cum tremore corã Priorisſa comparet.

Pſ. 115. v. 12.

11. Nulla, niſi ex obedientiâ, unquam ſuſcipere voluit religionis officia, cumq; aliquando Novitiarum unam interrogaſſet, ſi monialem agere non detrectaret abſque voce in capitulo, hæcq; negativè reſpondiſſet , ſancta ſubjecit mater : *Ego voluntariè hujusmodi reſignarem privilegium cuicunq; alteri, quæ tale munus & partes, cum majori obiret utilitate , cœnobiiq; bono.*

12. Moloſſum ſemel , qui fortè fortuito Cœnobii clauſuram penetrarat , fugientibus ſororibus omnibus , Magdalena auribus appræhenſum , veluti agnum manſuetum eduxerat : Interrogata poſtmodum, ſi tantæ beſtiæ non expaviſſet furorem, reſpondit: *Canis canem ducebat.*

13. Sin-

Digitized by Google

13. Singulari ſanctos eos proſequebatur amore, ipſoſque ſingulari imitationis gratiâ venerari allaborabat, quos didicerat in conventibus & communitatibus, ſub occulto ſanctitatis ſchemate imperfectiones, ſtultitiaſque oſtentaſſe; unde multoties in raptu hanc à Deo gratiam poſtulaſſe audita eſt, ut divina in ſe collata chariſmata, creaturarum abſconderentur obtutibus; neque illa unquam in noſtrã deveniſſent notitiam, niſi aut obedientiæ, aut ſororũ ſingularis diligentiæ beneficio. Quoties actum aliquem virtuoſum cum ſuis obiret Tyrunculis, ſtrictiſſimum iiſdem imponebat ſilentium; neque unquam res futuras prænoſcere voluit, quandoque in raptibus hunc in modum Deo ſupplicare audita: *Ne hujuſmodi mihi dederis notitiam, reſerua eum tibi*; & licet invitam quandoque dictâ gratiâ honoraret Dominus, nunquam tamen coram perſonis ſæcularibus vel minimum edidit indicium, hoc illudue ſibi conſtare. Dum nudipes, ex divino præcepto, ſuperiorumque conſenſu, degeret in Cœnobio, varias contigit ſæculares puellas intrare Monaſterium, quæ Religioſæ obſervantiæ experirentur vigorem, quarum teneritudinem, ne extraordinarius S. Magdalenæ offenderet rigor, calceos induebat abſque ſoleis. Quoties ſignum crucis ſuper ægras formare, aut pro ſæcularium, Religioſarumque perſonarum negotiis & neceſſitatibus Orationes ad Deum effundere juberetur à Prioriſſa, ſemper actionis, orationiſve ſociam adhibebat aliquam è ſororibus; ut quicunque inſignis ſubſequens, effectus non ſibi, ſed ſodali, quam aſſumpſerat humilis, aſcriberetur.

Petit occultari, divina in ſe collata beneficia.

14. Semper, in actionibus ne deficeret, aut erraret, pavida multoties interrogabat circumſtantes, modò profeſſas, modò novitias, ſi benè, malevè operata fuiſſet; quibus quandoque reſpondentibus, aliquam operationi hujuſmodi imperfectionem ineſſe potuiſſe, multa credebat, cedebat, capiteque inclinato gratias agebat, quantumvis functiones quandoque laudabiliſſimæ, ſummæque perfectionis forent. Quoties novitiam repræhenderet, ſuos illicò agnoſcentem defectus, ſancta ſubiiciebat Magiſtra: *Ne timueris gravius ego ipſa hac in occaſione deliquiſſem.* Imò quandoque tali, & majori defectu, ſe laborare, ut correctam & emendatã animaret, aſſerebat. Si quem in aliis notaſſet humilitatis actum, longè humilior ſubſumebat Magdalena: *Nunquam ego cum tanta perfectione, hanc obire aut exequi potuiſſem functionem.* Quoſcunque defectus acerbiſſimè

Reprehenſa gaudet.

Digitized by Google

acerbiſſimè repræhendere ſolita, obmuteſcebat ſubitò, ſi vel à converſa etiam ſeu laica inaudiret, tàm ſeveræ repræhenſionis nullum bonum exſpectandum effectum, eique tanquam ſuperiori indilatè ſupplex reſpondere conſueverat *Erravi*.

15. Magnatum alloquia detrectavit conſtantiſſimè, indigniſſimam ſe auctumans, cujus in terra memoraretur nomen Duciſſa quandoque *Bracciani* alloquium expetierat S. Virginis; Nuncianti que ſibi præſentiam Duciſſæ, replicavit Magdalena: *O ſi Domina Duciſſa probè noſſet, quoniam Maria Magdalena totius abominatio eſt Monaſterij, ne ſimplici eam dignaretur nomine, ne dicam, viſitatione.* Aliàs à ſereniſſima Duciſſa Mantuana ad crates ſollicitata, in uberrimas effuſa lachrymas, reſpondit: *Neſcio, qualiter mihi ſimplici, reliquis inferiori ſororibus, cum tantis converſandum ſit Magnatibus.* Aliâ vice, ſereniſſima Principiſſa *Maria Medices*, priuſquam Regi Franciæ deſponſata foret, diverſa per literas conſilia & documenta ſpiritualia petierat à Virgine ſanctâ, voluntatē Principiſſæ intellexit Mater Prioriſſa, quæ tantæ perſonæ magis quàm Magdalenæ complacere certa, ut ſatisfaceret, urſit Magdalenā; cui protin' S. Virgo: *Mater Prioriſſa vis equidem, ut alia exiſtimata, quàm verè ſim, propter ſuperbiam meam condemner ad infernum è cujus faucibus nulli me eripient Magnates.* Inſtanti Principiſſæ, promittentique ſuum adventum, omnibus quibus potuit modis diſſuaſit Magdalena, ſuas ei ſanctiſſimè promittens apud Deum interceſſiones; nihilominus in Reginam Franciæ ſublimata, priuſquam Florentiâ diſcederet, Magdalenam inviſere ſtatuit, firmiterque concluſit; cujus potentiæ & voluntati obſtrepere impotens S. Virgo, ſupplicavit enixè, ut ſola compareret abſque Gynecæo: *vid l. 3. c: 1.*

Magnatum alloquia, nominatim Duciſſæ Bracciani. Duciſſæ Mātuanæ. Mariæ Medices. Humiliter detrectat.

16. Obſtreperis culinæ tumultibus ſeipſam mancipavit ultroneé, cujus pauperiē ſuis frequenter ſublevavit orationibus, iis tamen ſemper circumſtantiis, ut ſolius Dei laudaretur liberalitas, & S. Virginis cum omnium ſtupore divulgaretur humilitas. Anno 1587. vel ut alii volunt 1588. tempore quadrageſimali, neceſſaria pro ſororibus defecerat refectio, neque temporis injuriæ exitum permittebant, ſubitòque Magdalena in orationis Societatem, quandam aſſiſcens converſam ait: *Recitemus unam orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam in honorem Angelorum noſtrorum tutelarium, ut Domino Lapo del Tovaglia, ſororis noſtræ Pacificæ patri, inſpirent, ut*

Culinæ inſerviens precibus ſororū ſublevat egeſtatem.

P neceſſa-

neceſſarium ſororibus ſubmittat pabulum; moxque orationis effectus, infra unius horæ ſpatium, innotuit ante fores.

17. Plurima alia de abyſſali S. Virginis humilitate, dicenda ſuperſunt, ſed concluſiſſe ſuffecerit, eam verum, incorruptumque emicuiſſe humilitatis, propriique contemptus ſpeculum; varios inſuper ſcriptos reliquit ad utilitatem noſtram, quos in raptu didicit humilitatis actus, quos pariter frequentavit quotidie, quos inter cùm facilè præemineant illi, qui conſtantem erga novem Angelorum choros atteſtantur devotionem & reverentiam, brevitatis amore, omiſſis reliquis, hos ultimos ſolos commemorandos duxi; veruntamen non in præſenti, ſed *ſup. l. 1. cap. 3.* de devotione erga Angelos, ubi optatior hujus materiæ favit commoditas.

18. Superbiam S. Virgo aliquandò in extaſi conſtituta, vento aſſimilavit inquietiſſimo, qui continuò ſæviens & debacchans, quieſcere neſcit, uſque dum raptis obſtaculis, minimæ ſciſſuræ aut rimæ beneficio, totum penetrat, turbat, devaſtatque domicilium. Unde in hæc quandoque prorupit verba: *Ventus ille ſuperbiæ, graviſſimam infert perniciem animabus omnibus, ideoque ſummâ opus eſt diligentiâ, & intimâ tecum unione, O DEVS; uſque dum in vera humilitate indefectibiliter ſtabilitur anima. Et quemadmodum ventus, arboris folium levat, diſpergit, pro libitu ſuo in quemcunq; præcipitat angulum; ita pariter ſuperbia arrogantes tanquam fœni flores & leviſſima folia, quaqua lubet, rapit, & diſpergit, uſque in inferni abyſſum. Superbia, propriæ mentis eſt elevatio; animam, mentem, corpus, quæ poſſedit ſuperbia, nulli accomodatius, quàm palearum aſſimilaris manipulo, qui ſoli deſervit utiliſſimus flammæ; talis eſt ſuperbiæ natura & proprietas, cui vitio remedium efficaciſſimum adhibet ille, qui te O Verbum, in Cruce pendulum fixis contemplatur obtutibus; hoc namque modo te anima intuetur, tuque O Verbum, taliter in humilitate te intuentem animam divinæ bonitatis tuæ reciproco dignaris oculo, & tuâ id præſtas facie quod Solis radius operatur in terris, qui ſuo calore, fructus producit, optatoſque fœtus; poſtquam ſuperfluos calore ſuo annihilavit humores. Ita tuus O Verbum obtutus omnem in anima humilitatem, ut dignos faciat pœnitentiæ fructus, debitaſque obeat virtutum functiones, deſtruit peſſundatque totaliter.*

Superbia ventus eſt.

Superbiæ remediũ.

CAP.

Digitized by Google

Caput VI.

De Conſcientiæ puritate.

1. CHriſtianè cecinit Gentilis, dum genuinam humilitatem ſubtiliori, moroſiorique proſecutus obtutu, eam ſeu germanam ſeu comitem ſtatuit individuam ſanctæ puritatis & innocentiæ, dicens. Puritas comes humilitatis.

Humi jacentem ſcælera non intrant caſam.

Humi ſerpebat, verius dixerim, in humilitatis, atque exinanitionis ſuæ abyſſo ſqualebat Magdalena, ideoque ab omni culparum nævo ſancta animæ ejus domus triumphabat immunis, quam in præſenti virtutem breviter repræſentare conabimur; quantumvis actum mihi acturus videar, dum illam Angelicam virginei cordis & conſcientiæ munditiem affari geſtio, quam tot revelationes, exthaſes, & raptus docent uberrimè ſiquidem ſoli puro cordi ſimile competit privilegium, Chriſto atteſtante: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Mat. 5. v. 8. Nihilominus ut immaculatum hoc prototypon, maculato licet penicillo, aliqualiter adumbrem, virtutis ejusdem urget ſublimitas, præcipit neceſſitas.

2. Quæ baptizatorum eſt infantium, Mariam Magdalenam nunquam deſeruit, ſemper direxit conſcientiæ, cordiſque puritas; parvulorum conſortiis unicè trahebatur ſæcularis, ineſcari cœpit Religioſa, tum ob eorum puritatem atque innocentiam, tum quia in illis Jeſum ſibi repræſentari aſſerebat infantem, omnis fontem & originem puritatis; unde quandoque dicere conſueverat: *Hi Deum nunquam offenderunt.* Parvulos ob puritatem amat. In actionibus ejus mira reſplendebat innocentia ſine malitia, ſinceritas ſine dolo, prudentia ſine duplicitate, Majeſtas ſine faſtu, benignitas ſine fuco; nihil aggredi, nihil proſequi, nihil operari, nihil omittere, tam certum ſtatutumq; erat Magdalenæ, abſq; perfectiſſimo puritatis, cordiſq; innocentiæ intuitu, ut aliquoties proteſtaretur, dicens: *Quantumvis ſcirem, me, vel per unicum duntaxat verbum ex alio, quàm divini amoris motivo, prolatum (etiamſi peccaminoſum non foret) in Seraphim ardentem convertendam, nunquam tamen hujuſmodi proferrem.* O genuinam puritatis cenſuram! verè equidem *pulchra es amica mea ſicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, abſque eo, quod intrinſecus latet.*

Digitized by Google

3. Si quid incogitanter ex motivo humano inchoaſſet, protinus interruptum ſuſpendebat, uſque dum incorruptæ formaſſet intentionis actum. Imò virtus hæc adeo profunde penetrarat, potenterque regebat reconditiſſimos intemerati mariani cordis receſſus, & intimas corporis ejus medullas, ut ſtuperet quandoque, qui fieri poſſit, quòd aut ulla animarum Deo devotarum opera, aut leviſſimi etiam corporis earundem motus hâc viduentur prærogativâ. *Ita manus ejus tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*, ſemper ſe extenderunt ad fortia, immaculata, divina.

Cant 5. v. 14.

Nullius unquã creaturæ; illecta fuit amore.

4. Cordis puritatem tam inviolabili ſibi deſponſarat fœdere tam indiſſolubili unierat nexu, ut non modò baptiſmalis innocentiæ veſtem, cœlo intulerit inviolatam, ſed etiam, quoad vixit, nullius unquam creaturæ affectu illecta, in ſolo ſemper Deo ſibi placuerit, aliquando in raptu inquiens: *Tu ſcis Domine, quia nihil unquam præter te, cor meum expetivit.* quaſi per omnem vitam ſuam identidem ingeminaſſet: *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.* Unde & morti proxima, divini amoris flammis, ſolito potentius exardeſcentibus, coram univerſo ſororum cætu profeſſa fuit, totam charitatem & dilectionem ſuam, quâ creaturas proſecuta fuerat unquam, ex divini amoris beneplacito ortam fuiſſe; quia nimiram tale à Jesu ſponſo acceperat dilectionis præceptum & privilegium, ut ſcilicet tantum amaret creaturas quantum divinus juſſerat amor; *Nunquam etiam* (ſubdebat S. Virgo cum profundiſſima ad ſponſam directa gratiarum actione) *memini cor meum, vel minimo temporis momento in re ulla præterquam in Deo ſibi complacuiſſe*: Ita quod Angeli agunt per naturam, S. Maria Magdalena præſtitit per gratiam, glorians cum Apoſtolo: *Gratia Dei ſum id, quod ſum; & gratia ejus in me vacua non fuit.*

Cant. 7. v. 10.

Dignitas puritatis.

5. Aliàs in extaſim rapta, ſequentibus animæ puritatem proſecuta eſt encomiis: *O nimia puritatis dignitas & excellentia! tu omnem ſuperas intellectum humanum; O ineffabilis puritas! immaculatum atque intemeratum exigis hoſpitem; Mundani & ſenſuales per vagum ſuorum appetituum ſcelerumque tramitem, ſe ad puritatem perventuros ſperant; ſed ipſo turpius errant & aberrant dæmone, quando hic divinam affectabat ſimilitudinem. O cordis puritas! quæ, quantaque in alterius vitæ ſtatu, propalabis mirabilia; tuis quidem nota cultoribus, aſt reliquis penitus abſcondita creaturis: Inibi ſiquidem plurimi eorum, qui multo, dum viverent, exemplorum*

Digitized by Google

emplorum bonorum eminuerunt fulgore, primis cedent alijs, quorum in terris memoria & mentio omnium in ſe provocabat riſum & cachinnos. His itaq; auguſtius pra reliquis conſtituetur gloria ſolium, quia pretioſiorem poſſederunt puritatis theſaurum; Exclamabat aliàs: *Sorores chariſſima, puritatis cordis quantitas, pramij aterni deſignabitur menſura in vita futurâ. O puritas, O puritas, parum cognita, vix deſiderata! Mi ſponſe, O ſponſe dulciſſime, qui modò cum humanitate tua ad dexteram reſides patris aterni, cor mundum crea in me Deus.* Porro de puritate tam corporis, quàm animæ & con- *Pſ. 50. v. 12.* ſcientiæ, plurimas habuit S. Virgo extaſes, quarum fuſiorem enarrationem (longè licet utiliſſimam) opuſculi præſentis prohibent anguſtiæ, aliquas tamen earum tetigimus ſupra. *cap* 4.

6. Omni oculatior Argo, perfecta cordis puritas minimos etiam novit dignoſcere nævos, atque inſenſibiles diſpicere defectu- Minimos ſuos nævos ſtatim advertit. um puluiſculos; unde S. Magdalena in iis quoque ſe graviter incuſabat & arguebat, in quibus, quantumcunque oculatæ ſororum mentes, ne vel leviſſimam depræhendere poterant imperfectionem, ſtupentes qualiter Mariæ Magdalenæ in ipſo perfectionis apice, in quo deliciabatur jugiter; in ipſa præclariſſimarū virtutum palæſtra, in qua deſudabat fortiter, ſemper ſuppeteret, quod in ſe redargue- *Iſa 5. v. 20.* ret & caſtigaret; alienum *malum, dicens bonum*; & *bonum* ſuum, *malum*, alienas *tenebras ponens lucem*, & *lucem* ſuam *tenebras*; *ponens amarum in dulce, & dulce in amarum.* Audiant hoc & erubeſcant, *qui trahunt iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri,* *ibi v. 18.* *peccatum.*

7. Tenerrimæ impellebatur conſcientiæ calcaribus, nullis ſcrupulorum ſtimulis, quos multoties in aliis ſororibus faciliter repreſſit, feliciter attrivit. Ad minimam imperfectionis umbram trepidabat, certa millenis potius annullari mortibus, quàm per minimam Deo diſplicere offenſam, quibus amoroſis affectibus, die quâdam, profundius abſorptæ, & ante piiſſimam Crucifixi imaginem Ac divinitus ei revelantur. proſtratæ duarum horarum ſpatio, omnes exhibuit ille, *qui ſcrutatur Ieruſalem in lucernis,* totius vitæ ejus noxas & imperfectiones, quarum, quantumvis leviſſimarum, ſpectaculo territa, horrore perculſa, *Soph. 1. v. 12.* dixiſſe legitur: *In infernum deſcenderem, modò tormentis illis ſufficere poſſem, ut nunquam vel leviſſimè Deum offendiſſem.* Quoties in colloquio Religioſo, de cordis puritate ſermo incideret, diſcurſum mirâ eloquentiæ facundiâ dilatabat, promovebatque, cæteroquin piſce mutior, Maria Magdalena, ut hujus inflamaret virtutis amore, om- Ad mentis puritatē aliàs ſorores exſtimulat.

nium præcordia ſororum, ad quas quandoq; converſa, aiebat: *Hic dimorabor, quia de puritate ſermo eſt; infimo aliarum virtutum gradu contenta forem, modò ſpiritus puritatem poſſiderem in ſummo, quantum aſſequi poteſt creatura.*

Summus horror erga peccatum mortale.

8. Ad omnem peccati mortalis memoriam aut mentionem, toto tremebat corpore, vixque excandeſcens zelus coerceri poterat, quin adverſus ſcelerum debacchar etur horrorem, rata, nullum Chriſtianum (multò minus Religioſam) ab omni adeo pietate reperiri alienum, qui voluntarium ex induſtrâ ulli peccato mortali præbeat conſenſum. Ideoque quindecim ante mortem diebus, ad circumſtantes dicebat: *Mundum relinquo, id ſolum nec comprahendere, nec intelligere valens, qualiter quieto corde in peccatum mortale creatura conſentire poſſit, contra ſuum creatorem.* Porro quàm exactam, quàmque diſtinctam cogitationum, affectuum, actionum, intentionum, omniumque verborum ſuorum anatomiam frequentare conſueverit, ex ſequenti, quod in extaſi Anno 1592. 6. Aprilis, inſtituit, examine, ſubtiliſſimoque ſcrutinio conjecturetur Lector.

Pſ. 3. v. 2. Pſ. 90. v. 1. Examē actionum exactiſſimum

9. In terram proſtrata, inchoatis, finitiſque Pſalmis: *Domine quid multiplicati ſunt &c. Et qui habitat in adiutorio Altiſſimi &c. Ita ſubjunxit: O Ieſu mi, quæ, hodie prima omnium mentem meam ſubÿt cogitatio? Doleo, quòd non fuerit de te, ſiquidem ſollicita, ne ſponſas tuas tardius ad laudandum te convocarem, nec me tibi obtuli, neq; te honoravi; Exinde Ieſu mi, chorum petÿ, me tibi oblatura, ſed eheu nec in omnibus, nec per omnia me tuæ commiſi voluntati. O benigniſſime Deus, quam à te recipere potero miſericordiam, ſiquidem me totaliter non reſignavi in te? fac mihi miſericordiam Domine; non miſerationes, ſed mille potius promerenti infernos. Exinde ad tuas me laudes accingens, plus cruciabar ob illas, quas aut in cæremonÿs, aut inclinationibus debitis deficere advertebam, quam ut curarem dehonorando te, meaſque in unione laudum beatorum ſpirituum, offerendo preces & obſecrationes. Meritò à te miſericordiam poſtulaverim O magne Deus; ſiquidem in eo, quod te, laudeſque tuas concernit, tot, ac tantas admiſi imperfectiones. Poſtea corpus & ſanguinem tuum receptura, quæ cum omni poſſibili pietatis affectu comparere debueram, doleo, quòd id ipſum in memoriam paſſionis tuæ, ut præcepiſti, non peregerim, neque meam tecum conata fuerim unire animam, ſed potius ſollicita de cordis mei quiete. Verbum equidem auſcultavi divinum, aſt non eum perpendi, quem erga me habes amorem; Ideoque nihil à te, niſi miſericordiam peto O Domine ſanguinem in pænitentiæ Sacramento receptura, potius attendi, quid tuo dicerem Chriſto,*

ad cor

Digitized by Google

ad cor meum quietandum; quàm ut illud perpenderem beneficium, quod meæ præſtetur animæ, dum eam in tuo ſanguine abluis, neque in te confidi, ut tale mihi auxilium, gratiamque præberes, quæ cor meum ſerenaret.

10. *Domine mi, qui primi fuère mei hujus diei ſermones? fuère reprehenſiones* (de correctione loquebatur, quam eo die, Magiſtra exiſtens, uni dederat Tyruncularum) *fuère immites voces, minuſq; benigna verba mea, quæ cor illius inquietarunt, quodq; peſſimum omniũ, charitate carui, ſiquidem cor ejus inquietum videns, ne minimum de illo quietando ſollicita fui, ut uniretur in te. Ecce Domine mi, tantæ unionis, luminiſq; tui, mihi indulti affectum; ſi hujuſmodi alteri creaturæ donaſſes, longè tibi gratiſſima foret; Aſt ego miſera & infelix nullum ex ijs capio fructum, ſiquidem charitate deſtituor erga ſponſas tuas; ignoſce mihi per paſſionem tuam. Poſt hæc abij locutura cum creatura iſta* (ſiquidẽ ad crates ab Amita ſua vocata, extaſim paſſa fuerat corã illa) *ingentẽ doleo, quòd admiſerim hypocriſin, aliã me oſtentans ab ea, quæ veraciter eram; ſiquidem animam meam tecum unitam deſignabam, cum tu noveris, quoties longè divager à te; veram me eſſe monſtravi Religioſam, tu autem noſti, qualis ſim. Miſericordiam peto Deus meus, ut tantam mihi ignoſcas hypocriſin, tuumque tibi offero, quem cum tanto amore pro me effudiſti ſanguinem. Si me ad infernum condemnaveris Domine mi, quemadmodum promereor; juſtiſſimè infra ipſum Iudam me præcipitabis; ſiquidem tam graviter te offendi.* Correctiones quas fecerat examinat.

11. *Deinde neceſſario corpus meum refectura cibo, doleo, quòd ſinceram in eo caruerim te honorandi intentione, ſiquidem oblita fui, tot, tantoſq; tibi offerre egenos, qui multo fortaſſis tempore fores pulſarunt, aliquem extorturi panis bolum, irritoque forſan effectu: Mihi autem miſeræ & miſerabili, abſq; labore meo, quodque caput eſt, citra ullum meritum meum, providit Religio de corporis mei ſuſtentatione. Neq; in hoc ſolum te offendi, ſed inſuper, quòd cauſa fuerim, ut illa ſponſa tua tot uteretur verbis, cum probè noſſem, in eo loco ſilentium obſervandum eſſe. Ecce Domine mi, quoniam in omnibus operationibus invenio, quòd offenderim te, quâ igitur temeritate, dona gratiaſq; tuas poſtulare, tuaſq; tibi recommendare audebo creaturas; ſiquidem tanta eſt offenſa mea, ut tuam non merear miſericordiam? ſed amor ille, qui te in terram traxit, tuumq; ſparſit ſanguinem, & nunc quoque te moveat, ut miſericordiam facias cum anima mea.* Circa refectionem examen.

12. *Poſtea quando laudes tuas, non frequentavi cum ſponſis tuis, ſola manſi per culpam meam; cum enim anima illa* (ſuperior) *mihi diceret, non eſſe eundum, ſubitò acquievi, neque ad tuas me contuli laudes. O IESV mi, ſi* Item circa divinum officiũ.

aliquam

Digitized by Google

aliquam à me charitatem petyſſet, difficilior fuiſſem in obſequendo. O Domine mi, qualiter ſperare potero, me eò aliquando admittendam, ubi cum ſpiritibus beatis te laudatura ſim æternaliter; ſiquidem te cum ſponſis tuis non laudavi? tuum tibi offero ſanguinem, ut mediante illo, miſericordiam præſtes mecum

Ipſas extaſes trutinæ ſubiicit. 13. *Iterum quam in opere illo, te honorandi habui intentionem O Domine? ſiquidem plus ingemui jacturæ temporis, quàm defectui oblationis & unionis animæ meæ tecum* (de tempore loquebatur quod tranſegerat in extaſi) *tuis equidem ſilentium impoſui virginibus, aſt minus ſollicitè conſideravi, quam in anima mea tecum unienda habeam obligationem. Deinde invocatura Spiritum ſanctum, adeo à te elongata degebam, ut ne quidem in memoriam veniret modus, hoc in munere obſervandus, ita ut juniores me in Religione, in eo multò excellant perfectius. Ecce IESV mi, quoniam defeci in omnibus operationibus meis; qualiter igitur coram divina bonitate tua comparere audebo, ego, tot offenſarum rea? iterum tuum tibi offero ſanguinem, quo ſolo mediante indulgentiam ſpero. Iterum quantum in alio illo opere defeci? à ſorore charitatem petyj ut ipſum exequereretur, meamque omni merito deſtitui animam, plus ſollicita laboribus me eximere, quàm de tua curare unione; ecce in omnibus operibus meis defectus reperto O DEVS meus; tu autem, non attentis omnibus his offenſis, per tuam ſolam bonitatem, me iterum extraxiſti ad te, cum tanti luminis collatione, ut ſi ipſum alteri cuicunque animæ impertires, fructum longe majorem ferret, quàm ego miſera & miſerabilis.*

Circa cænam ſe examinat. 14. *Poſtea corpus meum iterum cibo refeci corruptibili, tot immemor pauperum, omni carentium refectione, cum tu ècontra Domine mi, tam abundè largèque mihi provideris; iterum tuum tibi offero ſanguinem, in tot remiſſionem offenſarum, quas commiſi adverſùm te; Heu Domine mi, tenebræ inſtant, neque ego ullum abſque offenſa tui patravi opus, quid igitur faciam? O DEVS meus, ſi te tam graviter offendi in die præſenti, ultimam ad minus cavebo offenſam, ſcilicet diffidentiam in te, & miſericordiâ tuâ. Scio equidem Domine, quia remiſſionem non mereor, aſt ſanguis tuus pro me effus, animat me, ut ſperem in te, quoniam miſericordiam facies in me.*

15. Hoc terminato examine, in extaſi porro perſiſtens, in ſecretiorem quendam ſe recepit Monaſterii angulum, ubi atrociſſima diſciplina ſuas maceravit carnes; poſt quā ſenſib⁹ reſtituta, omnes Deo obtulit creaturas, & JeſuChriſti ſanguinem in ſalutem earundē.

Aliàs

Digitized by Google

Aliàs in extaſi pariter conſtituta, præclariſſimas habuit doctrinas interpretationes & ſententias ſuper illa Evangelii verba: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*; Ubi fuſius agit de puritatis eminentia, de divinæ gratiæ fulgore, peccatorumque tenebris. Similes aliâ in extaſi explicationes & dogmata eructavit, circa illa Pſalmiſtæ verba: *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus*, ſed non eſt noſtri compendii proſequi cuncta ſigillatim. *Ioa. 3. v. 19.* *Pſ. 95. v. 6.*

CAPUT VII.

De Silentio.

Nobile lingua bonum, ſi fari in tempore novit;
Nobile lingua malum, ſi fari in tempore neſcit.

1. NObiliſſimum itaque bonum, ſingulare, Philoſopho teſte, mulieris ornamentum, poſſedit Magdalena, quæ *tempus tacendi*, quæ *tempus* callebat *loquendi*: ita de animarum ſalute, virtutum decore, peccati horrore, gratiæ neceſſitate Dei gloriâ, bonorum præmio, malorum ſupplicio ſermocinari docta, ut nunquam offenderit in verbo, nec unquam deſtiterit *præſtolari in ſilentio ſalutare DEI.* De hac ſecunda parte, quæ plurima dicenda forent, brevibus in præſenti conſtringemus capituli hujus anguſtiis. *Eccle. 3. v. 7.* *Thren. 3. v. 26.*

2. Quodcunque abſonum, aut ineptum hominis Chriſtiani Verbum, ad uberrimas lachrymas ſanctam provocabat Magdalenam, ſimile quid vice quâdam virgineis inſonuerat auribus, moxq; culpam pluribus verbis excuſavit S. Virginis charitas, quam copioſiſſimis planctibus & ſuſpiriis deploravit ejus benignitas. In Cœnobio S. Joannis virguncula degens ſæcularis, omnibus fieri meruit monialibus, anachoretici prototypon ſilentii, ab omni penitus ejuſdem Monaſterii tyruncularum conſortio, dum luderent, aliisq; à religione permiſſis indulgerent recreationibus, cum obedientiæ merito, ſequeſtrata. *Juvencula ſilentii amans verba inepta ſumme deplorat.*

3. Taciturnitas, juxta D. Thomam, via eſt ad modeſtam & diſciplinatam loquelam; ideoque quoties communi colloquio intererat Magdalena, earum tantummodo frequentabat, ambiebatq; conſortia, quarum noverat pios, religioſos, ſanctoſq; eſſe ſermones; *Religioſa ambit colloquia.*

Digitized by Google

neque unquam alium ipſa, quàm de Regulæ, & conſtitutionum obſervantia, de frequentiori Sacramenti Euchariſtiæ uſu, ſimilibuſque ſanctis exercitiis audita eſt formaſſe diſcurſum; quantumvis non neſciret, à monialibus aliquibus frequentiorem ſuam improbari communionem.

4. Vix Tyruncula Monaſterium intrarat, S. Mariæ de Angelis, quando omnibus pariter, tum Novitiis, tum aliis, ſingulariſſimum præbuit Religioſi ſpecimẽ ſilentii; ejus colloquia erant perpetua divini amoris incitamenta, mentem puritatem, gratiam & dulcedinem ſpirabant; omniaque corda afflicta & tribulata, ſuis attrahebat ſermonibus, ſuis admirabiliter conſolabatur diſcurſibus Magdalena, ita ut quandoque unico ſimplici & nudo verbo, quaſcunque anguſtiatorum cordium diſſiparet nebulas, ſedaret tempeſtates, quantumvis à multo invaluiſſent tempore, mira verbis ejus inerat efficacia, neque unquam de virtutis cujuſpiam laude mentionem ingeſſit, niſi ſimul ejuſdem quoque ingereret amorem in cordibus audientium, nunquam deteſtata eſt vitium, quin non etiam ab eodem alienarit ſaltem utcunque, corda audientium, quoties de amore Dei verba faceret, eodem corda inflammavit omnium.

Diſcurſibus ſuis mœſtos conſolatur, virtutes inſtillat, vitia extirpat.

5. Si quæ puellæ Monaſterium inviſiſſent, mundum repetituræ, ſolo Mariæ Magdalenæ adhuc juvenculæ alloquio, in tantum exarsêre Religioſæ vitæ deſiderium, ut æternum mundum vale ex eodem dixerint momento; tam rarâ namque raros ſuos ſermones condiebat dulcedine, ut eo magis appeterentur ab omnibus, quò participarentur frequentius.

Vis attractiva ſermonũ S.M.M.

6. Sanctè quandoque proteſtabatur coram omnibus: *ſi certò ſcirem me in virtute alicujus verbi, alio, quàm divini amoris intuitu prolati (etiamſi peccatum non eſſet) in ardentiſſimum Seraphim tranſmutandam, nunquam illud meo excideret ori.*

7. Severiſſima ſilentii cuſtos negavit aliquando animam religioſam cœleſtibus deliciis deguſtandis idoneam fore, niſi prius dulcedinem deguſtarit ſilentii, immemorabilium originis bonorum; vox ei ſemper modeſtiſſima fuit, dicere ſolitæ, clamoribus, vociq; elatiori forum patere, non Cœnobium.

Silentij utilitas ac neceſſitas.

Caput

Digitized by Google

Caput VIII.

De Iejunio & Abſtinentia.

1. AMica Virginitati, laſciviæ inimica fames eſt, quæ S. Virgini, quoad vixit, conſtantiſſimum extitit omnium ciborum ejus condimentum. In ædibus paternis degens, eſcam, potumque adeò libabat tenuem, ut mater impoſſibile quandoque judicarit, tantæ filiali parſimoniæ ſufficientem ineſſe poſſe nutriendi virtutem. Extra prandii aut cœnæ tempus, ad refectiunculam invitata, nunquam paruit, niſi materno adacta præcepto. In cœnobio S. Ioannis, exili quo degit tempore, tàm pertinaci inediâ ſuas eviſceravit vires, ut,qui filum ducerent, emarcuerint digiti; In annis autem provectioribus interrogata,cur tàm infeſto jejunio,primos emacerarit ætatis ſuæ vigores, reſpondit ſe id feciſſe unico orationis promovendæ intuitu.

Victus ejus tenuitas in annis puerilibus.

, 2. Quinquennio, panis & aqua tantum illi cibus fuit & po-
,tus; proximo autem biennio, à Medicis imperata, modicum
,vinum adjecit aquæ: & dominicis diebus quadrageſimali cibo ve-
,ſcebatur. At cum voluiſſent ſuperiores experiri,an, Deo annuen-
,te,tali abſtinentiâ afficeretur, mitiorem ſibi eſcam appoſitam ſu-
,mere exacta,illam difficultatem in glutiendo patiebatur, ut ſingul-
,tibus penè deficere videretur. Merendam, & quæcunque alia
,munuſcula, ſibi à parentibus donata, pauperibus elargiebatur,
,præſertim autem incarceratis, quos, dum ſcholam frequentaret,
,tranſibat quotidiè. Hoc in pane & aqua jejunium inchoavit An-
,no 1585. veruntamen de eo latius egimus ſupra. *lib.* 1. *cap.* 7. §. *1.*
,*&* 3.

Durum jejunium ex obedientia mitigat.

, 3. Ægra jam penè confecta, delicatiorem ſibi delatum cibum,
,quaſi illo non indigeret,ſui prorſus oblita,ad alias ægrotas mittebat.

4. Aliquando in extaſi imperatum ſibi audiit: *oblatum tibi cibum,offeres mihi prægustandum: ſit licet inſipidus & amarus, ſumes ut favum,quia nulla tibi dulcedo, niſi ab uberibus meis,nec aliis floribus delectari te convenit,quàm ex ſpinetis.*

5. Semper jejuna, ſi quando fameret, ſolos eſuriebat, quos Religioſa aliarum ſororum parſimonia, reſiduos aſſervarat cibos;

 ideoque

Digitized by Google

ideoque coquam ſubinde rogavit, ſibi portionem conflaret ex iis, qui ſuperaverant, ſororum cibis, mulieri pauperculæ donandam, ſupplici annuit laïca, ſanctamque Matrem paſcebat neſcia, quæ extraneam à ſe refectam auctumabat.

Ciborũ Reliquiis aliarum ſororũ diu occultè veſcitur. Spernit delicata, inſipida appetit.

6. Quæ ſaturari jejuniis, quæ confici videbatur eduliis, inſipidis quandoque ciborum condimentis ineſcata, recreabatur pollucibiliter ne bolum guſtatura, niſi palatum inconditi promulſidarii vitiaſſet amarulentia. Si quos delicatiores cibos, aut refectorio intuliſſet, aut ſibi ſpecialiter obtruſiſſet benefactorum liberalitas, nunquam eos vel extremis labiis guſtare dignata eſt, dicere ſolita, iiſdem ſtomachi ſui infirmitatem nutriri. Imò ſplendidè nunquam epulari videbatur, niſi quando amore DEI, fruſtula panis à ſororibus emendicabat in refectorio, quibus corraſis, poſtmodum in medio refectorii deliciari conſueverat in pane & aqua, reputans ſe *pane lachrymarum & potu in lachrymis in menſura reficiendam.*

Pſ.79. v.6.

Gula ab animæ cæcitate oritur:

7. Aliquando in extaſi conſtituta, gulæ deditos domibus aſſimilavit, ſuper arenam aut potius ſuper aquas fundatis, quæ ingruentibus fluviis deſtruuntur, ſubitòque in profundum corruunt, vitiumque gulæ à ſtultitia & ingenti animæ cæcitate promanare aſſeruit, quia *tanquam beſtiæ, creaturis DEI utuntur ventriculi; ea quæ DEVS in eorum creavit neceſſitatem, quæ DEVS iis in ipſorum ſubjecit refrigerium, adhibent in abuſum, ſeque Creaturis infimis & irrationabilibus conſtituunt pejores: Ideoque ipſarummet creaturarum, quas DEVS in illorum condidit ſervitium, ſe ultroneè efficiunt ſervos.* *Remediumque vitii hujus ſanctam aſſignavit abſtinentiam*, inquiens: *gulæ amuletum, ſancta eſt abſtinentia, hujus inque ſatietatem, tua DEVS meus infinita bonitas, tuam nobis carnem in cibum, tuum nobis indulſit ſanguinem in potum. Abſtinentia ſeu continentia continua eſt illius memoria, quod DEVS impertiit nobis; eſt ſchola, nos ad ipſiuſmet DEI eſſe conducens. Caro & ſanguis tuus, O Verbum, nos indeſinenter ſatiat in te, quoque magis gaudemus, & guſtamus te, tantò magis in nobis deſiderium creſcit & invaleſcit, ut ſatiemur de te, & in te. Aſt hanc lectionem ſolus intelligit ille, qui cum puritate vixerit & continentiâ.*

CAPUT

Digitized by Google

Caput IX.

De mortificatione ſenſuum externorum.

1. S*Ineſcis*; *oculi ſunt in amore duces.* Ne igitur vel leviſſimâ alliceretur ſæculi rerumque ſæcularium concupiſcentiâ, puella *pepigit fœdus cum oculis ſuis*, ut ne cogitaret quidem de vanitate. Aedes paternæ in loco prominebant Civitatis Florentinæ, ubi frequentior, cum omnium applauſu & concurſu, exercebatur hippodromia; neque unquam cum reliquis, aut domeſticis, aut extraneis Matronis, quæ curioſi certaminis famâ evocatæ, ad Pazzianas ædes convolare aſſueverant, ſpectaculo interfuit Magdalena, niſi quando, & quoties maternum eam adigeret præceptum; cui, quantum juſſa fuerat obtemperatura, ad feneſtras cum reliquis, unde proſpectus favebat ſpectaculo, acceſſit; aſt eâ ſemper oculorum cuſtodiâ & modeſtiâ, ut ne vel minimo unquam oculorum ictu dignata fuerit vanitatem.

Iob. 31. *v.* 1.

Spectaculis juſſa intereſſe cæca ſpectat.

2. Dum in Cœnobio degeret S. Mariæ ab Angelis, ſæcularibus adhuc induta veſtibus; fortuitus, neſcio quis, caſus ingentem excitavit tumultum in Monaſterio, juxta officinam, in qua Tyrunculæ & novitiæ ſimul manuum vocabant labori; ſtrepitus terreſecit, inque fugam pepulit omnes, præterquam Magdalenam, quæ ſola labori inſiſtens, nec caput attollere, nec pedem movere, nec oculos elevare, neque cilia concitatiori ſolito attrahere nictu viſa eſt, quaſi ſolo corpore in terris ſuperſtite, puella cum Apoſtolo gloriari didiciſſet: *Converſatio noſtra in cælis eſt.*

In caſu fortuito immota manet.

Phili. 3. *v.* 20.

3. Ipsâ Religioſæ inveſtitionis horâ, tam ſanctis, tamque profundis abſorpta fuit cogitationibus, ut nunquam vel minimum ediderit capitis oculorumque motum, auctumantibus omnibus, Neophytam à ſenſibus alienatam. Præſentiſſimum caſtitatis alexipharmacon, jugem auditus, viſuſque mortificationem, ne quando periclitaretur vel leviter, circumferebat in locis omnibus, ut eſſet.

Uti & in Religioſa inveſtitione.

Virgo oculis, ſancto Virgo ore, atque auribus ipſis
Virgo; nam tribus his facile eſt decedere recto.

Digitized by Google

4. Frequenter in præſentia omnium, ſuos ſibi petiit velari oculos, conſpuiq; ab omnibus, veluti opprobroſum mundi peripſema; omni oculatior argo, ſecundùm interiorem hominem.

Ab omni alieno contactu abſtinuit. 5. Nunquam alienas manus, corpus, veſtes, aut membra contrectaſſe, vel leviter attigiſſe viſa eſt; præterquam in raptibus ſubinde, quando amoroſis adacta ſtimulis, in raptu perſiſtens, manum frequenter Prioriſſæ (aliquando alterius ſororis) appræhendens, eas hac illacvè traduxit per cœnobium, quocunque amoris impelleret vehementia, plura hac de virtute promiſcuè diffuſa reperiet Lector, tùm in dictis, tum in dicendis.

Caput X.

De pœnitentÿs & mortificationibus.

2. Cor. 4. v. 10. 1. SEmper Magdalena *mortificationem IESV in corpore ſuo circumferens, ut vita IESV manifeſtaretur in carne ejus mortali* ſanctè conſtituerat,

Pauca pati melius, paucis æterna parare,
Gaudia ſupplicÿs, quàm tetros deſcendere ad amnes.

Ideoque tantus ei corporis macerandi, affligendi, caſtigandi crevit cum ætate ardor, ut juratam corporis ſui hoſtem, & in ſæculo mater carnalis, & in religione, tum Confeſſarii, tum ſuperiores Ordinis, neceſſarium duxerint placare; ſiquidem tanto carnem propriam perſecuta eſt odio, quantò nullus unquam eam deperiit amor proprius.

Pœnitentiæ ejus in juvenili ætate. 2. Thorum ſemper faſtidiit delicatiorem, ſolo contenta ſacco duriori; ſæcularis quaſcunque corporis auſteritates, & mortificationes, jocos reputabat, & delicioſa infantiæ ſuæ crepundia; aliis pueris luſui indulgentibus ſuas illa ſibi ſcapulas in ſecretioribus ædium receſſibus immiſericorditer cruentabat, minus exhorreſcens, crudelem corporis ſui tincturam, quam puerilium ineptiarum vanitatem: tantusq; hic pœnitentiarum accrevit amor, ut poſtmodum ad religionem aſſumpta, nunquam quoddammodo ſatiari potuerit, quantumcunq; rigidiſſimis corporis mortificationibus.

Cant. 3. v. 11. Spinea Coro- 3. Infantiæ confines egreſſa, viderat *Regem Salomonem in diademate* ſpinoſo; zelotypa itaque minimè ſibi acquieſcendum duxit, uſque dum ſpineam ipſamet vertici ſuo affabrè texuiſſet coronam, multâ

Digitized by Google

multâ præacutam cuſpide , quâ caput ſuum multoties purpuravit ; præſertim autem eam , dum nocturnam captura eſſet quietem, plerumque adhibebat in cervical. Domeſticos , matre inſciâ, importunis adegit prec bus , ne hyemali unquam tempore, lectum ejus calefacerent , quibus ſimilibusque filiæ rigoribus territa Mater , filiolæ præcepit , ut impoſterum eodem ſemper ſecum lecto decumberet. na ſæpius caput cruentavit.

4. Tam immitis in religioſo Cœnobio , in ſe quodammodo deſæviit carnifex , ut , cujus frontem nulla unquam triſtitiæ nebula, obumbrare viſa eſt , nulla corporis , animique tribulatio , nulla adverſitas , nulla dejicere preſſura ; affligeretur , quoties aliquod mortificationis, aut pœnitentiæ exercitium intermittere jubebatur ab obedientiâ. Triſtatur, dū corpus affligere nequit.

5. Varias diſciplinarum formas pia adinvenerat Magdalenæ ſedulitas,quæ virgineas ſcapulas feriebant quotidiè , ſed omnibus ſupereminebat una , è ferro compacta , tria circiter habens pondo , quæ ad integram quandoque horam in Magdalenæ dorſum deſæviens , virgineæ carnis propemodum diſcerpiſſet compages , niſi ſuperiorum obſtitiſſet ſollicitudo & vigilantia. Alienis quandoque , præſertim autem Novitiarum & Laicarum , manibus diſciplinas excipere gaudebat , tum majoris motivo humilitatis, tum quia in ſe ipſam benigna comisque nimium ſibi eſſe videbatur , dumque cæderetur ab aliis , ictuum quandoque copiam urgebat & vehementiam , dicens : *percute fortiter.* Carnem aſperis cingebat,pungebat, ſtringebatque ciliciis , forcipibus denſatis, catenis ferreis , aliiſque ſimilibus inſtrumentis ; modò pectus percutere ſaxis , modo membra volutare nuda in urticis, modò brachia & pedes ardenti uſtulare cerâ , continuus veluti ſeu jocus, ſeu luſus erat Magdalenæ. Diſciplinarū quas faciebat, rigor, aliæque corporis auſteritates.

, 6. Licet exterior homo pro infirmitate ſua cruciatus horre-
, ret, interior tamen invictâ conſtantiâ omnia poterat in eo , qui eam
, confortabat. Nudis incedebat pedibus , quamvis glacies urgeret,
, donec pedibus omnino impedita , alienâ tantum ope graderetur,
, & licet morbi illi ſecus ſuaderent,eo tamen anxio caſtigandi corpo-
, ris ardore æſtuabat , ut integras noctes in oratione tranſigeret , fer-
, reo cingulo & cilicio carnem tereret , ſpineâ coronâ caput trans-
, figeret.

Ferreus

Ferreus aſſiduo conſumitur annulus uſu ,
Interit aſſiduâ , vomer aduncus humo:

7. Aſt omni ferro durior & quâcunque pertinacior chalybe S. Virgo, quò magis pœnitentiæ opera multiplicaret eò, ſemper promptior , eò anhelabat ardentior ad quæcunque nova exquiſitiſſima ‘ mortificationum genera. Præ cæteris , ægræ cujuſdam ſororis cu-, ram gerens, naturalem fugæ affectum , promptitudine ſpiritus ſu-, pergrediens , ex fœtidiſſimo ulcere, quos horrebat infirma caro, , vermiculos & putredinem abſtergebat, cumque putres ulceris hia-, tus lamberet , exclamabat : *O quàm majora paſſus eſt IESVS pro no-, bis* ; mentem figens in myſteriis acerbiſſimæ paſſionis Chriſti, gna-, ra, certam eſſe expectationem promiſſæ beatitudinis, ubi participa-, tio fuerit Dominicæ paſſionis. Lingebat præterea deformes ſca-, biei cruſtas , quibus corpus obtegebatur ſororis Barbaræ de Baſ-, ſis , & Mariæ Benignæ de Orlandinis , ut fusè infra inter miracula referemus. Longo pariter multoque tempore, juſculum è paropſide ſumpſit, in qua ſynceraſtum ſuum infirma quædam , pure macieque plena, comederat ſoror.

Ex ulcere vermes & tabem exugit.

In nuda decûbit humo.

8. Quas pauculas quietis nocturnæ tranſigebat horas , aut ſuper nudam humum , ut Lignum , aut ſaccum fallebat ; principaliter autem hoc eminuit in vigore per quinquaginta noctes , quinquennio probationis immediate ſuccedentes ; raròque ſuas, quieti vacatura , exuebat veſtes , forſitan ut eò expeditior evigilans, reliquas Moniales ad laudes Deo cantandas excitaret. Quodq; ſtupendum occurrit ; cum anno 1602. febris , tuſſis & catarrhus admodum importunus corpuſculum tenerum graviter debilitaſſet; S. Virgo pertimeſcens, ne fortè ab amore proprio ſupplantaretur, nullis obſtantibus doloribus , omnibus contemptis anguſtiis , & cruciatibus ſingulas quàm exactisſimè obibat, frequentabatq; Cœnobii functiones , abſque eo , quòd vel minimum de ſolitis remitteret rigoribus & pœnitentiis. Imò anno 1603. venæ cujusdam in pectore paſſa rupturam, dum copioſum evomeret ſanguinem , invaleſcente malo pesſimo, per dies aliquot lecto affixa, decubuit; vixque remiſerat accidentis atrocia, quando priorem vitæ rigorem iterum adorſa eſt Magdalena , abſque intermisſione uſque ad annum 1604. quo graviter infirmata uſque ad mortem, lecto inhærere conſtanter compulſa fuit.

Ægra de vitæ rigore nihil remittit.

Caput

Digitized by Google

Caput XI.

De fortitudine, patientia, & manſuetudine.

1. Fortitudo alia corporalis, mentalis alia; illa pars virtutis, hæc vera virtus; utraque neceſſaria militi, ſed hæc præ illa, utilis in bello & pace, actum principalem habet ſuſtinere, ſecundarium aggredi: de hac ſecundâ, quæ unicè in militia ſpirituali deſideratur, in præſenti nobis ſermo eſt; quæ quàm excellenter animarit ſtabilieritque Magdalenam, paucis efficaciſſimè concluſerim, affirmando de ea (forte majori jure) quod de Doctore traditur Angelico: *Audite fortitudinem, omnes diaboli fraudes ſuperavit.* Neque eſt, quod huic immoremur fuſius, quam in *lib.* 1. pluribus exhibuimus, docuimuſque virtutem, ubi de lacu Leonum, de conſtantiâ & infracto animo, quem Magdalena in tentationibus prætulit omnibus, diſcurrimus abundantius. Singulari fortitudine mentali prædita fuit Magdalena.

2. Martyrium actus fortitudinis, ut elicientis principaliter, neq; Martyrii laurea deſtituit Magdalenam, quæ, ſi Martyrium deerat, Martyrii deſiderio planè conficiebatur, prout latius infra *cap.* 13. edocebimus.

Vinum virginibus probrum eſt, obſcænius irâ;
Turpius ira malum, graviuſque in virgine crimen,
Quàm furor in reliquis.

Ab omni itaque amarulentia cordis, quàm alieniſſima Magdalena nunquam parentes, nunquam domeſticos, vicinos, ſæculares, aut Religioſas perſonas, obtutu moroſo, vel duriori offendit verbulo; ſolus ſi exceperis Religioſas diſcolas & imperfectas, quas vi officii ſui inſtruere, repræhendere, emendare tenebatur; eâ tamen animi manſuetudine, ut in acerbiſſimis repræhenſionibus, ſi qu[illegible]do vel à laica, ne dicam ab aliis vel ſuperioribus, vel æqualibus, admoneretur, hujuſmodi in repræhendendo ſeveritati optatum non reſponſurum effectum, illico obmutuerit, ſuum cognoſcens errorem, ubi nulla ſororum vel minimam cavillare potuiſſet imperfectionem. Nullũ unquã ne verbulo offendit.

4. In S. Joannis cœnobio dimorans manſuetisſimæ vitæ ſanctimoniâ, animos in ſe affectuſque pellexit monialium omnium, ut aliæ vix eam præ reverentia alloqui præſumerent, ejus præſentiâ & alloquio vix, aut ne vix quidem ſatiari poſſent aliæ, individuum S. Virgunculæ conſortium affectantibus & urgentibus omnibus. Singularis ejus modeſtia.

5. Vix in cœnobio S. Mariæ ab Angelis Tyruncula recepta,

Digitized by Google

tam ſingulari vitæ modeſtiâ, tam modeſtiâ indolis benignitate, tam benigno virtutum, morumque decore, Tyrunculas, Novitias, & ſeniores omnes in omnimodum ſui rapuit amorem, ut communibus votis, non tam puellã admittendam; quàm ut Religionẽ amplexaretur, rogandam eſſe concluderetur. Neque hæc in virgine ſancta prius exſpiravit virtus, quàm ſpirare deſiit Magdalena.

Nullũ unquã impatientiæ edidit ſignũ.

6. In nullis unquam tentationibus, quæ quinquennio integro ſævierunt in Magdalenam crudeliſſimæ, in nullis deſolationibus, quas in lacu Leonum paſſa eſt frequentiſſimas, in nullis unquam corporis infirmitatibus & preſſuris, ullam impatientiæ exhibuit umbram, æqualiter fortis & patiens, quæ divinæ ſemper conformis voluntati, omnibus fieri meruit conſtantiſſimæ patientiæ & magnanimitatis prototypon; quæ inter extaſes à ſponſo ſuo petiit aliquoties, corporis animique ſui conſolationum privationem, votique compos, eâdem tribulationem exantlavit conſtantiâ, quâ illam antea poſtularat inſtantiâ; quò tribularetur acrius, eò magis magiſque prompta mentem componere, *magna virtutis opus magnoſque labores.*

Iræ deſcriptio

7. Extatica quandoque, abominandum iracundiæ vitium, ſequentibus deſcripſit verbis: *Ira ſuperbiæ filia, accenſio ſanguinis eſt: unde ſuperbia iræ mater eſt, fætuſque ejus iracundia. Illa nutrit hæc fovet; ſuperbia ut mater nutrit; ira, ut filia fovet ſuperbiam. Ira, ferocem imitatur Lupum, dum creaturas in rapaciſſimos tranſmutat Lupos, manſuetarum devoratores ovium. Ira, cognitio ſuique ipſius obſequium, & indulgentia appellari poteſt, cui nomen proprium, proprius amor, qui omnia attrahit ad ſe, & quacunque re conturbatur, nuncupari poteſt intentio ſiniſtra; quæ, quidquid militat adverſum ſe, ſibi imaginatur inſupportabile; Imò vel minimus oculi ictus animam contriſtat, hoc inquinatam vitio; ſemper belli, nunquam pacis amantem. Peſſimæ huic beſtiæ benigna opponitur & mitis manſuetudo, quæ columbæ inſtar ſe nobis aſſociat, volat, gemit, parturit; aquis oblectatur limpidis, cantuq; mæſto nullum non attrahit ad ſe. Verè equidem columbam imitaris O benigna manſuetudo, quæ omnes poſſeſſores tuos oblectas, & dulci ſubtilique ſolatÿ funiculo tuos tibi attrahis filios, & attractos ſub tuis protegis alis, cum ingenti eorum refrigerio.*

Manſuetudinis effectus.

Caput XII.

De amore Dei & IESV CHRISTI Sponſi ejus.

Omnia vertuntur, certè vertuntur amores;
Vinceris, aut vincis; hæc in amore rota eſt.

1. Utrum

Digitized by Google

1. UTrum ardentiſſima Seraphina palmam ceſſerit amoris ſponſo ſuo cœleſti è dicendis conjecturavit lector, mihi dixiſſe ſuffecerit, quòd divinæ menſuram poſuerit dilectioni, quæ ſine Menſura DEUM dilexit Magdalena; ſiquidem DEUM amandi modus, eſt ſine modo diligere DEUM; quantumvis autem extaſium frequentia, quinquennalis agonis victoria, intima cum DEO voluntatis, animique unio, pars eſſentialis amoris divini, aliaque rariſſima virtutum heroicarum ſpecimina, irrefragabile exhibeant divini teſtimonium amoris, quo ſuum Magdalena deperiit ſponſum JESUM CHRISTUM; ſuperſunt nihilominus, & alii favores, qui ejuſdem diſtinctius quaſi indigitent dilectionis æſtum; cum enim corporei obtutus materialitati ad cor, quod amoris ſedes eſt, aditus negetur, ejusdem quantitatem juxta mirabilium, quà in operibus, quà in ſermonibus relucentium diverſitatem, menſuremus oportet; quæ omnia cum in gradu planè heroico & perfectiſſimo, ut probavimus & fuſius evincemus in ſequentibus, poſſederit Magdalena, amorem ejus planè Seraphicum atque ardentiſſimum fuiſſe, concludamus neceſſum eſt. Omnia namque ejus verba, DEI eructabant amorem, interrogationes divinum ſonabant amorem, reſponſa replicabant amorem, nutriebant amorem cogitationes, amorem DEI omnes continuabant actiones; eo ardentium flammarum incremento, ut anguſtos cordis limites egreſſæ, ipſum pariter ſuccenderint S. Virginis corpus, faciem pallidam vivo pinxerint colore, languidam aliàs ſerenarint frontem fama ſitique emaciatas impinguarint genas.

Quantum Magd: ſponſũ ſuum dilexerit.

Amoris effectus in Magdalena.

2. Quaſcunque virtutes cauta novit Sanctorum occulere humilitas, ſola humilitati cedere neſcit charitas; cùm enim ſemper, aut incendium, aut ſaltem flamma ſit in ſubjecto, latere nequit: *Quis enim celaverit ignem?* imò quò premitur zeloſius, eò perrumpit, & prorumpit potentius, unde quæ amans in ſæculo, *aſcenderat de deſerto, innixa ſuper dilectum ſuum, delicijs affluens*, amoris divini, annum Novitiatus necdum finierat, quando finitis precibus veſpertinis, reliquiſque ſororibus ad nocturanm quietem accelerantibus, ſola in Oratorio Novitiatus remanſit Magdalena, cujus illicò vultum rubeus cœpit obumbrare color, & nimius ſuccendere calor,, ſcintillantibus oculis præ ardore, linguâ

Cant. 8. v. 5.

Amor celari neſcius in Magd: ſtatim eluxit.

in has ſimileſque ſolutâ voces: *O amor, quàm offenſus es O amor! O amor incognitus, minime amatus!* Exinde pluribus in hominum flagitia debacchata eſt; donec tandem omnibus, quæ prodigioſo excitæ clamore concurrerant, attonitis ſororibus, à directrice, ut lectum peteret, juſſa, reſpondit humiliter: *Ergone fieri poterit, ut Deo tam horrendum in modum offenſo, ego me lecto committam? Nihilominus O amor obedientiæ parebo.* Moxque poſt duas in amoris exceſſu tranſactas horas, ſibi reſtituta eſt. Similes amoris exceſſus lectori exhibuimus *lib.* 1. *cap.* 2. §. 2. 9. 10. *&* 15. ad quæ proinde loca eum remitto.

3. Vix profeſſionem emiſerat, quando inter aliâs continuès quadraginta dierum extaſes, quas paſſa fuit poſt communionem quotidianam, vidit in raptu, animam ſuam modo indicibili uniri & transformari in Deum, prout obedientiæ præcepto conſtricta retulit Superioribus: *Neſciebam* (verba ſunt S. Virginis) *ſi mortua aut viva eram, ſi in corpore aut anima, ſi in terra aut in cœlo; ſed Deum ſolum videbam totum in ſeipſo glorioſum, amare ſeipſum pure, ſeipſum cognoſcere integrè, infinitè ſui ipſius eſſe capacem, omnes purè amare creaturas; unam eſſe in Trinitate unionem, unam Trinitatem individuam, unum infiniti amoris Deum, bonitate ſummum, incomprahenſibilem, imperſcrutabilem; ita ut ego exiſtens in Deo, nihil penitus ſentirem in me. Hacque in conſideratione integram conſumpſi horam; quos autem hac in abſtractione, deliciarum guſtaverim exceſſus, effari neutiquam valeo, ſiquidem fragilitas mea, id, quod mihi monſtrabatur & deguſtandum exhibebatur, capere non poterat; id ſolum dixerim, quod menti meæ illa obverſabatur ingerebaturque Apoſtoli ſententia: oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit* DEVS *ijs, qui diligunt* Deum.

In raptu in Deum transformatur.

1 Cor. 2. v. 9.

4. Eodem quoque tempore poſt communionem in extaſim ſublimata, hanc ejus poſtmodum ſororibus tradidit relationem: *Vidi ego in illo tempore, amorem unitivum, me conjungentem & unientem cum IESV; ita ut ſimul me in notitiam devenire faceret excellentiæ & puritatis amoris illius, in quantum mea permittebat capacitas; mihique tantam IESVS ſui ipſius promiſit notitiam, quanta ſufficere poſſet ad continuum ejus poſt hoc amorem, atque inſatiabilem dilectionem. Intelligebam inſuper, tantâ*

Amore unitivo donatur.

Digitized by Google

tantâ me dotandam prærogativâ, ut nunquam amor ejus meo excideret cordi. Intellexi pariter, omnes animas, quæ de ſanguine participant IESV CHRISTI, id eſt, amore ejus, paſſionibus ſubiacent in mundo præſenti, miro niteſcere decore coram oculis divinis; animamque omnem præ nimia dulcedine penitus liquefaciendam, ſi excellentiam penetrare poſſet, quàm in ſe continet amor divinus.

5. Amoroſas alias inter extaſes, cor ardentiſſimum hæc plerumque & ſimilia eructabat ſuſpiria: *O amor, amor, amor! amoris ſatis eſt, dilectiſſime IESV, o DEVS amoris, qui creaturas puro diligis amore. O amor, o amor, O DEVS amoris! nunquam non te appellabo amorem? O lætitia cordis mei, ſpes & fortitudo animæ meæ! cape me O IESV, meque totam in tuis abſconde vulneribus.* [Varia ejus amoroſa ſuſpiria.] *Alia quadam vice ſororis cujuſdam manum apprehendens, ait: Veni tu quoque & curre mecum, ut vocemus amorem, ut intonemus amorem; nunquam enim ſatiabor, DEVM nominare amorem: cor meum & caro mea exultaverunt in DEVM vivum.* Aliquando firma ſubſiſtebat, & Crucifixum manu apprehenſum moroſius intuita, ſubriſit dulciter, cum incredibili cordis jubilo ingeminans: *tam fortem O IESV mihi indulge & ſonoram vocem, quæ per omnes audiatur mundi plagas à creaturis ſingulis, ut amor iſte pariter ametur, & appretietur ab omnibus; ſed eheu! peſſimum amoris proprij venenum ſublimem illam deſtruit cognitionem.* [Pſ. 83. v. 3.] *Te ſolum quæro, te ſolum volo, te unicum depereo O amor; quis tuam unquam perpendere aut eloqui poterit excellentiam O infinite, æterne, & immortalis amor?* Hinc ad ſorores converſa, & Crucifixi iis exhibens plagas, ſubiunxit: *Videte ſorores, quanto nos IESVS noſter proſecutus fuerit amore, quem ſi creaturæ cognoſcere poſſent, ſuaſque ſimul intelligere offenſas, non unum, ſed mille infernos cum mille eligerent dæmonibus; priuſquam DEVM, amorem infinitum, ullo amplius vel minimo offenderent peccato. Magnus es O amor, omni dignus laude, ſed quis te laudare ſufficerit? Si omnes hominum & Angelorum linguæ, ſi omnes Cœli ſtellæ, ſi minutiſſimæ maris arenæ, ſi terrarum plantæ, ſi aquarum guttulæ, ſi volucres Cœli in totidem transformarentur linguas ad laudandum te nihil penitus laudis præſtitiſſe cenſendum foret.* Aliquando omnia membra ſua Crucifixo conformans, hæc ingemiſcebat dulciter: *O ſponſe dilectiſſime, O amor, O ſuavitas, O fortitudo animæ meæ, O bone IESV, O dulcis IESV, O mi IESV! condantur oculi mei, in oculis miſericordiæ tuæ; auribus tuis ita meæ adhæreant, ut nihil à me percipiatur, niſi vox dilecti, jungatur os meum*

Digitized by Google

labijs tuis, ut tecum amoroſa miſceam colloquia; pectusq́ meum o IESV amantiſſime, tuo involuatur pectori.

6. Hinc ad Crucifixum, quem ſanguine madidum venerabatur converſa, exclamavit: *Nunquid non ſatis erat O amor, nunquid non ſufficiebat tuus ille è toto corpore defluus ſanguis? debuit ex oculis ipſis promanare; fac ſaltem O amor, ut hominum cordibus excipiatur tuus ille divinus ſangvis; O amor, quàm longè plures ſagittas vibras illorum pectora, quàm contra te ejaculentur ipſi, O amor, coronam tuliſti ſpineam, ut ſponſas tuas gloria & honore coronares in cælis. O amor, cui potius pungens iſtud competit diadema, amori an amanti? mihi, mihi utique debetur illa corona; eam obſecro concede mihi amor, ne illam mihi negaveris O amor; ſemper tecum vivam crucifixa, tecum moriar O amor.*

Spineã coronã petit.

7. Interrogata à ſororibus, ſi tanta amoris vehementia nullum crearet incommodum, moleſtiam nullam; lætiſſimo vultu replicavit ſeraphica: *Qualiter O ſorores meæ, ullam pati potero aut ſubire anguſtiam, meo converſans amori; an neſcitis amorem pœnæ inexpertem eſſe?* hinc iterum ad Crucifixum quandoque converſa, omnes ei inſtantiſſimè commendabat creaturas, maximè autem Judæos; hæreticos & infideles, eo charitatis ardore, ut ad amoris præſentiam, veluti cera ad ignem liquefieri videretur, inquiens: *O amor, tuis teipſum concede obſecro creaturis, & effice, ne quidquam ament, præterquam te amorem. Fac o IESV mi, ut omnes te concupiſcant amorem, & ſuum deteſtentur errorem; o amor! ſi anima attingere poſſet, quid ſit ſine te vivere amore, mille potius ſe conficeret mortibus, quàm vel momentum unicum ſine te viveret amor.* Atque ita per omnes Judæorum, infidelium & hæreticorum ſtatus diſcurrebat, ſuo ſupplicans ſponſo, ut eos ſuo inflamaret amore.

Nullũ à tam exceſſivo amore patitur incommodũ.

Infidelium petit converſionem.

8. Exclamabat aliàs: *o IESV ſponſe, tu es in me & ego in te, nimium o IESV tuas diligis creaturas; non equidem tuæ nimium immenſitati, ſed noſtræ nimium vilitati o DEVS, o CHRISTE, o IESV ſuaviſſime, tantam amoris flammam ultra non ſuſtineo, o amor! ſi cares hoſpitio, veni totus intra viſcera mea, cor meum ſubi, meas occupa & incinera medullas; in ijs cubabis, in ijs ſemper requieſces o amor. Hei mihi! vivo ab amore moriens, morior vivens. quia amor ſimul labor & quies, amænitas, & aſperitas, mors & vita, oblectamentum & tormentum.*

9. Aliquando manibus plaudens, ita omnes generatim ad amorem invitabat creaturas rationales; *O animæ creatæ ab amore, cur non amatis amorem? quid eſt amor, niſi DEVS? o amor, me perdis & annihilas,*

Creaturas rationales ad amorẽ invitat.

Digitized by Google

nihilas, me perimis & vivo; crucior, quia parum amatus & minus es cognitus. Adeſte animæ, meum amaturæ amorem, veſtrum amaturæ Deum; venite, accurrite animæ, veſtrumq; diligite Deum, Deum amoris, ſummæ Deum bonitatis, potentiæ incredibilis, ineffabilis ſapientiæ, noſtrorum cuſtodem cordium. Verè equidem, *quid deceat, non videt ullus amans.*

Tintinnabulorum bonitas hinc inde diſcurrēs.

10. Anno 1592. in Feſto exaltationis S. Crucis, poſtquam omnes moniales ad amorem Dei invitaſſet, atque exſtimulaſſet, in extaſi perſeverans, poſt diverſos hinc inde per Cœnobium diſcurſus, tandem ad ſublimiora confugit Eccleſiæ tintinnabula, eorumque ſonitu omnes pariter ſæculares ad amorem Dei provocavit, has inter pulſum, ingeminans voces: *Properate animæ, nimium vos amantem amaturæ amorem; venite o mortales, veſtrumq; diligite Deum*; hincque per clauſtra, & pomaria diſcurrens, inquirebat ſollicitè, qui amorem cognoſcerent, qui venerarentur, qui amarent amorem, primamque obviam ſororem ita interpellabat: *Amaſne amorem, ut vitam tuam, o anima Ieſu ſanguine redempta?*

Frigidâ amoris æſtum lenit.

11. Exinde gelidum fontem vel puteum feſtivè petens, inter frigidas undas brachia mergebat & manus, illas avidiſſimo ore potabat, & ſinum aquarum copioſâ aſperſione refrigerabat. Nec ſemel cum tanto amoris igne ureretur, Jesu Christi imaginem ſtringebat amplexibus, eamque è cruce divulſam, propriis velaminibus detergebat, jam lachrymis madidam: Interdum verò adeò lateri crucifixi os applicabat, quaſi inde ſuaviſſimum liquorem ſugeret.

Præ amore pallet, ac deficit.

12. Aliquando ad ſorores converſa, ajebat: *an neſcitis ſorores dilectiſſimæ, Ieſum meum nihil eſſe, niſi amorem?* alias dilectiſſimum animæ ſponſum hiſce provocabat verbis: *Fiat mihi Domine Deus, vox ita valida, ut quoties amorem te appellavero, ab oriente uſq; in occidentem, à meridie ad ſeptentrionem, & ab omnibus deniq; mundi partibus, uſq; ad inferni abyſſum valeat penetrare, ut cognoſcaris, & diligaris ab omnibus o amor, qui ſolus omnia penetras, qui ſolus omnia ſuperas, regis, ligas & gubernas.* Interdum per tres ſuccedentes noctes ad altiſſima quæque divinarum rerum arcana admiſſa eſt, & ſubinde ſanctiſſimæ Trinitatis myſteria ultra humanum captum expoſuit: cumque ad horas canonicas Triadi laudes caneret, adeo divinarum perſonarum amor urgebat eam, ut fervente illo dilectionis ardore liqueſcens, pallere & penè confici videretur.

Exclamaſſe

Cant. 1. 13. Exclamaſſe quandoque crediderim : *Oſculetur me oſculo*
v. 1. v. 6. Cant. 2. *oris ſui : indica mihi , quem diligit anima mea , ubi paſcas , ubi cubes ;*
v. 5. *fulcite me floribus, ſtipate me malis : Ecce tu pulcher es dilecte mi & de-*
Cant. 1. *corus* : Inque vacuo animæ , incineratæ ab amoris incendio, divina
v. 15. Cant. 4. reſponderit echo : *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa , vulneraſti cor*
v. 9. *meum in uno oculorum tuorum , & in uno crine colli tui* : veruntamen frustra uberior fuerim in recenſendo diverſiſſimos divini amoris affectus , quos quotidie millies replicabat Maria Magdalena , id dixiſſe ſuffecerit , quod Seraphinis in cœlo eſt Τρισάγιον, id Mariæ Magdalenæ amor erat in terris , ſiquidem Deum amans , amore non ſatiabatur, cum Deus amor ſit, quem qui amat, amorem amat.

14. Talis quisque eſt, qualis cujusque affectus, teſte D. Auguſtino, *ſi cœlum amas , cœlum es ; ſi terram amas, terra es ; audeo dicere ſi Deum amas , Deus es* ; utique non per eſſentiam aut unionem hypoſtaticam, ſed per cognitionem, ſed per amorem, ſed per adhæſionem, animique unionem ; qualem cum ſponſo ſuo cœleſti habuit Magdalena intimam, tenerrimam, firmiſſimam. Veritatem evincant pau-
Annulo è cœlo honoratur. cula, quæ ſubjicio. Anno 1585. 28. Aprilis in vigilia S. Catharinæ Senenſis, poſt trium horarum tormenta in raptu exantlata , inæſtimabilis pretii annulo decorata fuit à JESU ſponſo, manum dilectæ, binis è cœlo paranymphis ſuſtentantibus , D. Auguſtino & Catharina ; moxque ipſamet S. Virgo exultans , ſubjunxit. *Dominus ſponſavit*
Oſe. 2. v. 19. *me in dulcedine ſuavitatis & libertatis ſuæ , & in unione ſanctiſſimæ Trinitatis.*

15. Quarto Maji 1585. in choro exiſtens cum reliquis, ſubitò ſe vocari ſenſit interius ; moxque petitâ & obtentâ à ſuperioribus licentiâ , in ſecretius receſſit oratorium , ubi prolixiores inter preces, ita Chriſtum ſponſum, maximo animi , ſpiritusque fervore allo-
Chriſt' ſpineũ ei imponit ſertum. cuta eſt : *Ego patris famula , filij ſponſa , templum Spiritus ſancti* ; cernensque interrupto mentis exceſſu , JESUM Sponſum ſuum virgineo illius vertici ſpineum imponentem diadema , præ amoris impetu in ſequentia prorupit verba : *Quis unquam Rex , naſeu Imperator propriam coronam ſibi abſtulit , eaq; , caput exornavit ſponſæ ? ita eſt Domine IESV , hæc tibi nota decoris fuit & doloris , quam tu mihi indicem exhibes & impertiris benignè , immortalis decoris & honoris.* Tunc CHRISTUS virgineam frontem pretioſo hoc circumdans ſerto , coram ſanctiſſima virgine , S. S. Au-

Digitized by Google

S.S. Auguſtino, Angelo Carmelita, & Catharina Senenſi ſubiunxit, ſe hoc donario in præſenti condecorare Magdalenam, nunc quidem citra ullum doloris ſenſum, ſed futurum propediem, ut ejuſmodi ſpinas & aculeos experiretur inconſolabiliter.

16. Eodem Anno 11. Maij, divino exardeſcens amore, ſublatis in cœlum oculis & brachijs, è ſponſi ſui dilectiſſimi manibus, divinum illius cor excepit, quaſi temporaneum in terris arrhabonem, quò inſignita favore, brachia in modum Crucis ſuper cordis regionem complicans, incredibilis ſatisfactionis, gaudii & tripudii edidit indicia, quaſi jam jam exſpiratura, cordis reſpirationem nimiâ prohibente divini amoris vehementia; hocque in ſitu per multum temporis ſpatium dimorata, ſequentia, in perſona JESU ſubiunxit verba: *Collocavi cor meum in anima ſponſæ meæ*: deinde in perſona æterni Patris, ait: *ſponſa unigeniti verbi mei, quidquid vis à me pete.* Tandemque in propriâ perſona ita terminavit diſcurſum: *O Pater æterne, non audeo vel minimum poſtulare à te, id unicum peto, ut bona augeas animarum in omnibus nobis, omneſque tuas tibi offero creaturas, pro quibus omni hora & momento Martyrium, imò mille mortes, ſi poſſibile foret, ſubirem libentiſſimè. o felicem me atq; fortunatã, ſi hujus ego gratiæ & favoris, tot expetiti votis, particeps efficerer.* Quibus tranſactis in gratiarum actiones pro tanto beneficio ſibi divinitus collato, effuſa, cecinit: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus; ſurge gloria mea, ſurge Pſalterium meum, exurge gloria mea, exurge Pſalterium, & cythara; in pſalterio decachordo Pſallam tibi, & adorabo ad templum ſanctum tuum.* Ubi inter alia, doctiſſimas ſupra ly *in Pſalterio decachordo* instituit contemplationes.

Chriſtus ei cor ſuũ tradit.

Pſ. 102. v. 1. Pſ. 107. v. 3. Pſ. 143. v. 9.

17. Anno 1585. 12. Maij, in raptu divinum adorans, veneranſque ſponſum, poſtquam ejus ſanguinem Patri æterno, pro redemptione humana, omnique creaturâ obtuliſſet, JESUM propriis excepit amplexibus, hæc inter alia ingeminans verba: *Date mihi filium meum, date mihi ſponſum meum.* Moxque ut eum receperat, tenerrimis cõſtrictum complexibus, inſolita edere cœpit ſpiritus ardentiſſimi tripudia, inter varia pietatis & devotionis obſequia.

Jeſum amplexibus ſtringit.

18. Aliàs pariter extatica diverſos inſtituit diſcurſus de nuptiis & ſponſalibus ſpiritualibus, DEUM inter & animam juſtam, quando amorem quoque proprium, quo creaturæ ſe ipſas depereunt, divini amoris totaliter impeditivum, plurimis eſt deteſtata modis, in-

Amorẽ Dei deprædicat, at creaturarum deteſtatur.

quiens inter cætera: *Vtinam ſponſe mi, inordinatus ille creaturarum amor exultaret è terris; &, ſi non è ſæculo, ad minus è religionibus; audeo namq; dicere, vix ullam eſſe religionem, ubi non aliqualiter dominetur particularis imperfectio amoris, cui licet non inſit offenſa, turpis attamen illi ſociatur defectus, ſiquidem non omnis totaliter eradicatus eſt amor proprius, cum tamen quicunq; in religione exiſtens, omnem proximum in charitate, divinique amoris vinculo indifferenter debeat diligere, & abſque perſonarum acceptione; ſed o Maria, quod me concernit, ego non poſſum non, DEI mei amare creaturas, juxta divinum mihi impoſitum præceptum, aſt maxima cum differentia, ſiquidem DEVM amo propter ſe; Creaturas autem propter DEVM, ita ut has amem & oderim, quando & quantum præcipit amor IESVS.* Aliâ quoque vice colloquium inſtituit cum Patre æterno, ei nimiam exhibente hominum malitiam; qua in extaſi fuſius egit de ſuaviſſimo oſculo, quo ſponſus cœleſtis diverſis modis animas dignatur

Cant. 1. *v.* 1. Oſculũ ſponſi cœleſtis.

juſtorum. Quod oſculum appellavit, *oſculum pacis, oſculum unionis, oſculum ſapientiæ, oſculum ordinationis, oſculum amoris, oſculum ſalutis, oſculum ſcientiæ DEI.* Quibus in oſculis deliciantur, ſibique congratulantur invicem Verbum divinum, & quotquot pro offenſis, adverſus Verbum divinum perpetratis, anguſtias, cruciatus, perferunt & dolores in vita præſenti; quæ oſcula per totidem ſacræ Scripturæ loca, ipſamet ſancta in extaſi explanavit fuſiſſimè.

Ioa. 14. *v.* 23.

19. In ipſa Pentecoſtes ſolemnitate, circa horam undecimam, pariter in extaſim ſublimata, illum Scripturæ textum (*ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*) rariſſimis elucidavit contemplationibus. Aliâ quoque vice amoris impetu agitata, gloriari audita eſt;

Cant. 2. *v.* 4.

Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem; moxque variis ſublimibus contemplationibus arcanum ſenſum proſecuta eſt, cum ſtupore omnium.

Zelus ej' pro honore divino.

20. Individuus divini amoris comes, ſincerusque teſtis, eſt divini honoris zelus, cujus pariter ardor, virgineas propemodum incinerarat medullas, ideoque incredibili exæſtuabat indignationis, iracundiæ & furoris impetu, quoties quippiam, quantumcunque exile, adverſus DEI honorem publicè privatimvè committeretur. Peccatum mortale ita exhorrebat, ut ad ſolam illius prolatio-

nem,

nem , facilè exanimaretur ; ipſam ſceleris turpitudinem dæmonibus comparare, ſolita paratamque ſe aſſerebat , omnibus exui , penituſque deſtitui gratiæ donis, ut illis indueretur proximus, ſolâ ſibi reſervatâ Deum conſtanter amandi, illique iugiter obſequendi voluntate. Ideoque dies ante obitum 15. hoc , cedro , imò cœlo digniſſimum protulit aſſertum : *Vitam hanc deſero , unum iſtud ignorans, qualiter fieri poſſit , ut homo ultro conſentiat in peccatum , offendatque Dei Majeſtatem.* Horror peccati mortalis.

21. Maximè autem in Religioſorum & ſacerdotum invenebatur culpas & imperfectiones , inquiens inter cætera : *Noſti Domine mi , eorum crimina nævos eſſe in vultu patulos & facie , qui in omnium oculos incurrant , non ſine gravi ſcandalo. Illi fontes ſunt publici ; quos proinde ſi peccati venenum corruperit , plebem inficiunt vulguſque morti dedunt æternæ ; illos tu Domine habes Domeſticos , in te itaque eorum refunduntur dedecora , noxæ & flagitia. An non tu ipſe Domine Deus nos docuiſti , illos mundi hujus lucem eſſe ; quâ igitur ratione Solem , peccatorum tenebris obſcurari permittis ? Sal infatuatum ad nihil valet ultra, tu eos Domine , tui præſtituiſti populi duces , & permittis interim , ut iter oſtendant , ut ſemitam perhibeant , tuis præceptis , tuiſque planè contrariam exemplis. Si cæcus cæcum ducit , nonne ambo in foveam cadunt ? tuum ergo IESV ſuaviſſime , in illos ſanguinem ut effundas , etiam atque etiam precor. Ecce , me pro illis piaculum offero ; tormentis obruar ego , pœnas ego ſuſtineam purgatorij ; nullas ærumnas , nulla recuſo verbera , omnes in me provoco cruciatus ; caſtiga me DEVS in furore tuo , dummodo iniquitas tollatur à ſanctuario tuo , partemque Eccleſiæ tuæ nobiliſſimam , eliminatis procul ignorantiâ & peccatis , ſcientiâ illuſtrare , & virtute ſolidare digneris. Ah ! me miſeram , me infelicem ! cur non in omnia ſuppliciorum genera me ultrò præcipito , ut tot expiem ſcelera ? fiam anathema , Deus meus ; delear de libro vitæ , peream millies , dummodo tot flagitioſi ſacerdotes ſalvi fiant.*

Damna ex peccatis ſacerdotum emergentia. Mat. 5. v. 14. v. 13. Mat. 15. v. 14. Pro quibus ſe ipſam Deo offert. Exod. 32. v. 32.

22. Negavit quandoque ſe appræhendere poſſe , qualiter animarum cæcitas ,humiliori non vereatur obtutu infinitam, imenſam,incompræhenſibilē divini Majeſtatem honoris : quamcunque in Sacramentorum uſu, & ſpiritualium officiorum exercitiis acediam , continuis deplorabat lachrymis , perſequebatur Acediã in divinis rebus deteſtatur.

Dan. 4. v. 24. ſingultibus, ſpiritu in amorem liquefacto, nec ſentiente ſeipſum, nec aliquam creaturam, ſed ſolum increatum amorem, qui *ignis conſumens eſt*, ſemper urens, nunquam tepeſcens; unde quandoque dicere ſolebat: *obſtupeſco, neque intellectu capere valeo, qualiter tam paucæ animæ honorem æſtiment divinum. Quis mihi dabit pennas, ut volitem per mundum univerſum, omneſque gloriæ & honoris divini edoceam zelum?*

Amor ejus infirmitatibus creſcit, fuitque perfectiſſimus.

23. Porro morborum incrementa, divini erant amoris fomenta, ſiquidem a primo morbo, qui Anno 1584. in fine Menſis Martii Novitiam aſſiliit, uſque ad vitæ epilogum, quò majores violentia mali aſſumeret vires, eò amoris divini incendium in corde & corpore virgineo ſerpebat liberius. Quoniam autem juxta Doctorem Angelicum, eſt extaſim faciens divinus amor, conſequenter perfectiſſimus atque intenſiſſimus fuit Magdalenæ in Deum amor, cujus frequentiſſimæ fuêre extaſes, imò cujus vita continuus propemodum exſtitit raptus, quos fuſius commemorare, noſtri non eſt propoſiti.

24. *Omne, in amore malum ſi patiare, leve eſt*, ideoque Seraphica Virgo, præ nimio, quo æſtuabat divini amoris incendio, communes egreſſa juſtarum animarum limites & conditiones, puræ, crudæque paſſioni ſubiici petiit ad dies vitæ, votiſque ardentibus dilectæ tandem annuit ſponſus cœleſtis; veruntamen hac de virtute latius alibi, principaliter autem infra *cap.* 8. §. 3. de devotione erga paſſionem Chriſti.

Varii interni divini amoris actus.

25. Plurimos quoque internos elicere conſueverat divini amoris actus, quos nulli non Religioſæ animæ ſummè utiles & neceſſarios, in Lectoris gratiam ſubiiciendos duxi, ſcilicet.

1. Gaudere, ſibique de divinis complacere attributis, ſcilicet de potentia, ſapientiâ bonitate, & amore infinito, quo Deus ſeipſum, omneſque amat creaturas.

2. Omne bonum, gloriam & honorem Deo velle, quem ille de facto poſſidet, atque in æternum poſſidebit indefectibiliter.

3. De mutuis gaudere trium divinarum perſonarum communicationibus.

4. De tantâ gaudere DEI Majeſtate & infinitate, utpote quam nullæ capere poſſint creaturæ.

5. De

5. De infinito illo gaudere amore, quo Deus ſeipſum amat, atque in æternum amabit; ſibique intimè complacere, quòd omnium creaturarū & beatorum ſpirituum amor, divinâ ſit inferior bonitate, ita ut hæc dignè nunquam amari poſſit à creaturarum ullâ; item divinæ gratias agere Majeſtati, quod ſe ipſam infinito proſequatur amore.

6. De omnibus gaudere, quos Pater æternus humanitati Verbi donavit & communicavit; thaeſauris, gratiiſque infinitis, quemadmodum de gratia, quam in terris poſſedit, miracula perpetrandi, & corda ad ſe attrahendi creaturarum.

7. Gaudere, quòd Pater æternus nos creaturas in hæreditatem aſſignarit, dederitque verbo incarnato; deque ſolatio ſibi congratulari; quod ex ſimili hæreditate capit Verbum divinum, & in ſatisfactione ſibi complacere, quam in juſtorum animabus idem habet Verbum.

8. Gaudere de amore, quo Verbum incarnatum dilexit virginitatem.

9. Ipſummet Deo offerre Deum in gratiarum actionem, pro quacunque gloria, honore & beatitudine, quam ipſe poſſidet, nobiſque communicabit; item in gratiarum actionem pro omnibus donis & gratiis, quas divina bonitas ulli unquam impertiit creaturarum.

10. Sæpius hunc in modum ſuos Domino pandere affectus; ſi ego hoc in momento, omnem tibi gloriam, honorem & laudem conferre poſſem; quam tibi concors hodie omnium ſpirituum beatorum, omniumque in terris degentium juſtorum impertit chorus; facerem libentiſſimè. in qua dum parte deficio, bonum reſpice affectum, quem erga te gero, divina Majeſtas.

11. Offerre ſeipſum Deo, omnemque illam velle perfectionem, quam ſibi ipſi vult, & in qua ſibi ipſi complacet Deus.

12. Suam inclinare voluntatem, ut creaturas ſolùm amet ex motivo, quia Deus illas amat; deque hujuſmodi gaudere amore, nec non de omni perfectione, quam Deus iis communicabat, & dato caſu, quod Deus vellet, ut aliqua nos læderet creatura; huic nihilominus creaturæ omnem deſiderare perfectionem & gloriam Seraphinorum, etiamſi hanc in noſtram converſura eſſet offenſam, certi, nunquam quid velle, à divina alienum voluntate.

Caput XIII.

De amore & charitate erga proximum.

1. QUandoquidem ratio diligendi proximum Deus eſt, facile quilibet concluſerit ex dictis, intenſiſſimum pariter fuiſſe S. Mariæ Magdalenæ amorem in proximum; nihilominus, ut lectorem cujus pectus, ignitis amoris divini ſagittis in capitulo præcedenti vibratis, jam vulneratum ſpero, penitius & ſenſibilius conficiam (*qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt; DEUM, quem non videt, quomodo poteſt diligere?*) aliqua pariter de eo, quo Seraphica Virgo proximum proſecuta eſt amore, ſubiicienda decrevi in capite præſenti.

1. Ioa. 4. v. 20.

Hic amor ſtatim ab adoleſcentia in ea reſplenduit.

2. Vix adoleſcentula, qualiacunque Catholicæ fidei imbiberat rudimenta, quando eructatura, quod vix hauſerat verbum ſalutis, domi, foriſque pueriles amabat, coadunabat, frequentabatque cætus, ut eos orationem dominicam, ſalutationem Angelicam, & Symbolum edoceret Apoſtolicum; atque ita his, ſimilibuſque ludis demeſticos extra parietes quotidie indulgebat Magdalena, ab omnibus aliis quàm alieniſſima puerilibus crepundiis. Charitatem Matrem, charitatem videbatur habere nutricem, meritò gloriabunda: *ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero Matris meæ egreſſa eſt mecum. Nunquam deſpexit pereuntem, & abſque operimento pauperem*; ſi quando autem egeno ſuccurrere nequierat, compatiebatur tenerrimè.

Iob. 31. v. 18. & 19.

3. Ruri quandoque degens, pauperculas ruſticorum proles ſpiritualibus, & temporalibus identidem ſublevare conabatur miſericordiæ operibus, tenerè ingemiſcens quandoque tantillæ temporis moræ. *vid. lib. 1. cap. 1. §. 6.*

Lites componit.

4. Lites, diſſenſiones, rixas, capitali perſequebatur odio; quaſque verbo aut exemplo nequierat, lachrymis ſopire ſatagebat; ſemel duriora inaudierat duos inter proximos miſceri colloquia, moxque tanto contabuit dolore, ut nocte inſequenti omnis ab oculis ejus ſomnus, & à corpore ſeceſſerit quies, quaſi identidem inculcans, ſupplicanſque ſingulis; ſorores dilectiſſimæ,

——————— *non ſit ſententia diſcors;*
Quod ſapitis, conjungat amor; quod vivitis, uno
Conſpiret ſtudio; nil diſſociabile firmum eſt.

Vix

5. Vix balbutire didicerat, quando & ſe incuſare, & omnium excuſare noverat defectus; quas deinceps fideliſſimæ advocatæ partes obire ante non deſtitit Magdalenæ charitas, quàm commune morti tributum, naturæ ſolviſſet neceſſitas. Sæcularis in Cœnobio degens S. Joannis, unicè infirmarum monialium oblectabatur conſortio, quas ſermonum pietate, manſuetudine, dulcedine, & librorum ſpiritualium lectione, ad patientiam provocabat, conſolabatur, confortabat, & ingenti quandoque majorum pro Chriſto cruciatuum tolerandorum deſiderio inflammabat, ſingulas ſemper ſervitiis prævenire docta & obſequiis, præſertim autem tempore & horâ, recreationibus religioſis per ordinem indulta: ingenuè profeſſa, delicias & conſolationes ſuas, hac unquam in vita expetendas, in hujuſmodi fundari officiis. Infirmas conſolatur.

6. Summo amore, & reverentia eos proſequebatur Sanctos, qui præ reliquis animarum vacaverant converſioni, eas omnibus anteponebat religiones, penès quas ſingulare viget converſionis infidelium inſtitutum; quoties in refectorij aut alia quacunque lectione, tam privata, quàm publicâ, mentio occurreret animarum, ad fidem catholicam, converſarum, exultabat præ jubilo, ipſummet vultum replentibus lætitiæ ſignis, quæ linguam pariter in hac plurimaque alia acuebant verba; *Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo in Æthiopiam, & requieſcam in Æthiopum converſione? elongabo fugiens & manebo in ſolitudine Indiæ & Barbariæ, eam fidei Catholicæ illuſtratura fulgoribus, ut Ieſus animas, & animæ poſſideant Ieſum; quodq́; nequirem præſtare Apoſtola, ſupplerem ut bajula, ſuffragarer ut mater; docerem, portarem, gignerem, quantumcunq́; informes fœtus, ut eos ſuis Eccleſia paſceret uberibus, & lacte foveret Sacramentorum. O mundi Servator*, dicebat alias, *tot mihi ſororibusq́; meis animas concede infidelium, quot hodie greſſus obibimus, quot verba in divino officio pronunciabimus, quot acu ictus iterabimus, quot corporis animiq́; motus frequentabimus*; tantusque hic dietim efferbuit charitatis æſtus, ut etiam dormientem in ſimiles prorumpere faceret ſanctiſſimorum deſideriorum exceſſus. Animarum infideliũ cõverſione mirè oblectatur. Pſ. 54. v. 7.

7. Quotidie pro felici converſionis infidelium ſucceſſu, aut ſanguinem & paſſionem Chriſti, aut religionis functiones, pœnitentias, & orationes, aut ſanctiſſimum Deo offerebat Altaris Sacra-

Digitized by Google

Pro qua indies Deum rogat. mentum & communionem; idemque charitatis tributum exigebat, imò extorquebat à ſingulis, unde ſemel quandam ſororum interrogans, utrùm eo die pro Sanct. Eccleſia & Pontifice Deum oraſſet, hâc negativè reſpondente, ſubjunxit S. Virgo: *O inſignem ſponſam, quæ Deo Eccleſiam negligit commendare quotidie.*

8. Quoties ad menſam, literas & relationes ex India, & Japponia de animarum converſione, Patrumque Societatis Jeſu Martyrio tractantes, tranſmiſſas legi audiret, præ nimio quaſi contabeſcebat, & liquefiebat amoris incendio, unicè ambiens in tam optata ſocietate eſſe, ut oris illis Chriſtum inferret, ſanguinemque ſuum. Novitia exiſtens, vitam aliquando legerat S. Franciſci Xaverii, omnesque conſiderans, quos Sanctus hic ad Chriſti fidem converterat & baptizarat infideles, ſuas pariter Magdalena animosè invitavit conſodales, ut & ipſæ alicujus animæ infidelis converſionem ſuis à Deo precibus impetrarent.

Animarum cõverſionis deſiderio tentationẽ infidelitatis ſuperat. 9. Graviſſimam infidelitatis tentationem, quam nullis ſuperare poterat ſuſpiriis, nullis ſternere divini amoris jaculis, ſolâ proſtravit dilectionis in proximum efficaciâ, ſublimiſſimam conſiderando converſionis infidelium excellentiam, aliquando exclamare audita: *Zelus Domus tuæ comedit me; cuſtodi me Domine, quoniam in deſiderio animarum ad nihilum redacta eſt anima mea.* Imò perhibuêre oculatiores, & S. Virgini familiariores, omnem inter vigilandum (multoties & dormiendum) vitæ ejus horam, hujuſmodi extitiſſe deſideriorum, ſuſpiriorumque ſanctiſſimorum teſtem, ſæpè ſæpius cum S. Catharina Senenſi ingemuiſſe audita eſt, quòd Jeſus vehementer doleret, quòd ſe nullus divinæ opponeret iræ, proque peccatoribus Deum exoraret. *Ioa. 2 v. 17. Ioh. 30. v. 15.*

Peccatorum deplorat ſcelera. 10. Humani generis jugiter deflebat flagitia, maximè verò in bacchanalibus, quo tempore extraordinariis atque inſolitis, tam propriis, quàm alienis ſororum, efficaci ejus exemplo permotarum, rigoribus & pœnitentiis divinum placare furorem, & continuis lachrymarum imbribus, turpiſſimas meretricum obſcœnitates eluere ſatagebat; vitæque auſteritatibus, orationibuſque ſuis, converſionem omnium ſuppletura in ſpiritu, quam operari nequibat in corpore, dicens frequenter: *Id unicè meditor, ut ſuas Creatori appropriem creaturas.*

11. Ad

11. Ad ſuas quandoque converſa, dicebat: *Laboremus ſorores, ne à ſæcularibus ſuperemur in charitatis officiis erga proximum, ſtrictiſſimam coram DEO patiemur cenſuram operum non modo malorum, quæ perpetravimus; ſed & bonorum, quorũ faciendorũ nobis fuit facultas. In mundum vocavit nos DEUS, non tantùm ut nobis, ſed etiam ut proximis per preces & pœnitentias bonæ ſimus; hæc eſt noſtra pars vocationis. Verendum maximopere, ne torpori noſtro multorum imputanda ſit peccatorum impœnitentia; nos, nos o ſorores tot damnatorum incurrimus reatum, nos de tot in barathro infernali ardentibus animabus rationem reddamus oportet; ſi namque ferventes pro iis preces & ſanguinem IESU obtuliſſemus Patri miſericordiarum, noſtris indubiè placatus orationibus, miſeros æternis præſervaſſet à pœnis. Sanguinem itaque & paſſionem Chriſti ſine intermiſſione Deo offeramus pro peccatoribus, promptiſſimæ quaſcunque inſuper pro eorum converſione ſubire tribulationes, anguſtias, ſupplicia; converſionem peccatorum petamus à Domino cum fiducia, nihil hæſitantes in cordibus noſtris, & ipſe nobis eam indulgebit. Quis nobis vel unius animæ in divina gratia conſtitutæ, decorem & venuſtatem demonſtrabit, ut ejus pulchritudine illectæ, ſolas à Deo animas poſtulemus? Quis oculis noſtris deformitatem exhibebit animæ peccatricis, ut peccatum dæmone peius evitemus, peccatorumque converſionem inſtantiſſimè à Deo precibus efflagitemus?* Idem ut aliæ ſorores facerent, laborat.

13. Duos aliquando in raptu vidit, qui vivere deſiderant in terris, alterum beatum, damnatum alterum; atque in hujus calamitatis contemplatione moroſius defixa, expalleſcens, livida, totoq; vultu & animo contremiſcens, ſic affata eſt animam infeliciſſimam. *Age nunc miſerrima, à tuo æternum meledicta Creatore, ſorte privata ſpirituum cæleſtium, & ſempiternis addicta inferni ardoribus. Heu, heu! quàm ſubitò in ſupplicia tranſiêre deliciæ, oblectamenta in tormenta! Igitur pro momentanea voluptate, æternum cruciaberis miſerrima, & infeliciſſima creaturarum.* Animã damnatam alloquitur.

13. Quoſcunque corporis rigores converſioni animarum improportionatos, longeque inferiores reputans, omnes purgatorii, imò & inferni (modò abſque DEI offensâ & blaſphemiis inibi agere liceret) pro animarum ſalute expetiit obire pœnas, ſicuti & omnem cujuſcunque corporalis & ſpiritualis in hac vita conſolationis carentiam, citra tamen gratiæ, Deique amicitiæ jacturam; quaſque hunc in finem, corporis aut ſpiritus exantlabat tribulationes, honoris & gloriæ paſſiones nuncupabat; Ita ut tunc vel maximè excruciaretur, Pro animarũ ſalute pati deſiderat.

Digitized by Google

retur, quando abſque cruciatibus feriari putabatur, tormentum rata, vivam non torreri æternaliter, pro animarum ſalute & converſione. Unde quandoque extaticam audiêre ſorores, dicentem: *Omnes vitæ meæ horas & momenta, Martyrio, imò mille mortibus, ſi poſſibile foret, voluntariè conſecrarem pro ſalute proximi; O me fortunatam, ſi hujuſmodi mihi obtingeret favoris raritas! quamcunque mortis eo fine perpeſſa Tyrannidem, omnibus ducerem amabiliorem paradiſi delicijs, quis mihi dabit, ut mille oppetam mortes pro animarum ſalute, totieſque reviviſcam, mille iterum, & mille novas ſubitura neces, tu Domine tuum in cruce pro peccatoribus ſanguinem prodegiſti, idem & ego millenis expeto votis, quis me inferni obruet ſupplicijs, ut Patris æterni compeſcam furorem pro genere humano?* Paucis concluſerim, petiit *deleri de libro vitæ*, ut diximus in capite præcedenti §. 21. & ſola *anathema fieri pro omnibus*, modò omnes alii ſalvi fierent.

Exod. 32. v. 32, Rom 9. v. 2.

14. Dicebat aliàs; ſi à Deo ſibi, quemadmodum olim D. Thomæ Aquinati, fieret facultas, aliquam pro laboribus poſtulandi mercedem, ſolam à ſe expetitum iri animarum ſalutem; *non aliam Domine, niſi animas.* In uberrimas quandoque profuſa lachrymas, gemituum cauſam edicere juſſa, reſpondit: *Plango, quia mihi otioſa videor, neque ullatenus ſervitio* Dei, *animarumque ſaluti promovendæ idonea.* Subinde in raptibus converſionem agnovit efficacem plurium perſonarum, pro quibus ſuas Deo obtulit preces, & vitæ conſecrarat rigores. Semel pro duobus peccatoribus à Confeſſario Deum rogare juſſa, tandem poſt plurium orationum & pœnitentiarum tranſactos menſes, peſſimos è cœno ſcelerum ad vitam, atque incolumitatem traduxit gratiæ. Aliàs in extaſi dicentem, audiêre ſorores: D*omine, niſi tu mihi eas conceſſeris animas, quas à te peto, neque ego eam poſſidere dignabor, quàm mihi præparaſti gloriam & felicitatem.*

Summum ſalutis animarum deſiderium.

15. Individua ejuſdem charitatis comes, lætitia erat immenſa, quâ Magdalenæ anima replebatur, quoties corporale aut ſpirituale proximi bonum videret augmentari, magis de optatiſſimis proximi, quàm de ſuis propriis exultans ſucceſſibus, ita tamen ut per omnia & in omnibus unicam ſolius Dei gloriam, divinæque voluntatis beneplacitum ſpectaret principaliter, quandoque dicere ſolita: *Si* Deo *placere noſſem, ut à creatura divexarer, Seraphicis ornata chariſmatibus, hæc illi exoptarem; ſique careret, impetrarem, quantum-*

Gaudet de bonis proximi, illi propria ſua appreciatur.

Digitized by Google

vis in meam illa injuriam applicatura eſſet, ut Deo placerem, eique gloriam darem. Omnem proximis, exilem ſibi ipſi gratiam expetendam inculcabat; totoque lacus Leonum tempore, quæ omnem amiſerat guſtum ſpiritualem, ſolâ ſe frequenter conſolabatur, interque graviſſimos tentationum inſultus confortabat charitatis in proximum virtute. Nihil in ſe boni, gratiæ, virtutiſvè continuit, quod non abundatiſſimè optaret proximis, ipſiſque, quantum potuit, communicarit, eo proximum deperiit affectu, ut omni ſtatuerit mane, extremis potius cruciari pœnis, quàm vel minimum etiam momentaneum, in proximo impedire ſervitium, cultumque divinum. Plura equidem de charitatis & miſericordiæ in proximum ſpiritualis eminentia, quâ nullum non demulcere noctu diuque laborabat Magdalena, dicenda ſuperſunt, ſed compendium texenti, hæc inſinuaſſe ſuffecerit.

16. In raptu aliquando conſtituta, illum Evangelii textum *Ioa. 6. v. 44.*
(*nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum &c.*) *In raptibus diverſa petit pro proximis ſuis.*
variis illuſtravit contemplationibus; aliâ pariter vice, inter extaſes multis Spiritũ ſanctũ, Patremque æternũ exoravit precibus, ut miſericordiam impetraret peccatoribus; alia inter, illam ſæpè ſæpiùs replicans formulã: *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui:* Aliàs pariter in raptibus, divinæ Majeſtati ſanguinẽ obtulit Salvatoris, pro ſingulis hominum ſtatibus; quando multas etiam animas, *Pſ. 83. v. 10.*
cælitus illuminatas gaviſa eſt, efficaciter converti ad Dominum; preceſque ejus principaliores eo temporis audiebantur ſequentes, in idiomate latino: *Offeram tibi Deus omnem creaturam in unione ſanguinis tui; offero ſponſo meo electas ſuas, deſiderium animarum tuarum comedit me; offeram Verbo meo animas omnium credentium, quæ requieſcunt in tabernaculo ſponſæ ejus Eccleſiæ. Conſerva me Domine, quoniam in deſiderio animarum conſumpta eſt anima mea, collocavit me Verbum in deſiderio, quod ipſum habuit in humanitate ſua; cuſtodivi deſiderium, quod dedit mihi Verbum ut, ſi non invenerit in me vires, inveniat tamen deſiderium. Super flumina Babylonis illic ſedimus, &* *Pſ. 136. v. 1.*
flevimus, dum recordaremur tui Sion; conſiderabam ad dexteram *Pſ. 141. v. 5.*
& videbam, & non erat, qui impleret deſiderium ſalutis omnium credentium Verbi mei O bone IESV, O bone IESV, O bone IESV, ſurſum corda habemus ad deſiderium ſalutis animarum omnium credentium. Adhæſit

Digitized by Google

retur, quando abſque cruciatibus feriari putabatur, tormentum rata, vivam non torreri æternaliter, pro animarum ſalute & converſione. Unde quandoque extaticam audiêre ſorores, dicentem: *Omnes vitæ meæ horas & momenta, Martyrio, imò mille mortibus, ſi poſſibile foret, voluntariè conſecrarem pro ſalute proximi; O me fortunatam, ſi hujuſmodi mihi obtingeret favoris raritas! quamcunque mortis eo fine perpeſſæ Tyrannidem, omnibus ducerem amabiliorem paradiſi delicijs, quis mihi dabit, ut mille oppetam mortes pro animarum ſalute, totieſque reviviſcam, mille iterum, & mille novas ſubitura neces, tu Domine tuum in cruce pro peccatoribus ſanguinem prodegiſti, idem & ego millenis expeto votis, quis me inferni obruet ſupplicijs, ut Patris æterni compeſcam furorem pro genere humano?* Paucis concluſerim, petiit *deleri de libro vitæ*, ut diximus in capite præcedenti §. 21. & ſola *anathema fieri pro omnibus*, modò omnes alii ſalvi fierent.

Exod. 32. v. 32. Rom 9. v. 2.

14. Dicebat aliàs; ſi à Deo ſibi, quemadmodum olim D. Thomæ Aquinati, fieret facultas, aliquam pro laboribus poſtulandi mercedem, ſolam à ſe expetitum iri animarum ſalutem; *non aliam Domine, niſi animas.* In ubertimas quandoque profuſa lachrymas, gemituum cauſam edicere juſſa, reſpondit: *Plango, quia mihi otioſa videor, neque ullatenus ſervitio* Dei, *animarumque ſaluti promovendæ idonea.* Subinde in raptibus converſionem agnovit efficacem plurium perſonarum, pro quibus ſuas Deo obtulit preces, & vitæ conſecrarat rigores. Semel pro duobus peccatoribus à Confeſſario Deum rogare juſſa, tandem poſt plurium orationum & pœnitentiarum tranſactos menſes, peſſimos è cœno ſcelerum ad vitam, atque incolumitatem traduxit gratiæ. Aliàs in extaſi dicentem, audiêre ſorores: *Domine, niſi tu mihi eas conceſſeris animas, quas à te peto, neque ego eam poſſidere dignabor, quàm mihi præparaſti gloriam & felicitatem.*

Summum ſalutis animarum deſiderium.

15. Individua ejuſdem charitatis comes, lætitia erat immenſa, quâ Magdalenæ anima replebatur, quoties corporale aut ſpirituale proximi bonum videret augmentari, magis de optatiſſimis proximi, quàm de ſuis propriis exultans ſucceſſibus, ita tamen ut per omnia & in omnibus unicam ſolius Dei gloriam, divinæque voluntatis beneplacitum ſpectaret principaliter, quandoque dicere ſolita: *Si Deo placere noſſem, ut à creatura divexarer, Seraphicis ornata chariſmatibus, hæc illi exoptarem; ſique careret, impetrarem, quantum-*

Gaudet de bonis proximi, illi propria ſua appreciatur.

Digitized by Google

vis in meam illa injuriam applicatura eſſet, ut Deo placerem, eique gloriam darem. Omnem proximis, exilem ſibiipſi gratiam expetendam inculcabat; totoque lacus Leonum tempore, quæ omnem amiſerat guſtum ſpiritualem, ſolâ ſe frequenter conſolabatur, interque graviſſimos tentationum inſultus confortabat charitatis in proximum virtute. Nihil in ſe boni, gratiæ, virtutiſvè continuit, quod non abundatiſſimè optaret proximis, ipſiſque, quantum potuit, communicarit, eo proximum deperiit affectu, ut omni ſtatuerit mane, extremis potius cruciari pœnis, quàm vel minimum etiam momentaneum, in proximo impedire ſervitium, cultumque divinum. Plura equidem de charitatis & miſericordiæ in proximum ſpiritualis eminentia, quâ nullum non demulcere noctu diuque laborabat Magdalena, dicenda ſuperſunt, ſed compendium texenti, hæc inſinuaſſe ſuffecerit.

16. In raptu aliquando conſtituta, illum Evangelii textum Ioa.6. v. 44.
(*nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum &c.*) In raptibus
variis illuſtravit contemplationibus; aliâ pariter vice, inter extaſes diverſa
multis Spiritũ ſanctũ, Patremque æternũ exoravit precibus, ut miſe- petit
ricordiam impetraret peccatoribus; alia inter, illam ſæpè ſæpiùs pro
replicans formulã: *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti* proximis
tui: Aliàs pariter in raptibus, divinæ Majeſtati ſanguinẽ obtulit Salva- ſuis.
toris, pro ſingulis hominum ſtatibus; quando multas etiam animas, Pſ. 83.
cælitus illuminatas gaviſa eſt, efficaciter converti ad Dominum; v. 10.
preceſque ejus principaliores eo temporis audiebantur ſequentes, in idiomate latino: *Offeram tibi Deus omnem creaturam in unione ſanguinis tui; offero ſponſo meo electas ſuas, deſiderium animarum tuarum comedit me; offeram Verbo meo animas omnium credentium, quæ requieſcunt in tabernaculo ſponſæ ejus Eccleſiæ. Conſerva me Domine, quoniam in deſiderio animarum conſumpta eſt anima mea, collocavit me Verbum in deſiderio, quod ipſum habuit in humanitate ſua; cuſtodivi de-*
ſiderium, quod dedit mihi Verbum ut, ſi non invenerit in me vires, Pſ. 136.
inveniat tamen deſiderium. Super flumina Babylonis illic ſedimus, & v. 1.
flevimus, dum recordaremur tui Sion; conſiderabam ad dexteram Pſ. 141. v. 5.
& videbam, & non erat, qui impleret deſiderium ſalutis omnium credentium Verbi mei O bone IESV, O bone IESV, O bone IESV, ſurſum corda habemus ad deſiderium ſalutis animarum omnium credentium. Adhæſit

Pſ.118. v.25. Pſ.13. v.1. Pſ.67. v.2. Pſ.57. v.11.

pavimento anima mea, viviſica mè ſecundùm Verbum tuum: reſpice de Cœlò, & vide omnes errantes in via ſua, non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum; exſurgat DEVS, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum, à facie ejus, congratulamini mihi omnes, qui diligitis Deum, lætabitur juſtus cum viderit juſtitiam, lætabitur ſponſa cum viderit aſperſionem ſanguinis Verbi ſui.

Jeſu nomen petit inſcribi pectoribus fidelium

17. Aliàs quoque, in nocte ſcilicet ſanctiſſimi nominis Jesu, dum in matutinis canticum recitaretur, *Te Deum Laudamus*; in ſpiritum elevata extaticum, variiſque dulcisſimi dicti nominis immerſa contemplationibus, ſponſum inſtantisſimè interpellavit, ut dilectarum ſuarum cordibus amabilisſimum ſuum imprimeret nomen. Atque hæc de ſpiritualibus miſericordiæ operibus, quæ frequentare conſueverat Magdalena, nunc pariter quàm brevisſimè corporalia indigitabo præter ea, quæ lib. 1. recenſui.

In opere manuali omnes adiuvat.

18. Apud omnes Magdalena mater audiebat amoris, Monaſteriique amor; nulli non, quantum ſemper obedientia indulgebat, cœnobiali tam laicarum quàm Novitiarum labori manum applicabat prima, ut onera ſublevaret aliarum, & deſerebat ultima Magdalena; in culina, in horto, in infirmatorio, aliiſque piſtrinis, eo humilitatis & charitatis deſudabat feruore, ut nō rarò quinas, quandoque & ſenas noctis horas alleviandis conſecrarit ſororum laboribus. Aliis ſororibus modò ſuadebat, modò imperabat, tantillæ inter laborandum quietis intervalla; aſt ipſamet improbo ſemper, interruptoque conatu proſequebatur opus, ne potius delicati corpuſculi commodo, quàm neceſſitati ſuffragari videretur; rogata quandoque, ut & ipſa quietem caperet cum reliquis, reſpondere ſolebat: *Caro mihi aſinina eſt, omnem patiens, nullum ſentiens, aut experiens laborem, hoc corpus meum aſinus eſt, diurnis & nocturnis onerandus ponderibus, nulla fovendus quiete.* Si quæ ſoror reverentiæ aut charitatis intuitu, Magdalenæ recuſaſſet ſubſidium, nimiis obſtreperam S. Virgo vincebat, inclinabatque precibus & obſecrationibus, conſenſum, vel ab invitiſſima his ſimilibusque extorquens verbis: *Ne me privaveris ſoror, Religioſæ hujus merito functionis; meam modò admitte opem, aliàs quoque auxiliatura mihi, excellentiſſima eſt mutua functionum communicatio & Societas, utpotè ſingularis in proximum charitatis index*: tot igitur tantiſque inſudabat Laboribus tener-

rima,

Digitized by Google

rima, pallore, macie, morbiſque confecta Magdalena, ut virtute eam ſupernaturali confortari non dubitarint ſorores.

19. Omnem illum diem ut perditum deplorabat, quem ſine charitatis in proximum officiis tranſegiſſet; neque unquam viſa eſt defeſſa, aut laboribus ceſſiſſe ex laſſitudine, quæ officiis charitatis, ipſas inter extaſes, ſine ulla harum interruptione, inhiabat & vacabat frequentisſimè. Porro quàm continuis obſequiis infirmas prævenerit, erexerit, confortarit, non eſt mei ulterius propoſiti; abundè dixerim, aſſerendo, nullum infirmum proprias ſuas adeo ſollicitè aucupari potuiſſe aut poſſe commoditates, quemadmodum alienis noctu diuque invigilavit, inſudavitque Magdalena, quandoque inquiens: ***nullam amore proximi ſubterfugio moleſtiam; indignæ ſumus O ſorores, quæ animabus Deo conſecratis famulemur, utpote Vicariȳs S. Spiritus; omnibus poſſibilibus miniſterȳs ægras ſublevare geſtio, quia ſancto pro Chriſti fide, Martyrio me indignam, fideique propagationis incapacem experior; juſtum eſt itaque, ut meam corporibus ſaltem impendam operam.*** Summa charitate infirmas proſecuta eſt

20. Omnes creaturas rationales animarum antonomaſticè, Deique imaginum titulo inſigniebat; & ne liberalior de proximo, quantumvis bonus ſermo inſtitueretur, vetabat cautiſſime, inquiens: *Proximus noſter vitro aſſimilatur; hoc enim manibus attrectatum, facillimo rumpitur negotio; ille pariter ore verſatus, læditur confeſtim.* Tria potiſſimum in Monaſterio perſonarum genera, ſuo præveniebat zelo & charitate; Novitias, Converſas, omneſque infirmas; Juniores mirâ demulcebat clementiâ; converſas incredibili ineſcabat ſimplicitate; infirmas quaſcunque omnibus ſublevabat ſervitiis; quæſque animas diſcedentes igne purgatorii attineri didicerat extatica; ſuis aut precibus, aut tribulationibus liberabat è tormentis, ſponſo ſupplicans, quod & ſæpius impetravit, ut debitæ iis animabus purgatorii pœnæ in ſuum immiſericorditer converterentur corpus. Seniores profundâ ſublimabat reverentiâ, oculis ſuſpiciebat demiſſis, quaſi ipſa ſemper vixiſſet Novitia: Sacerdotes & Prælatos, quos ſemper tanquam Chriſti vicarios, verbo, factoque venerata fuit humillimè, *unctos Dei* nuncupabat, neque unquam in vita ſuâ Patrem ſpiritualem niſi genibus flexis allocuta fuit, donec ab eodem ſurgere, inque pedes ſe erigere juberetur. Cautè de proximo loquendum eſt Pietas erga purgatorii animas.

Digitized by Google

Caput XIV.

De unione animæ ejus cum Deo.

1. Amor, juxta D. Auguſtinum, eſt quaſi junctura quædam, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet ei, qui amatur; Amor inquietus, quo æternum Magdalena deperiit ſponſum ab infantia, ita virgineum animum, omneſque animi potentias amori copularat amato, ut dubitari poſſet, uter frequentius earum poſſederit dominium. Intimam equidem ſanctiſſimæ hujus animæ cum Deo unionem affatu dixerit difficilem, qui & externam converſationem, & frequentiſſimos ejus ignorat raptus; tam evidentia namque & irrefragabilia ejusdem multiplicabat indicia, ut & oculis cerni, & manibus videretur palpari.

Semper de Deo cogitare inventa eſt.

2. Sancta quandoque Virgo à Superioribus improvisè interrogata, quas animo volveret cogitationes, indilato reſponſo, certiſſima ſemper docuit ſanctæ cum Deo unionis argumenta; ſiquidem modò opera ſua ad majorem Dei gloriam offerebat: modò eadem Patri æterno in unione offerebat omnium actionum Verbi incarnati, modò de divinis attributis, modò de communicatione Dei ad intra, modò ad extra gaudebat, ſibique complacebat tenerrimè, modò paſſioni ſacræ, modò ſanctiſſimis aliis fidei noſtræ Myſteriis immerſa, cœleſtes inter contemplationes deliciabatur jugiter.

Extaſũ frequentia, eius cum Deo jugem unionẽ evincit.

3. Eandem teſtificantur unionẽ innumeræ Virginis extaſes, extaſiumque modi, cauſæ occaſiones; ita ut in Religioſæ vitæ decurſu vix fuerit ſororum aliqua, quæ Magdalenam in orationibus, ſacris communionibus, aliiſque ſpiritualibus functionibus ſtuperet extaticam, quam etiam in laborioſiſſimis manuum exercitiis, in quotidianis, quos audiebat, proferebatur, ſermonibus; in choro, in refectorio, in culina, in cella, in officinis publicis; denique ſine ulla temporum, locorum, operumque differentia videbant à ſenſibus alienari. Ita ut vita ejus, mera quodammodo extaſis foret; imò conſtans mereatur extaſis appellari, ſiquidem aliquando à Sponſo cautionem accepit, eam, quâ actuales inter extaſes fruebatur, nunquam interrumpendam fore Spiritus cum Deo unionem, niſi quoad exteriorem ſpeciem; unde ita peragebat ſingula, ut evidenter doceret animam ſuã potius eſſe, ubi amabat, quàm ubi animabat. Unde & ſororibus quandoq; dicebat: *Eodem in pretio verba habeatis oportet, quæ intra & extra*

Digitized by Google

extra raptus profero; quoniam idem utrobique lumen, eandem utrobique poſſideo indeficienter unionem.

4. Nulla externarum curarum, ſollicitudinum, aut moleſtiarum moles, hanc poterat diſſipare unionem, cujus teſtimonium vice quâdem, cuidam ſuarum Novitiarum perhibuit in hæc verba: *Idem ſine diſcrepantiâ reputo præceptum, quo jubeor chorũ, aut quemcunq; alium adire laborem; imò aſtruenti, Deum in labore frequentius, quàm in oratione reperiri; fidem incunctanter adhiberem.* In ipſo pariter ſomno, divinæ Symbola unionis, ſalutisque verba copioſè iterabat, quibus illectæ ſorores, intempeſta frequenter nocte, ad S. Virginem accurrerunt, inebriandæ ab uberibus dormientis Matris. Interrogata, qualiter contiuna nobis cum Deo unio poſſibilis eſſet in carne mortali, reſpondit: eam equidem, quam in patria indefectibiliter poſſident Beati, neutiquam competere nobis in hac lachrymarum valle; poſſibilem nihilominus, & facilem eſſe aliam, ea inferiorem, quam omnes, & ſoli illi poſſident in via, qui ſolius divini honoris & gloriæ intuitu omnes ſuas obeunt, tam animam quàm corpus concernentes, functiones.

Quæ externis occupationibus non interrumpitur.

5. Tempore corporalis refectionis, divinis innatans deliciis, ad omnem Religioſæ lectionis pauſam (quæ in Monaſterio illo triplex fieri ſolebat, quo intervallo; aliquæ ſorores, aut publicos mortificationis actus, aut alia devotionis exercitia frequentare ſolebant in refectorio) diverſa multiplicabat ſanctiſſimarum cogitationum indicia Magdalena; ad primam pauſam, complicatas ſurſum attollebat manus; ad ſecundam, diviſas ſuper menſam reclinabat; ad tertiam, in crucis formam pectori admovebat; myſteriiq; cauſam edicere juſſa reſpondit: ſe in primo actu, Deum adorari in reverentiam honoris, quem ſanctiſſima ejus humanitas, priuſquam cibum ſumeret operis, id eſt, antequam cibum operaretur ſalutis animarum, exhibuit divinitati: Nec non in reverentiam latriæ, ſeu adorationis, quam Beatiſſima Virgo Maria in Unigeniti ſui, in præſepio collocati, partu exhibuit, ideoq; ſuas complicabat manus. In ſecunda pauſa delicias recolebat Chriſti, quas experiebatur Salvator, dum Verbum ſalutis annuncians, redemptionem noſtram, ſuæ aſſereret animæ cibum; hunceque ipſum Magdalena, ſuum auctumans cibum, manus imponebat Menſæ. In tertia pauſa, JEſum in arbore crucis, poſtquam noſtræ conſummaſſet redemptionis opus, venerabatur tanquam ſaturum, ulterioris nauſeabun-

Tempore refectionis tria manifeſta perpetuæ hujus unionis edit indicia.

Digitized by Google

nauſeabundum refectionis, utpotè quem noſtræ ſatiarat ſalutis conſummatio: etiamſi enim mille alios creaſſet mundos, unius nihilominus ſalutis noſtræ pabulo ſuum ita explevit appetitum, ut ſiliquas reputet, quidquid extra humanam redemptionem eſt; Ideoque S. Virgo manuum ſitu, crucis exprimebat figuram; veruntamen ne lectorem tædio affecerim, his ſimilibusque fuſius enucleandis ex industriâ ſuperſedebo, quoniam qui *mel multum comedit, non eſt ei bonum, ſed potius ſatiatus evomet illud.*

Prov. 25. v. 27.

6. In triplici diverſa extaſi varios de intima animarum cum Deo unione miſcuit diſcurſus cum Sponſo cœleſti, aliquando de mediis efficacibus ad hujuſmodi obtinendam unionem; aliâs de ſingulari ſatisfactione & ſolatio, quod in dicto ſpirituali nexu percipit Deus; diverſis hunc in finem adductis ſimilitudinibus, quæ omnia Lector fuſius reperit apud eos, qui vitam Seraphicæ Virginis ex induſtriâ proſequuntur ex integro.

In extaſi de hac unione diſcurrit.

C A P. XV.

Quantam poſſederit ſua unionem voluntatis cum divina.

1. Aliqua equidem hac de virtute inſinuavimus ſupra lib. præſenti, cap. 2. ubi de obedientia egimus; quæ ex induſtria itaque reſervavimus uſque ad præſens, paucis expedienda judicavi, hocque loco, quàm convenientiſſimè poſtquam de amore egimus, ſubnectenda; ſiquidem verus amans voluntati objecti correſpondet amati.

Iob. 1. v. 21.

2. Nullum unquam ſubiit corporis, animique diſcrimen, niſi tanquam à manu Altiſſimi derivatum, certa profiteri in omnibus. *Sit nomen Domini benedictum, ſicut Domino placuit, ita factum eſt.* Primam omnium à Spiritu Sancto in pueritia ſua audivit, imbibitque lectionem de ſuæ unione voluntatis cum divina, quæ hanc omnium gratiarum primam, inſtantiſſimè à Domino petiit & impetravit, ut nullum vitæ momentum tranſigeret, niſi divinæ, quoad omnia & in omnibus, conformiſſimum voluntati, unde & frequenter ingeminabat; *tu ſcis Domine, quia tuã à pueritia jugiter concupivi voluntatem.* Aliâs dicere ſolebat: *Domine, ſi biantes coram me viderem inferni fauces, ſciremque tuæ eſſe beneplacitum voluntati, ut in eo arderem*

à primis annis ſe Divinæ ſtuduit cõformare voluntati.

derem æternaliter, ultro citroque me in ipſum præcipitarem, ut tuam implerem voluntatem; hocque conſtantiſſimum animi decretum renovabat quotidie.

3. Nullam pro ſe, aut creaturarum ullâ à Deo corporalem aut ſpiritualem petiit gratiam, niſi ſub hac ſimilive conditione: *Si placitum eſt ante te, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu; non mea voluntas: ſed tua fiat O Domine.* Imò piaculum rata, ullam à Deo gratiam, contra ejus beneplacitum, importunis extorquere precibus, dicere conſueverat: *Exulto & jubilo, dum divinam ego, & non meam Deus adimplet voluntatem, imò magis ego Deo obligor, dum meas irritas ſpernit, quàm cum exaudierit preces.* Alia inter hujus ſanctæ conformitatis documenta hocipſum frequentiſſimè aliis inculcabat, ipſaque nullo non die obibat: *Seipſum Deo offerre; eamque, quâ ipſe nos uvlt pollere, poſtulare perfectionem.*

Mat. 26. v. 39. Luc. 21. v. 42. Nihil unquã petiit niſi ſub conditione, ſi divinæ foret voluntati cõforme.

4. Quoties graviſſimos vix devoranti morborum cruciatus, ſorores accinerent, hanc eſſe voluntatem Dei; mox pulſis triſtitiæ nubeculis, atque evaneſcente tormentorum horrore, toto Magdalena ſerenabatur vultu, quaſi à graviſſimo lethargo reſpiraſſet incolumis. In extaſi terrificos quinquennalis agonis conflictus ſibi perhibenti Jesu, hoc unicum cum omnimoda replicavit voluntatis reſignatione: *ſufficit mihi gratia tua.*

Cruciatus appetit conformes.

2. Cor. 12. v. 9.

5. Feria ſecunda Pentecoſtes Spiritum Sanctum acceptura ſub ſpecie viſibili, divinum multis proteſtationibus recuſavit beneficium, niſi divinæ ita placitum foret voluntati; omnibus potius divinis caritura chariſmatibus cum beneplacito divino, quàm contra voluntatem Dei, in divinis deliciari amplexibus.

Reſpuit autem cœli delicias Dei voluntati diſformes.

6. Nihil rerum inchoavit aut continuavit unquam, niſi juxta divinæ idæam voluntatis; ſi quando cœptum ex optima intentione opus proſecutura, aut dignoſceret, aut ſuſpicaretur ex circumſtantiis divinæ idipſum diſplicere voluntati, indilatè ſuperſedebat actioni, nullis minis, nec ipſis etiam mortis anguſtiis adigenda unquam, ut interruptam reaggrederetur provinciam, contra beneplacitum divinum; è converſo nihil adeo humile, vile, abjectumve Religioſa poterat obtrudere exinanitio quod non ambitioſè appeteret, promoveret, exequeretur Magdalena, modò divinæ placuiſſet voluntati. Quas aliqui actiones dictitant indifferentes, v. g. exitum è Camera, tranſitum de

Cœpta intermittit, ubi illa divinæ diſformia voluntati advertit.

Digitized by Google

cella ad cellam & ſimiles, tantâ obibat cautela, ut ſæpius proteſtaretur. *Nunquam pedem promoverem, aut ullum corporis elicerem motum, ſi noſſem, non eſſe hanc Dei voluntatem*

7. Hoc totius Religioſæ perfectionis compendium præſcribebat ſingulis: *Si rectum, brevemque appetis perfectionis tramitem, omnes tuas functiones, unico inſtitue, & perage divinæ voluntatis intuitu hæc intentio virtute pollet quaſcunque ſanctificandi actiones*; ideoque Religioſas, quibus hæc Rhetorica, aut peregrina, aut difficilis videbatur, his perſtringebat verbis: *Sorores meæ, utinam diſpendium apprahenderetis, quod divinæ cauſat neglectus voluntatis.* Replicabat alias: *An non guſtaſtis O Sorores, hujus unius dulcedinem verbi*: VOLUNTAS DEI?

Compendiũ perfectionis.

Marc. 3. v. 35.

Regulas divinæ voluntatis ſtudioſè adimplet.

8. Ut dilectæ deſiderio ſponſus ſuffragaretur uberius, die 24. Menſis Auguſti, Anno 1593. poſt communionem ſacram, viginti ei tradidit Regulas (quas vide ſupra *cap.* 1. §. 13.) omnium prototypa Religioſorum, qui divinam in omnibus unicè ſpectant, ambiuntque voluntatem; quas S. Virgo non modò ad amuſſim adimplevit, ſed & inſuper in uniuſcujuſque Menſis epilogo, diem integrum, ſolitaria ſtrictiſſimo impendebat examini, qualiter eo Menſe has, aliaſque Regulas, conſtitutiones, & pias Cœnobii conſuetudines adimpleſſet; ſique vel minimum ſuſpicaretur irrepſiſſe defectum, quemadmodum reformidabat ſemper humilis, ſiquidem *res eſt ſolliciti plena timoris amor*; Noxam ferreâ integræ horæ diſciplinâ eluebat immiſericorditer.

CAPUT XVI.

Quantâ devotione, efficacia, & conſtantiâ, orationibus, officijs divinis, horisque Canonicis vacarit.

1. DE oratione S. Virginis, tam vocali, quàm mentali (primaria ac principè inſtituti Carmelitici parte) quam S. Spiritu duce & Magiſtro, etiamnum ſæcularis imbibit avidiſſime, pauca recenſimuus *lib.* 1. *c.* 1. in diverſis §. §. quæ plurimadicenda ſuperſunt, paucis inſinuabimus in præſenti.

2. Orationis itaque praxin & excellentiam, omni depoſito nobilitatis

Digitized by Google

nobilitatis reſpectu, nullâ tenellæ indolis, exilis ſtaturæ, virumque imbecillium habitâ ratione, infimos docebat ſervos & ancillas; gratiam, & ſpeciale Dei beneficium rata, quoties eorum conſortio fruendi ſuppeteret facultas, utque promptior ardentibus deſideriis ſuffragaretur commoditas, ipſamet domeſticis ſe implicabat functionibus, quà Cameras verendo, quà lectos ſternendo, quà alia obeundo exercitia ſervilia, ut famuli & ancillæ domeſticis maturius exempti oneribus, ſuos promptius humeros ſuavi ſubderent orationis, tàm mentalis, quàm vocalis jugo. Alios in oratione inſtruit

3. Parentibus diſceſſum Florentiâ meditantibus, Sponſam Dominus duxit in ſolitudinem Cœnobii S. Joannis, ibique locutus eſt inceſſanter ad cor ejus, continuas inter orationes diu noctuque, quas extra chorum & functiones manuales, tribus quotidie horis frequentabat; nihilominus ſuam quodammodo ſibi ipſi improperans in exſolvendo ſanctæ orationis tributo, tenacitatem & ſocordiam, intempeſtas frequenter noctes genuflexa, orationum vocalium fatigabat ſuſpiriis, meditationum illuſtrabat radiis, contemplationum ſublimabat ſplendoribus, frequentius extra lectum ſplendidis orationum facibus per noctes inveſtigatura dilectum, niſi vetuiſſet obedientia; unde prohibita quandoque è lecto ſurgere ad matutinas; flexis genibus orabat inter cortinas, taliter aliquando ad aliarum exemplum, inventa cum ſtupore. Orationis aſſiduitas.

4. In ſanctis plerumque Evangeliis, Magdalenæ deliciabatur meditatio, in qua tantus quandoque exardeſcebat ignis, ut in externas corporis partes diffuſus, roſeo virgineam faciem depingeret colore, oculoſque inflammaret, duarum inſtar ſtellularum ſcintillantes; quodque ſtupebant moniales omnes, continua multarum horarũ oratio, ne minimum quidem extorſiſſet motum à tenerrima, eâque ſemper genuflexâ puella, immobili inſtar ſaxi, ſeuligneæ ſtatuæ. Devotio interior exterius ſe manifeſtat.

5 Cœnobium S. Mariæ ab Angelis ingreſſa, ſæcularem necdum exuerat veſtem, quando orationis ejus conſtantiam Sorores pariter ſtupuêre omnes, ſiquidem prima & ultima in choro & oratorio, multas etiam dierum noctiumque horas, ab Ordinis inſtituto minimè requiſitas, quà mentaliter, quà vocaliter Orationis conſtantia

Digitized by Google

caliter orando, tranſigebat. Tyrunculæ ſpiritum exploratura directrix; non poteris, ait, filia mea, tam jugi orationis exercitio inſiſtere in ordine noſtro, ſiquidem manualibus, & exterioribus functionibus, Novitias implicari jubent Regula & conſtitutiones noſtræ; cui indilatè Magdalena: *Non equidem ignoro ego, omnes Religionis functiones ex obedientia peractas, totidem eſſe orationes.* Reſponſum obſtupuit diſcipulæ, quodque replicaret, attonita non reperit Magiſtra. Aliàs, ut omiſſis exercitiis corporalibus orationi vacaret, indulgebat ſuperior; cui in hæc verba prudentiſſimè ſancta illico reſpondit Virguncula: *Vtinam tempus orationi deſtinatum, & à Religione præſcriptum, in ſanctâ mentis elevatione perfectè tranſigerem; aliud certè tempus, functionibus exterioribus appropriatum, in Orationis uſum minimè convertendum arbitrarer.*

6. Vix emiſsâ profeſſione Religioſâ, horas integras in orationibus conſumens, alienabatur à ſenſibus; imò à Spiritu Sancto edocta, orationem non exigere locum de neceſſitate, quia fieri poteſt, in omni loco & tempore; ipſas inter functiones manuales, mentem in Deum erigens, rapiebatur in ſpiritum. Orantem, ſpiritualis quandoque (præſertim autem in lacu Leonum) preſſit deſolatio, neque tamen ideo vel minimum ſolitæ orationi detraxit momentum, & niſi externæ quandoque occupationes fervorem temperaſſent, vita Magdalenæ in continuum exarſiſſet ſanctæ orationis holocauſtum. Quoties companæ ſono, moniales ad chorum evocari audiret, incredibili exultans præ jubilo, ſubjungebat Magdalena: *Ecce ſignum magni Regis, ſorores, vocem auſcultemus divinam, ad Dei laudes convolemus.*

7. Efficaciſſima orationis promovendæ remedia exemplo frequentavit, verboque docuit, jejunium & vigilias, nec non externorum ſenſuum mortificationem. *vid. ſupra. cap.* 8. §. 1.

Attentio in oratione.

8. Eâ animi attentione omnes fundebat orationes, eâ peragebat reverentiâ, ut etiam extra actuales raptus, qui plerumque aut orationis exordium, aut medium ſubſequebantur, inſenſibilem quodammodo lapidem exprimere videretur; pernici nimium diurni temporis volubilitati ingemiſcens, noctes integras in orationibus tranſigebat, maximè ſi quam temporis moram, ſolitis precatiunculis, ex pia conſuetudine debitam, occupationes ſubtraxiſſent externæ, ſatius rata, corpus quiete, quàm animam pabulo deſtituere orationis.

Digitized by Google

orationis. Nocturnam requiem eieraſſe videbatur, quoties vel ſpecialis peccatorum converſio, vel difficilis negotii expeditio, vel ſingularis Dei honor, vel ſalutis alienæ promotio, aut Religionis bonum, preces, orationesque ſuadebant extraordinarias; ſpiritualia à S Ignatio, Societatis Jesu Fundatore, conſcripta, ſæpius frequentare amabat meditationum exercitia; ſpeciatim autem à ſe formatas, perque Confeſſarium approbatas, diverſarum precantiuncularum formulas.

9. Ubi Symbolum fidei recitabat, in extaſim rapiebatur, idque non ſemel illi evenit, alloquenti Cardinalem Alexandrum Mediceum, mox in Pontificatu Leonem XI.

10 Sæcularis Cœnobium incolens S. Joannis, cujus meminimus ſupra, tantâ morum urbanitate, modeſtiæ gravitate, zeli ardore horas recitabat canonicas, ut nullã non monialem in ſuam traheret admirationem, affectum, benevolentiam, oculis omnium moroſè in Magdalenam defixis. Quoties ad chorum pulſari inaudiebat, quocunque confeſtim, quantum obedientia permittebat, interrupto opere, ſe ad laudes accingebat divinas, tripudians præ gaudio, quod ad divinas quantumvis indigniſſima & laudes præconia invitaretur. Devotiſſime horas can: recitat, ac ad eas accurrit promptiſſimè.

11. Choro, niſi ægra, nec ſemel defuit; inque ipſa infirmitate, tam diurnis, quàm nocturnis aſſiſtere ſatagebat officiis, ſemperque interfuit ſingulis, quouſque morborum violentia exſanguem omni deſtituit gradiendi, ſurgendique facultate; quo ſtante impedimento, horas canonicas à ſororibus coram ſe legi voluit, quas eo pietatis fervore, Zeloque auſcultare conſueverat, ut Seraphim potius, quàm mortalem exprimeret hominẽ; in ipſum quoque exteriorem redundante vultum, ardoris jubilique exceſſu, quo divinas peragebat laudes; ita ut, ſi præ morbi gravitate in alias voces prorumpere nequiret, ſemper ad minus in fine ſubjungeret; pectus percutiendo: *Deus propitius eſto mihi peccatrici; hac pars mea, neque plura effari mereor.* A choro abſens, horas nunquam ſola, ſed ſemper cum alia recitabat, tum quia hoc modo perfectius atque exactius ſe Eccleſiaſticæ functioni ſatisfacere auctumabat, tum ex humilitatis motivo, dicere ſolita: *Exili ego dotata ſum ſpiritu, quoties igitur officium cum ſocia recito, illius ego pietatis, ardoriſque particeps efficior.* Chori continua aſſiſtentia. *Luc. 18. v. 13.* Horas ſemper cum ſocia recitabat & quare. Martyrij affectus ad verſum Gloria Patri.

12. Dum vice quâdam ad verſiculum, *Gloria Patri &c.* caput inclinaret, ſubitò expalluit, frigidoque vultum perfuſa ſudore, di-

vinumque vix proſecutura officium, omnibus contremuit artubus:

Ita pallidus, omnis amator
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

Cauſam ſymptomatis edicere rogata, reſpondit: ſe pro inveteratâ conſuetudine ad verſiculum, *Gloria Patri &c.* vitam ſuam in mortem obtuliſſe pro Gloria Dei oppetendam; cunque tunc temporis, id majori, quàm unquuam zelo peregiſſet, cervicem gladio carnificis ſibi ſubdere videbatur; quem natura exhorreſcens, in tantas incidit pavoris anguſtias.

Odit ac perſtringit accelerationē in divino officio.

13. Omnem in divinis officiis accelerationem oderat infenſiſſimè dicere, ſolita: *Impoſſibile eſt, divina peragere officia, quemadmodum reliquas Cænobij functiones.* Voce quantumcunque tenui & gracili præcipitem aliarum ſororum legendi impetum, ſtitit multoties; ſique fortioribus quandoque vocibus cedere cogeretur infirmior, choro pariter cum Superiorum licentia cedebat promptior. Vice quâdam Supperioriſſam in choro præſentem, dum pariter nimium accellerarentur horæ canonicæ, humillimè interpellavit, cum dicto: *Mater, nimium feſtinamus, quaſi aliud majoris momenti urgeret negotium.* Aliàs unam ſororum præ reliquis in legendo properam, ita perſtrinxit: *Mater, ſi te urgentior premit functio, chorum deſere, eamque imple*, quas ſimileſque admonitiones S. Virgo cum magno multoties frequentavit omniume molumento.

Caput XVII.

De Contemplatione.

Duplex contemplatio.

1. Contemplatio, charitatis filia, ſublimiſſima viatorum oratio, tam paſſiva ſeu infuſa, quàm activa ſeu acquiſita, ſimpliciſſimus eſt divinarum perfectionum, veritatum, Myſteriorũq; intuitus, diverſos amoris, gratitudinis, zeli, contritionis, millenoſq; alios cauſans affectus, quorũ aliquos libabimus in præſenti, contemplationẽ exhibituri S. Mariæ Magdalenæ, cujus liberrrima virgineæ mentis perſpicacia in divinæ ſapientiæ ſpectacula, ita obriguit ſuſpenſa in terris; ut in ſancta noſtra, continuũ hoc eminuerit exercitiũ, quod in pluribus aliis animabus evanuit horariũ; quandoquidẽ quæcunq; tàm interna, quàm externa quodamodo occupatio, mirâ agilitate, liberoq; volatu, ſine labore mentẽ Seraphicâ per Deitatis variorumq; illius effectuum, perfectionum, & attributorum gazophylacium circumtulit conſtantisſimè.

2. Anno,

Digitized by Google

2. Anno 1593. 7. Martij, rapta in extaſim, novâ ſingulas animæ potentias, corporiſque ſenſus, imbui vidit fortificatione, & robore per Spiritum ſanctum; Dilectæ clementer indulgente Domino, ut tale Lumen, tamque individuam ſecum unionem poſſideret, quocunque Loco & tempore, etiam inter actiones naturales; quali fruebatur aliàs in actuali à ſenſibus abſtractione. Voluntatem tanto inflammari ſenſit igne S. Spiritus, ut eundem ſemper & ubique in perfectione continuare poſſet actum amoris in DEUM & proximum; intellectum advertit reſplendente perfundi radio, ut idem ubique poſſideret Lumen; memoriam didicit rapido quaſi fœcundari flumine, ut nullo non loco & tempore, operum recordaretur Verbi incarnati, & eorum, quæ in divinis tres continuant divinæ perſonæ; quando pariter diverſis de Spiritu ſancto inſtitutis dicurſibus, formatiſque ſimilitudinibus, vidit Verbum divinum in ætate duodenni è throno cœleſti ad ſe deſcendere, ut in corde ejus virgineo ſedem collocaret jugiter incolatus ſui; Quotieſque aliquod ſupradictorum donorum recipiebat; voce exclamavit ſonorâ: *O Verbum, O Verbum; recordare, quoniam mortalis ego creatura ſum, fragile hujus corporis vaſculum tantam ſuſtinere nequit violentiam.*

Ejus animæ Potentiæ Supernaturaliter roborantur.

3. Exinde veluti aquila ſemper ſurſum tendens, alis innixa contemplationis, perfectiones, veritateſque divinas fixo identidem obtutu venerata & proſecuta eſt, cum tanto divini amoris incendio, ut propemodum incinerata crederetur præ ardore.

4. Anno 1590. 10. Junij, novo dilectam Dominus inſigniturus chariſmate, omnibus animæ ejus potentiis, corporiſque ſenſibus præſervationem in gratiâ, roburque infudit ſpirituale per S. Angelum Carmelitam, quem pretioſâ & odoriferâ unctione, ſuos ſibi vidit inungentem ſenſus Magdalena; primò oculos, deinde aures, os, manus, & pedes. Finita unctione exteriori, ad animæ proceſſit interiorem; & primò quidem voluntatis, duo ei imprimens ſigna: Primum, ut ſemper voluntati divinæ per omnia & in omnibus, conformis eſſet: Secundum, ut nunquam faciem immutaret, præterquam in repræhenſionibus, quæ, ut locum, & efficaciam haberent, faciem mutaſſe ſufficeret, abſque mutatione cordis.

Exdem potentiæ, uti & exteriores à S. Angelo Carmelita unguntur.

Memo-

Digitized by Google

Memoria imbuitur documentis. a Ioa. 14 v. 27. b Ioa. 18 v. 36. c Ioa. 4. v. 34. d Mat. 12. v. 50 e Mat. 18. v. 6. f Mat. 26. v. 39. g Luc. 23. v. 34

Memoriam inde purificavit, ſeptem illi inſcribens documenta: primum, a *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* 2. b *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; 3. c *meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me ut perficiam opus ejus*; 4. d *Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* 5. e *Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis illis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* 6. f *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte.* 7. g *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

Trina intellectus impreſſit ſpecula. 1. puritatem Dei, qui ad divinum accenderet amorem. 2. Communicationem ejuſdem Dei, ut ipſum in communicando verſus proximum imitaretur. 3. omnium Beatorum charitatem, variaſque cunctarum Matrum & Sororum ejus virtutes, ut prompta, parataque foret, omnem prodigere vitam & potentiam.

Intellectus illuſtratur.

Ejus cor ejus mundatur.

Poſt hæc cor purificavit, cui trinas impoſuit petras; primam, ut ibi Verbum requieſceret cum ſalute proximi, ſecundam, ut ibi Spiritus Sanctus atque omnium inhabitaret complacentia electorum, tertiam, ut inibi moraretur Pater æternus, ſaluſque propria.

Anima abluitur.

Cordi, animæ ſucceſſit ablutio, facta per ſanguinem Jesu, eâque purificatâ, ſubiunxit ipſamet S. Virgo: *Lavit animam meam in ſanguine ſponſi mei, ut lilium in candore, ut roſas imitetur in purpurâ.* Sanctuſque Martyr animæ ejus lucernam impoſuit ſcilicet propriæ nihilitatis atque exinanitionis cognitionem. Poſtea concupiſcibilem purificavit, tribus eam dotans deſideriis. 1. ſalutis animarum tam fidelium, quàm infidelium. 2. paupertatis. 3. mutui inter omnes creaturas amoris.

Intentio purificatur. 3. Reg. 19. v. 4.

Denique emundationi animæ, purificatio ſucceſſit intentionis, in ordine ad quam juſſit, ut jugiter ſub umbra requieſceret juniperi, quæ paſſionis Jesu ſignificativa eſt, quemadmodum, enim juniperus attacta pungit, ita quoque paſſionis meditatio compunctionem generat & compaſſionem. Pro ejuſdem pariter intentionis perfectione, ſtatuit, ut in omnibus & per omnia ſolius Dei honor ſpectaretur & gloria, dicendo quà facto, quà verbo, quà mente: *non quæro gloriam meam.*

Ioa. 8. v. 50.

5. Anno 1584. 5. Januarij, in extaſim rapta, unigenitum Dei filium

filium inter ſacra vidit Virginis Mariæ brachia exſanguem & mortuum, cujus ſacratiſſimas manuum, pedum, laterisque plagas, piiſſimo venerata affectu, & contemplata obtutu, illas quatuor aſſimilavit ardentibus fornacibus, ſiquidem vulnera pedum unam dundaxat fornacem conſtruebant; in primam harum, quæ pedum eſt, durum immittitur, ut emolliatur, ferrum, indurati ſcilicet inſtar ferri, peccatores, qui ubi in fornacem plagarum Sanctorum CHRISTI pedum intraverint, cordium eorundem ſubitò intenereſcit durities, in effuſas veræ contritionis lachrymas liquefactis medullis, propter admiſſa ſcelera; atque ita, veluti ferrum, per fornacem molle, ad quemcunque uſum deſervire, diſponique poſſunt. In 2. fornace, ſcilicet manus ſiniſtræ, lateres coquuntur in ædificii uſum, figuræ peccatorum converſorum, qui eam intrantes fornacem cum S. Paulo & Magdalena, Eccleſiæ ſanctæ accreſcunt in ædificium, cum maximâ utilitate & commodo. In tertia, quæ manus dextræ eſt, vitra formantur, virginum Symbola; ſicuti enim vitrum, parvæ eſt utilitatis, aſt ornamenti atque oblectamenti maximi; ita pariter virgines, quantumvis minorem quàm Martyres, Confeſſores, & Doctores utilitatem afferant in Eccleſia DEI; nihilominus certiſſimum eſt, maximum ab iiſdem Eccleſiæ afferri decorem, ſummèque in illis ſibi Verbum complacere divinum: quartæ ſacræ lateris fornaci aurum immittitur, per quod omnes illi denotantur, qui per fidem & amorem, verbo conjuncti ſunt in charitate; Quibus dictis, aurum, ſubjunxit, duobus principaliter deſervire uſibus, ſcilicet in ornamentum & gemmarum obſequium; in ornamentum, illud adhibuit Salomon, quando *fecit ſibi de lignis Libani reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtravit.* In gemmarum uſum pariter adhibetur aurum, ut eas liget, ſiquidem auro deſtitutæ, præſentisſimæ patent jacturæ & perditionis diſcrimini; neque abſque auro, ſingularis earum conſpicitur raritas & pretium ita pariter, omnes virtutes, niſi eas connexuerit, ligaritque charitas, in interitum ruunt; cum charitate autem maximum DEO gaudium erga ſe cauſant & affectum, necnon ædificationem in ordine ad proximos.

Vulnera Chriſti 4. fornacibus ardentibus aſſimilat.

Cant. 3. v. 9. 10.

6. Eodem Anno 1584. 22. Januarij, in altiſſimam S.S. Trinitatis myſterii ſublimata contemplationem, de altitudine divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI, de incompræhenſibilibus judiciis, &

X inveſti-

Digitized by Google

inveſtigabilibus viis ejus, diſcurſus inſtituit fœcundiſſimos nec non crebris aliis vicibus, notanter autem quando myſterium S. S. Trinitatis contemplans, quaſi in circulo ſpeculum, Verbi incarnati Symbolum, librum, Patris figuram; & fontem, Spiritus ſancti expreſſivum, ſibi aſſeruit repræſentari. Quæ omnia & ſimilia, cum potius mentem, quàm affectum Lectoris paſcere poſſent, libens ſilentio involuam, ad alia majoris utilitatis, fructusque argumenta tranſiturus.

CAPUT XVIII.

De Devotione.

1. DEvotio principalis actus Religionis virtutis, ad Deum terminatur & ſanctos; ad Deum quidem per ſe, ut primum omnium principium, ſpeciali dignisſimum cultu; ad ſanctos autem, in quantum in his, tanquam in miniſtris DEI, ipſum veneramur Deum, de utraque ſpecie agendum in præſenti, aſt confuſionis declinandæ, optatique generandi fructus amore, in diverſas ſectiones dividendum ſtatui articulum, quare ſit,

SECTIO PRIMA.

De devotione erga S. S. Trinitatem.

Varios erga S. S. Trinitatẽ devotionis actus exercet, ac de illa pluribꝰ diſcurſit.

1. DIetim S. S. Trinitatem ſummâ humilitate & aſſiduis ferè, laudibus honorabat & adorabat, quod exercitium in lib. 1. cap. 3. lectori exhibui. Varios variis vicibus, tam inter quàm extra actuales extaſes & raptus, multiplicavit perfectisſimæ, erga Trinitatis myſterium devotionis affectus, quos ſingulos commemorare, opuſculi hujus prohibent anguſtiæ, ſemel in extaſim ſublimata, de unius in eſſentia, triniquein perſonis, Dei operationibus, ſermocinans, miris cœpit implicari, raræ devotionis ſublimitatibus, erga totam S. S. Trinitatem; Aliàs cum Patre æterno multarum horarum inſtituit colloquium, quando altisſimas de divinis S.S. Trinitatis, proprietatibus, deque fructibus, quos in anima cauſat uniuscujuſque juſti, hauſit intelligentias. Aliâ vice, diverſa ab eodem Patre cœleſti, per plurium horarum ſpatium, accepit documenta, pro dignâ ad ſanctisſimi Sacramenti Euchariſtiæ ſuſceptionem diſpoſitione. *vid. latius lib. 1. c. 1. §. §. 4. 6.*

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO SECUNDA.

De devotione erga Sacramentum Euchariſtiæ.

1. INſatiabili panis Euchariſtici eſurie laborare cœpit juvencula, quando necdum, quid epulum Euchariſticum foret, penetrarat ætatis incapacitas; ejuſdem didicit eſſentiam, quando illius uſum nondum indulſit juniorum annorum tenacitas; interim mirifico replebatur jubilo, quoties alios cœleſte convivium frequentantes videret, Matri ſupplex, ne ſe ſociam aſpernaretur, quoties Eccleſiam quampiam, ubi crebrior divini ferculi faviſſet indulgentia, adire contingeret. Maternam nacta gratiam & conſenſum, antemeridianas dierum feſtorum & dominicalium horas, genuflexa fallebat in Eccleſiis, conſtanti ſemper in communicantes defixo obtutu, domumque redux, maternum identidem ſtipabat latus, dulciſſimo intrinſecus, præſentis JESU paſcenda odore; cauſamque ſciſcitanti Matri edicere juſſa, reſpondit: *Quia poſt comunionem ſanctam, IESVM ſapis*; *quaſi jam tenellula gloriari didiciſſet*: *In odorem unguentorum tuorum, currimus, adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* Juvencula gaudet videre communicantes iiſq; adeſſe.

2. Quantam S.S Euccharistiæ Sacramento, ſemper detulerit reverentiã, vel à primis unguiculis; Lector concluſerit ex eo, quod jam ſubnecto. Ruri cum Matre in villis propriis dimorantem, in die feſto, ingruens imber copioſus nimis, retraxerat à ſacro in Eccleſia admodum diſſita, audiendo; maternus itaque affectus, teneritudini compatiens filiali, ordinavit, ut juvencula, ſumpto jentaculo, eques peteret Eccleſiam; vix maternum inaudiit placitum filia, quando in uberrimas profuſa lachrymas, conſtanter negavit, farcito ſtomacho, ſuperboque equitatu, quærendum eſſe Jeſum, effecit, ut jejuna & pedes permiſſa fuerit Eccleſiam adire. Reverentia erga S. Euchariſtiam.

3. Decennis, aſſentiente matre & confeſſario, priuſquam panem ſumeret Magdalena Angelicum, *omne in ſe delectamentum habentem*, quaſi in illam uſque horam nihl boni præſtitiſſet unquam, multis ante diebus, nulli non inſudavit, virtutum, mortificationum, pœnitentiarum exercitio, ut ſe ſe digne præpararet ad nuptias Agni; quas in Monaſterio S. Joa. cum feſtiviſſimo tripudio, in ſoleñitate S. S. Annunciationis exorſſa eſt; eo die Scramentaliter cœleſti ſe unitura ſponſo, quo hic unionẽ cum natura humana inchoarat hypoſtaticã. Exinde ardentibus virgunculæ deſideriis, votiſque devictus Sap. 16. v. 20. Præparatio in ſignis ad S. Com.

Digitized by Google

Confeſſarius, octiduanam ei indulſit ſynaxin, quam illa quotidianam, imò & horariam maluiſſet; Cumque eo in Cœnobio, rarior hujus Angelici cibi vigeret eſus, S. Virgo ſuo & exemplo, & verbo, ſpiritualem plurium ſororum irritavit, provocavitque orexin.

4. E tribus Monialium ſolemnioribus Florentinæ Urbis Cœnobiis, R.R. P.P. Domincanorum, Franciſcanorum, Carmilitarum, hoc tertium ſibi eligendum ſtatuit, propter quotidianam, quæ in eo præeminebat, Euchariſtici panis frequentiam.

Pivata ſacrâ communione ſummè dolet.

5. Die quâdam, Confeſſario præter conſuetudinem moras nectente, Mater Prioriſſa, tarditatem interpretata emanſionem, Mariæ Magdalenæ imbecillitati compatiens, jentaculũ illi ſuaſit, ſed non perſuaſit niſi in virtute obedientiæ; vix puella unum, alterumvè deglutierat bolum, quando campanella inſonuit, quâ ſorores ad quodianã convocabantur comunionem; moxq; S. Virgo divino ſe epulo, quo reficiebantur ſorores reliquæ, deſtitutam advertens, tantas lachrymis laxavit habenas, ut ipſam etiam Matrem Prioriſſam in fletuum compulerit Societatem.

Fames erga ſacram Euchariſtiã, ac poſt illam ſumptã extaſes.

6. Tanta tenellulam premebat Euchariſtici pabuli eſuries, quaſi extremam ſemper pateretur famem; vix ſumpto Angelorum pane, iterum per liberrima ſpiritus deſideria, animique ſuſpiria diſpergebatur ad manducandum; horas & momenta, quæ unius alteriuſque diei ſecernebant communionem, quandoque numerare non dubitavit, præ ſpiritualis languore famis, ad alias quodammodo inepta functiones; inſtante jam communionis tempore, antiquiores profeſſione ſorores, imò ipſas quandoque præveniebat ſuperiores; eoque ſemper ardore; ad convivium concurrebat cœleſte, ut vel ante, vel poſt ſacras epulas à ſenſibus alienaretur extatica, frequentiſſimè autem poſt communionem ſacram, exardeſcente Spiritus fervore, rapiebatur in extaſes & contemplationes ſublimiſſimas, neque ab iis multoties, niſi poſt longum tempus, poterat explicari, idque in virtute S. obedientiæ, qui raptuum exceſſus ſacrum Euchariſtiæ epulum ſubſequentes ſingulariter prævaluêre, quadraginta continuis immediatè à profeſſione diebus, quando doctas adeo atque devotas in extaſibus eructare audita eſt, ſacræ Scripturæ declarationes, intelligentias, interpretationes, ut certo quodam modo inter principaliores Eccleſiæ DEI Theologos connumerari meruiſſet, ſupernaturalis beneficio ſapientiæ.

7. Eâ

7. Eâ ſemper animi præparatione dapes frequentabat Euchariſticas, ut æquali eas ſumeret amore & tremore, gaudio, & pavore; amore propter ſponſi præſentiam, timore propter ſuam indecentiam, gaudio propter ſpei firmitatem, pavore propter præſumptam vitæ iniquitatem; trepidans ſemper, ne inter communicandum dehiſcente quandoque ſub pedibus terrâ, abſorberetur viva; & licet poſt octo dierum curriculum, ſingularis non occurreret virgineæ menti confeſſionis materia, nihilominus reverentiæ ſtimulo adacta, confeſſionem nunquam ultra octavum differre præſumpſit diem, frequenter ingeminans: *O quanti negotii momentum, hoſpitio DEVM excipere!* quodcunque tàm corporale quàm ſpirituale S. Virginis exercitium, ei in continuam deſerviebat, ad epulas cœleſtes diſpoſitionem. Præparatio ad ſacras epulas.

8. Semel panem pro piſtrina præparans, ſonum audiit campanellæ, quâ ſorores ad ſacram convocabantur ſynaxin, moxque à ſenſibus alienata, in eo, quo laborabat veſtitu, nudis brachiis, biniſque in manus ſublatis panibus, ad communionem accurrit, ſacroque ſe pabulo taliter refecit, Monialibus in caſſum panes extaticæ eruere conantibus; aliàs in extaſi conſtituta, ut dictum campanæ inaudiit ſonitum, mox ſenſibus reſtituta, ad communionem properavit, quâ perceptâ, extaſin interruptam ſubitò reinchoavit. Ad ſignum S. cõm. in extaſin rapitur.

9. Inter varias ad Euchariſtiam præparationes reliquis aſſignabat principaliores. 1. Altiſſimam humilitatem, ſuam ſemper conſiderando indignitatem. 2. Operari quotidie omnia, divini ſolùm intuitu beneplaciti. 3. Æterno Patri frequenter, præſertim autem tempore communionis, ſanguinem & paſſionem offerre ſui unigeniti. 4. Ardentes ſæpe iterare amoris actus. 5. Iugem referre gratiarum actionem pro communione præterita. Optimæ ad S. cõm. præparationes.

10. Quoties ſanctiſſimum publicè exponeretur devotioni, aut Monaſterio ad decubuas inferretur ſorores, deficere videbatur præ amoris æſtu, cordiſque jubilo Magdalena; quæ, ut omnem, circa Euchariſtiæ Sacramentum, amoris languorem redimeret uberius, intra uniuſcujuſque diei noctiſque ſpatium, vicibus triginta tribus, ipſum inviſebat humillimè, præſertim autem in feriis quintis, in quibus illud amor inſtituit cœleſtis, quas Sancta Virgo nuncupabat *dies amoris*. Sæpius viſitat Sanctiſſimum Sacram:

11. Trinâ vice in actuali raptu, commuoinnem ſacram è manibus

 nibus

Digitized by Google

Tertiò à Chriſto cõmunione S. reficitur.

nibus excepit ipſiusmet Chriſti IESU: primam quidem in die Iovis Sancto, Anni 1585. quando decimum nonum agens ætatis annum, ſublimiſſimæ amoris, quo Sacramentum hoc inſtituit Salvator, contemplationi immerſa, cum maximæ devotionis indiciis os aperuit, moxque recluſit, manibusque ante pectus complicatis; nimiam, quam degustabat ſuavitatis æternæ exuberantiam, ſequentibus in idiomate latino expreſſit verbis: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, collocavit ſe in anima mea; dilata cor meum, inducat omnem creaturam ad Communionem corporis & ſanguinis tui*; abſolutoque raptu, ſe à JESU communicatam aſſeruit Magdalena, per obedientiam, veritatem edicere juſſa. Alterâ vice, ſeptimo ſcilicet Auguſti, in Feſto Sancti Alberti Carmelitæ, eandem aſſecuta eſt prærogativam, quando & longum cum IESU Chriſto inſtituit colloquium *vid. lib. 1. cap. 8.* §. 13. Tertiâ denique vice, in die Iovis ſancto, Anno 1592. eodem, ut diximus, modo & circumſtantiis, ſacram ſynaxim, è manibus ſponſi propriis, quæ ſuſciperet, digna inventa fuit, in præmium meditationis, & contemplationis, quam eo tempore de graviſſimis inſtituerat Chriſti patientis cruciatibus.

Cant. 5. v. 10.

Deflet negligentiã aliquarum in frequẽtando S. ſynaxin.

12. Cujuſcunque ſororis in frequentanda ſynaxi negligentiam uberrimis deflebat lachrymis, quam etiam ſubinde his ſimilibusque perſtringebat verbis: *Neſcis ô ſoror, quo te hodie privaveris bono: ô ſi tuæ penetrares diſpendium animæ, quod hodie neglectus ei intulit Communionis ſacræ.* Humanam generaliter in Euchariſticis epulis ſumendis ſocordiam, his quandoque ſimilibusque ſuſpiriis deplorabat inconſolabiliter: *Eheu! quæ tanta mortalium in ſumendo vitæ pane ſegnities, quandoquidem vel unica, ferventi ſpiritu peracta, communio, ad ſublime nos perfectionis culmen promovere poteſt: Deum precemur ſorores, ut noſtrum accendat torporem & frigus, quo ejus intepeſcimus ſervitiis, præſertim autem frequentiori ſynaxi.* Aliquando in Feſto S. Auguſtini 28. Auguſti, qua neſcio de cauſa, communionem omiſerant duæ ſorores, jamque omnes finitæ fuerant miſſæ, ita ut communioni nulla ſuperſtes foret commoditas, moxque in extaſin rapta Sancta Virgo, ad crates acceſſit, vocatoque Confeſſario, communionem dari petiit monialibus, votique compos effecta, reſpiravit à raptu.

Aliàs

Digitized by Google

14. Aliàs coram omnibus Novitiis genuflexa, manibuſque per modum Crucis ſupra pectus complicatis, in hæc, devotionis pleniſſima, prorupit verba: *O ſi penetraremus ſorores, quod in eo quo ſpecies Sacramentales in nobis durant inſtanti, Verbum divinum easdem in nobis obeat operationes, quas in æterni peragit Patris ſinu; O ſi penetraremus, quòd dum Verbum in Patre eſt, & Pater in Verbo, & Spiritus ſanctus inſeparatbiliter in utroque? Nos Verbum recipiendo, totam ſanctiſſimam excipiamus Trinitatem; O ſi has penetraremus veritates, cum majori utique devotione, animique præparatione ad Angelicum nos convivium accingeremus, non perfunctoriè, non caſualiter.* Hanc inter aliàs à DEO obtinuerat gratiam, ut in ſororum cordibus ſacrâ communione refectis, JESUM contemplaretur in diverſis figuris, in aliquibus ut infantem, in aliis ut duodennem, in aliis ut triginta, aut triginta tres habentem ætatis annos; patientem aut crucifixum intuebatur in aliis, juxta uniuſcujuſque monialis cogitationum, deſideriorum, perfectionis & capacitatis diverſitatem.

Totā SS. Trinitatē in S. Eucharist. recipimus.

Videt Jeſum ſub diverſis figuris in corde communicantii.

15. Aliquando in communi reliquarum conſortio, circumſtantes curioſiori dignata obtutu, ad proximam converſa ſororem, ait: *O quantum erga omnes has ſorores in me experior amorem dum ſingulas tanquam totidem veneror, ſuſpicioque ſanctiſſimi quod toties recipiunt, abſconditumque in ſe occultant Sacramenti cuſtodias.* Aliàs in ipſo paſchali die, dum Menſæ aſſideret corporalem cum aliis ſumptura cibum, tanta vultum ejus ſubiit implevitque lætitiæ exubernantia, ut quaſi præ nimio jubilo corporeis exſolvenda crederetur vinculis. Cauſam exceſſivi tripudii edicere rogata, reſpondit: *Quia IESVM in ſororum omnium cordibus intueor quieſcentem, glorioſum & reſuſcitatum, quemadmodum eum hodie ſancta nobis repræſentat Eccleſia.* Hocque in raptu aliquandiu perſeverans, devotum admodum cum JESU inſtituit colloquium.

Communicantes cuſtodiæ ſunt S. Sacramentū.

16. Aliquando DEUM oraſſe audita eſt, ut quotidianum ſanctiſſimi, Sacramenti hujus uſum in eo Cœnobio, uſque in mundi finem conſervare, eoque fine confeſſarios & patres ſpirituales clementer ſubſtituere dignaretur idoneos, qui ſororibus immaculatâ ſemper, pronâque manu frangerent panem Angelicum.

Orat pro continuatione quotidianæ communionis.

17. Infir-

Cruciatus ſpernit ut communicare poſſit.

17. Infirma, ne cœleſti hoc quotidiano deſtitueretur epulo, intolerabiles atque ineffabiles ſubiit, exantlavitque preſſuraſſet cruciatus; cumque aliquando ſororum pietas & compaſſio, ut cibo potuve deficientes reficeret vires, ſuggereret, humilitate zeloq; æquali, replicabat Magdalena: *Soror, maxima ego ſubſidij illius ſpiritualis laboro neceſſitate; majora mihi pro amore IESV ſubeunda ſunt; omnium mihi tormentorum maximum infligeret, vel unica unius ſolius diei ſacræ communionis carentia.*

Ioa. 19. v. 30. Diverſa explicat Scripturæ loca. Pſ. 64. v. 10. Cant. 2. v. 4.

18. In extaſin aliàs rapta, dum illa CHRISTI JESU in cruce exſpirantis verba: (*conſummatum eſt*) contemplaretur enucleatius, multiplici attigit intelligentiâ, verba hæc unicuique animæ, ſanctiſſimo refectæ altaris Sacramento, applicari poſſe veraciter; quo in raptu inſignes pariter explicationes ſuper illa pronunciavit verba: *viſitaſti terram, & inebriaſti eam.* Non ita paulò poſt à ſenſibus alienata, illa Canticorum verba devoto explanavit diſcurſu: *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Iterum aliâ vice, per unionem amoroſam in Deum transformata, quem jam jam in ſanctiſſimo ſuſceperat Altaris Sacramento, tota ſacroſancti hujus myſterii immerſa contemplationi piiſſimos de eodem Sacramento inſtituit & formavit conceptus. Item aliàs more ſolito, ſuſpensâ in Deum mentis elevatione, diverſa à patre æterno documenta accepit, quibus ſe ad dignam hujus ſanctiſſimi Sacramenti diſponeret ſuſceptionem. *vid. lib. 1. c. 21. § §. 4. 5.*

SECTIO TERTIA.

De ea, quam erga paſſionem Chriſti habuit devotione; quæque circa eam, obtinuerit privilegia.

Pſ. 118. v. 97. A Primis annis paſſioni Chriſti fuit devotiſſima. Thren. 3. v. 28.

1. DE ſingulari, quâ CHRISTI paſſionem Magdalena proſecuta fuit devotione, Verba facturus, illud quodammodo ab extatica audire mihi videor, quod quondam divinæ cupidus ſcientiæ, Regius cecinit Vates: *Quomodo dilexi legem tuam* (paſſionem tuam) *Domine? tota die meditatio mea eſt*; ſiquidem intellectum S. Virginis, vel ab ipſa infantia occupabat, paſcebat, implebat, nunquam laſſabat, continua paſſionis CHRISTI cogitatio. Juvencula graviſſimis preſſa morborum anguſtiis, *elevabat ſe ſupra ſe*, in virtute paſſionis Domini, quam tunc temporis, unâ vice ſedecim, alterâ

viginti

Digitized by Google

viginti ſex horis continuis, dulciſſimâ contemplatione venerata eſt; vel minima paſſionis Chriſti mentio, aut memoria in graviſſimis morborum cruciatibus, eam in Magdalena irritabat patiendi ſitim, ut nec integro tribulationum mari expleri poſſe videretur; quæ in atrociſſimis preſſuris identidem ore circumferebat, & corde hanc ſolis amantibus teſſeram: PATI, NON MORI.

2. Meditationibus vacatura, oculis mentis ſemper in exordio patientem exhibebat Jesum; ſicut & in principio aliorum laborum, exercitiorumque m[illegible]ualium; modò in ſuorum totiuſque mundi peccatorum abluitionem, pro vivis, & defunctis; modò in ſpiritualis aut corporalis gratiæ obtinendæ ſubſidium, modò aliis ex motivis, Patri æterno ſui identidem offerens unigeniti ſanguinem Sublimiſſimis divinarum rerum notitiis, extaſibus, omnibuſq; quaſi deliciis ſpiritualibus, admiranda dexteritate, fel & abſynthium inſpergebat paſſionis Chriſti; de qua diſcurrere & diſcurrentes audire volupe erat Magdalenæ, inter medios etiam morborum horrores; ex abundantia cordis, ore loquente.

Omnes ſuas actiones à Chriſti paſſione ordiebatur.

3. A Patre æterno præceptum perceperat, ut pridie communionis, à duabus ſemper, ante Solis occaſum, horis, uſque ad ipſam alterius diei communionem indeſinenter ei paſſionem offerret Verbi unigeniti; cui mandato, dum vice quâdam paruiſſet ſolito remiſſius, imperfectioné confeſſione expiavit & diſciplinâ; Chriſti paſſio unicum ei erat in adverſitatibus ſolatium, in tentationibus robur, in derelictionibus conſtantia, ſalus in periculis, in morbis ſanitas, in præliis clypeus.

Eamq; per plures ante communionem horas meditatur.

4. Sedecim extra lacum Leonum Annis, ſcilicet ab Anno 1590. ad 1607. quas petierat, experta eſt ſpiritus deſolationes; pacto inito cum ſponſo, & utrimque ratificato, ne impoſterum unquam, quo ad viveret, ullos cœleſtes, aut ſpirituales perciperet guſtus; cumq; aliquando ſponſus extaticæ delicias guſtandas offerret in raptibus, in has querulas ſoluebatur voces Magdalena: *Heu! heu! Domine mi, quorſum à te violatur pactum, quo me obſtrinxeram lubens; non alium mihi paſtum aut potum, quam tuum fel & acetum; non alia mihi oblectamenta, quàm tua tormenta; non aliam ſedem, quàm caluarium; non aliam denique vitam; quàm tecum mori in nuda & cruda elegi paſſione.*

Renuit cœleſtes conſolationes ac de oblatis conqueritur.

5. Anno 1585. 5. Februarij, dum tempore Bacchanalium,

Digitized by Google

Jeſum manib' excipit ſicut natus eſt de virg. Cant. 1. v. 12.

5. Anno 1555. 5. Februarij, dum tempore Bacchanalium, pro peccatorum converſione pœnitentias multiplicaret, & quæcunque in ſe provocaret tormenta immitius faſciculum Myrrhæ paſſionis Chriſti; ipſumque JESUM quemadmodum de virgine natus eſt infans, ſuis meruit excipere manibus, hunc ſacræ Scripturæ textum ſubiungens in idiomate latino: *Faſciculus Myrrhæ, dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.*

Sentit omnia Paſſionis tormenta

6. Binâ vice, ſcilicet 11. & 12. Aprilis, Anno 1585. feria quinta & ſexta dominicæ paſſionis, omnia meruit participare Chriſti JESU ſupplicia & tormenta, quæ Redemptor in tota ſubiit paſſione uſque ad mortem crucis, præſertim autem illa, quæ ſubiit in ſeparatione animæ à corpore, tantusque primâ vice invaluit cruciatuum exceſſus, ut palleſcente vultu, frigidoque poros dilatante ſudorre, jam jam exſpiratura crederetur; madebant lachrymis oculi, aſthmate premebatur, ferè obruebatur, pectus, intumeſcebant mammillæ, neque ullum periclitanti opitulari poterat humanæ ſubſidium induſtriæ.

Uti & ſingulis feriis 6. agonis Chriſti dolores.

7. Anno 1587. infra B. Virginis Nativitatis octavam, in ipſo exaltationis S. Crucis die, in extaſim rapta, perque cœleſtium contemplationum ambages, à divino circumducta ſpiritu, affectuoſiſſimos, miràque exundantes devotione inſtituit diſcurſus, cum B. Virgine, JESU infante & crucifixo.

8. Item omni feriâ ſextâ totius anni, acerbisſimos ſenſit agonizantis Chriſti dolores, eâ horâ & momento, quo ſuum Salvator pro Redemptione Mundi, emiſerat ſpiritum, tantuſque in virgineum corpuſculum deſævíit tormentorum horror, ut privilegium, quod optarat ſecretisſimum, doloris panderet violentia.

Stigmata Salvatoris accipit.

9. Feria ſecunda hebdomadis ſanctæ, decimo quinto Aprilis, Anno 1585. in extatica ſingulorum paſſionis, mortiſque Chriſti tormentorum, contemplatione, ſponſi crucifixi pœnas & dolores participavit interius, moxque quinos vidit lucidiſſimos, igneoſque è vulneribus Chriſti prodeuntes, in ſe derivari radios, relictis cum incredibili doloris ſenſu, veſtigiis, in meditullio manuum, pedum & lateris; moxque in vulneribus ſeu ſtigmatibus, ſponſi unicè gloriaturâ, in ſequentia, in idiomate latino expreſſa, prorupit verba; primò quidem quinquies in hæc, immediatè ſubiuncta: Abſconde me in vulneribus *humanitatis tuæ.* Deinde in ſubſequentia: *oculi*

mei

Digitized by Google

mei maneant in oculis miſericordia tua; aures mea in auribus tuis, ut intelligant & comprahendant vocem ſponſi mei; os meum in ore tuo, ut os meum loquatur, quod mecum ſponſus loquitur; pectus meum in pectore tuo, dilecte mi; manus mea non in manibus tuis, ſed in caverna ſponſi mei, ut ſint participes cooperationis ejus. Venter meus in ventre tuo, ut præſens ſit & particeps cooperationis, ordinationis, quā operatur charitas in cella vinaria. Memoria mea in memoria ſuavitatis ſanguinis verbi tui, pro redēptione omnium credentiū. Intellectus meus in intelligentia deſcendentia Verbi tui. Voluntas mea, in voluntate Verbi tui, ut voluntas mea conformis ſit voluntati Verbi tui, qua eſt tam conformis voluntati tua, ſumme Pater, quàm eſt aqualis aternitati Trinitatis tua. Huc uſque ſancta in idiomate diſcurrit latino, præter quæ in eodem raptu plura eructavit ardentiſſimi in Chriſtum, præſertim autem Crucifixum, amoris indicia.

10. Die Jovis ſancto inſequenti, ſcilicet 18. Aprilis, circa tempus pomeridianum à ſenſibus alienata, ſenſibili corporis totius ſitu & angore, per 26. ſolidas horas ſingula expreſſit & repræſentavit in diverſis Monaſterii locis, tormenta patientis, morientiſque Chriſti; ita ut cum orante in horto, præ agonia procideret in faciem; cum capto ligari, cum cæſo flagellari, cum crucifixo plagis perforari, cum moriente videretur exſpirare, cumque ultima agonizantis Salvatoris verba (*conſummatum eſt*) pronunciaſſet, ſuis fuit reſtituta ſenſibus, poſt ſpatium horarum, ut dixi, ſex & viginti.

In extaſi exprimit omnia Chriſti tormenta.

Ioa. 19. v. 30.

11. Anno 1585. 12. Maij, perſonam induta Virginis Mariæ, per 40. continuas horas, pari affectu & luctu, in memoriam 40. horarum, quibus ſanctiſsima Chriſti humanitas delituit in ſepulchro, mortuo parentavit Salvatori, quem in patibulo pendentem contemplata, & elevatis tandem manibus, brachiiſque expanſis, proprio excepit ſinu; moxque digito in lateris vulnus intento ſubiunxit: *Cur non introimus in latus iſtud nobis excipiendis patulum, perquam latiſſimè? Cur non in hiſce nos abdimus foraminibus petra, in his cavernis maceria?* Deinde ad luctum compoſita ſurrexit, funus proſecutura, vultu mœſtitiſsimo, demiſsis in terram oculis, junctiſque manibus, varia modeſtè circumiens loca, innuebat ſe cum tribus Mariis & Joanne Evangeliſta, accingere, ut Chriſtum ſepeliret.

Mortuo parentat Salvatori.

Digitized by Google

12. Aliquando tempore officii divini, dum Miſſæ ſacrificio aſſiſteret, diverſas hauſit intelligentias, per horas plurimas, de operationibus uniuſcujuſque, Chriſtum imitantis animæ, quas in raptu, actionibus appropriavit paſſionis, mortiſque Chriſti. Alias dum illa Evangelii verba doctiſſimis illuſtraret gloſſis (*ſimile eſt Regnum Cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo*) apertum intuita eſt Chriſti Jesu latus, ad quod veluti ad fontem anhelant animæ, more ſitientium cervorum. Iterum aliâ vice diſcurrit in raptu, qualiter per tres trium virtutum gradus, uſque ad amoroſiſſimi lateris cavernam, anima ſublimari poſſit. Denique doloroſo aliàs ſpineæ coronationis myſterio contemplando abſorpta, in extaſi Jesum ſponſum vidit, ſpinis coronatum, quando ad æternum converſa Patrem, inter alias diverſas precatiunculas, immiſcuit ſequentem: *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui*; Tandem in alia extaſi, dum illa Evangeliſtæ verba (*exivit ſanguis & aqua*) contemplaretur profundius, intellexit Verbi divini latus, veluti aquæ & ſanguinis fontem eſſe, qui animas purificet, mirificèque adornet.

[Margin: Varia circa Christi vulnera maximè lateris conſiderat. *Mat.* 13. *v.* 24. — Chriſtum videt ſpinis coronatū. *Pſ.* 83. *v.* 10]

SECTIO QUARTA.

De Devotione erga alia principaliora fidei noſtræ, vitaque Chriſti myſteria.

1. MIro ſemper pietatis affectu ſalutis noſtræ exordium, ſacroſanctum proſecuta eſt Incarnationis, & Nativitatis Chriſti myſterium, præſertim autem amorem illum jugiter venerabatur eximium, quo *Verbum, caro factum*, dilexit virginitatem, neque minori pietatis fervore exarſit in cultum myſteriorum vitæ, reſurrectionis, aſcenſionis Domini, & Pentecoſtes. In nocte ſanctiſſimi nominis Jesu, dum cantatis matutinis, Moniales canticum ordirentur: *Te Deum laudamus*; mox Magdalena in extaticum ſublimata ſpiritum, hujuſque dulciſſimi nominis contemplationi immerſa, pluribus obſecrationibus, iiſque perquam affectuoſis, Jesum obteſtata eſt, ut ſponſarum ſuarum cordibus, dulciſſimum ſuum nomen imprimere dignaretur: Aliâ vice amoroſiſſimos inter devotionis affectus, per plurium horarum ſpatium, piiſſimis conſiderationibus, totam Jesu Chriſti vitam contemplata eſt, admirandos

[Margin: *Ioa.* 1. *v.* 14. — JESU nomen cordib⁹ ſororū optat inſcribi.]

Digitized by Google

mirandos ex unaquaque Salvatoris actione hauriens, medullisque ſuis imprimens, pietatis exceſſus. Devotionique præmium varia ceſſit de altiſſimis hiſce myſteriis intelligentia, conceſſa divinitus; prout jam edocebimus.

2. In ipſa ſanctisſimæ Annunciationis vigilia, Incarnationis myſterium animo perſcrutans attentiori, mirabilem illam divinæ, humanæque naturæ divinitus penetravit unionem, nec non S.S. Deiparæ puritatem, quando etiam vidit S. Auguſtinum, aureis cordi ſuo inſcribentem characteribus *VERBVM*, ad denotandam divinitatem, ſimulque ſanguineis notis: *CARO FACTVM EST*, quibus humana in Chriſto declarabatur natura, quemadmodum ipſamet Sancta interpretata fuit. Obtigit hic favor Seraphicæ Virgini, Anno 1585. Menſe & die citato. *Verbum caro factum eſt* cordi ejus inſcribitur.

3. In extaſi ſubinde conſtituta, plurimas imbibit notitias de dignitate atque excellentia Verbi incarnati, ſub ſimilitudine viginti arborum; iterum eodem Anno, Menſe Junii, infra octavam Pentecoſtes, admirabilem habuit viſionem de ſublimi quodam elevatoque monte, cujus myſteria Verbo applicavit incarnato. Sequenti die in extaſi pariter, fuſam ſtupenda ſubtilitate, inter operationes JESU, quas obiit in utero Matris Mariæ, in cruce, obitque ſemper in ſinu Patris, inſtituit ſimilitudinem. Iterum Anno 1598. quando in diem Veneris, Sanctisſimæ pasſionis Chriſti myſterio ſingulariter oppropriatum, ſolemnitas incidebat S.S. Annunciationis, S. Mater in utriuſque Sacratisſimi hujus myſterii contemplatione à ſenſibus alienata, variis, miriſque diſcurſibus Verbi divini incarnationem, ſacræ ejusdem comparavit pasſioni. De Verbo incarnato varias habet conſiderationes.

4. Anno 1858. in ſanctisſimæ Aſcenſionis pervigilio, in extaſim ſublimata, vidit JESUM Beatisſimæ virgini ſanctisque colloquentem Apoſtolis ac tandem totum glorioſum cœlos conſcendentem; quem S. Virgo, dum corpore non poterat, conſtanti perſecuta eſt affectu, pluribusque verbis, miræ expresſivis devotionis. Iterum eodem Anno infra Pentecoſtes octavam, pluribus inſtructa fuit notitiis, reſurrectionem & aſcenſionem Domini in cœlos concernentibus. Eodem tempore, ſed in vigilia Pentecoſtes, cauſam intellexit in raptu, cur Spiritus ſanctus deſcenderit in terras; de cujus in anima juſta, operationibus, nec non de neceſſariis ad eum dignè recipiendum diſpoſitionibus, diſcurſus inſtituit fuſisſimos, nocte in- Chriſtũ videt aſcendentẽ, variaſq; tam de Aſcenſionis quam Pentecoſtes ſolemnitate expendit.

 ſequenti,

ſequenti; quæ ſimileſque extaſes, de Spiritu ſancto, per octiduum integrum tenuêre continuò diu noctuque, in Anno præcitato, quas omnes fusè expreſſas Lector reperiret apud eos, qui vitam Seraphicæ Virginis tradunt integram cum extaſibus, qui labor noſtri in præſenti non eſt propoſiti. Porro de præparatione ſpiritus, qua S. Virgo quotannis ad Pentecoſtes ſolemnitatem ſe præparabat, fusè egimus ſupra *lib.* 1. *cap.* 4.

SECTIO QUINTA.

De Devotione erga B. Virginem Mariam.

Satagit ad minus ſemper intereſſe Antiph. Salve Regina, ſi totis horis nequeat.

I. QUas Deiparæ ſanctisſimæ Eccleſia militans appropriavit tam publicas, quàm privatas precatiunculas, horas canonicas & Roſarium quotidie tam in choro, quàm in officinis venerabunda litavit Magdalena; ſi quando invitam à choro avellerent negotia externa, ut totis nequiret intereſſe horis, nihilominus incredibili ſemper zelo & induſtriâ, frequentare ad minus ſatagebat canticum, *Salve Regina*; quotidiè juxta laudabilem totius Carmelitani ordinis uſum, ſicuti in fine aliarum horarum, tam majorum, quam minorum legi; ita in Completorii termino cantari ſolitum.

Diverſis titulis Mariā inſignit.

2. Mariam illa ſuam identidem appellabat Matrem, & Magiſtram, quandoque & in extaſibus *Matrem amabiliſſimam*, præter alios titulos, quos ingenioſa quotidiè pietas, inque Deiparam Magdalenæ amor conglomerare noverat indefectibiliter. Eâ Mariæ Virginis utebatur familiaritate, ut aliquando in extaſi, JESUM infantulum ab eadem auguſtiſſima Cœlorum Regina petere non dubitarit, votique euaſerit compos.

Ad feſta D. virg. ſingulari devotione ſe parat. Cant. 8. v. 8.

3. Omnes ſanctiſſimæ Virginis ſolemnitates, ſingulari multorum dierum zelo, raris pietatis exercitiis, & pœnitentiæ operibus præoccupabat, ne vacua appareret in conſpectu Dominæ, *in die, quando alloquenda erat.* Specialiora devotionis erga Matrem miſericordiæ, exercitia. *vid. ſupra lib.* 1. *cap.* 3. §. 7. & *cap.* 4. §. 9.

Quæcūque à Deo accepta ſemper præſente virg. [ac]cepit.

4. Virgineam puritatem ſuam, patrocinio præſertim Virginis virginum, referebat acceptam, neque ullam à ſponſo cœleſti gratiam conſecuta eſt, niſi aut præſente, aut patrocinante Matre amabili, connubium Magdalenæ cum JESU dotem Coronæ ſpineæ, cordis-

Digitized by Google

cordiſque JESU theſaurum; quas S. Angelus Carmelita Martyr, & S. Ignatius, Societatis JESU Fundator, 18. Decembris 1594. illi impertiêre de puritate & humilitate illuſtrationes, quam illi ipſemet JESUS ſub candidi ſchemate Lilii donavit caſtimoniam, ſuâ ſigillatim cohoneſtavit præſentiâ virgo Maria, de cuius virtutibus præſertim autem virginitate, humilitate, fide, excellentiâ, diverſas habuit[diverſis vicibus revelationes & contemplationes], inter alias quidem, admodum Magnificam in vigilia obtinuit S. S. Annunciationis, Anno 1585. quando impenetrabili incarnationis Verbi myſterio contemplatrix immerſa, fuſos de puritate S. S. Virginis inſtituit diſcurſus, his tribus in idiomate latino uſa thematibus: *Virtus Altiſſimi abumbrabit tibi; Ecce ancilla Domini Domin⁹ poſſedit me ab initio viarũ ſuarum; ante quam quidquam faceret à principio.* Sed omniũ facilè auguſtiſſima fuerit illa, quæ contigit Anno 1593. 14. Auguſti, in vigilia aſſumptionis glorioſæ Virginis Mariæ; per duodecim continuas horas durante extaſi, quam fusè in libro de Mariæ Magdalenæ revelationibus & raptibus Lectori perhibent, qui vitam S. Virginis hujus tradunt enucleatiùs.

In extaſi de variis D. virg. virtutibus diſcurrit.

Luc. 1. v. 35. 38.

Prov. 8. v. 22.

5. Anno 1585. 12. Maij in extaſim ſublevata, poſtquam Salvatorem ad limbum vidiſſet deſcendere triumphantem, ad ſanctiſſimam Virginem, eadem in extaſi, converſa Magdalena, ita Matrem allocuta eſt Altiſſimi: *In pſalterio pſallam tibi, & adorabo ad templum ſanctum tuum; templum eras O Maria, tuusque templum erat filius; tu te contemplaberis in eo, atque ille ſeipſum intuebatur in proximis; tu templum eras tanta venuſtatis, ut dignè in eo talis offerretur victima; ſiquidem non ſanctificata, ſed immaculatè concepta es*; Deinde ſubiunxit: *Vidi thronum altum & elevatum, ſedentem in eo Mariam, Matrem Ieſu, varys circumdatam Lilys.*

Videt Chriſtũ ad limbum deſcentem

Pſ. 143. v. 9.

Pſ. 5. v. 8.

Oratio ejus ad beatam virg.

Apoc. 20. v. 11

6. Poſtquam Anno 1587. 5. Julii præceptum in extaſi accepiſſet à Domino rigidiſſimæ paupertatis, aſſumpto atramentario, calamo & chartâ, altare conſcendit B. Virginis in Eccleſia, inque ſinu Matris gratiæ ſequentem, quam jam conſcripſerat, emiſit novam votorum profeſſionem: *Ego ſoror Maria Magdalena facio profeſſionem, vovens DEO puriſſima ejus Matri & virgini Mariæ, S. Catharinæ Senenſi, S. Franciſco, totique Curiæ Cæleſti, obedientiam, caſtitatem, & paupertatrm*

Renovat profeſſionẽ ſuã Magd. in ſinu Deiparæ.

in eo

in eo rigore, quo eam modò à me exigit IESVS; cum firmo nunquam intermittendi propoſito, modò verè intellexerim ita ei placere, quemadmodũ modò intelligo, illum eſſe, qui paupertatis à me exigit obſervantiam. Ipſius itaq; confiſa ſubſidio & miſericordiæ, hæc vota mea elicio in manibus PVRITATIS MARIÆ. Si me novitatis redarguerint, novitatem eſſe negabo, ſed plenam Regulæ meæ, perfectamque impletionem, quæ nullum non decet Religionis Profeſſorem.

SECTIO SEXTA.

De Devotione erga ſanctos Angelos diverſoſque alios ſanctos; Item de gratijs & favoribus, quos ab ijs accepit.

Singulariter devota Angelis, quorũ plures perfectiones cognoſcit in extaſi.

1. DE quotidiana erga Angelos, totamque Curiam cœleſtem Magdalenæ devotione tractavimus ſupra *lib.* 1. *cap.* 3. plura, quæ dicenda ſuperſunt de eadem materia, breviter exhibere placet in præſenti; & primo quidẽ ſingulariſſimo ſemper cultu, tum Novem ſigillatim Angelorum choros, tum & ſpeciatim quidem, Angelum ſuum tutelarem proſecuta eſt, fructumque tulit devotio, quando S. Virgo varias de Angelicis perfectionibus, proprietatibus, functionibus, officiis intelligentias obtinere, notitiasque haurire meruit extatica; ſicut & vice quâdam ab Angelo ſuo tutelari ad contemplandas deduci acerbiſſimas purgatorii pœnas.

Patroni quos ſingulariter coluit.

2. Sanctos ſibi præ Reliquis nominatim Patronos, devotoſque habuit ſequentes: S Michaëlem Archangelum. S. Joãnem Evangeliſtam & Baptiſtam. S. Protomartyrem Stephanum. S. Angelum Carmelitam M. S. S. Auguſtinum, & Thomam Aquinatem. S. Albertum Carmelitam. S. Aloyſium Soc. J. S. Didacum Ordinis Minorum. S. Franciſcum Seraphicum. S. Ignatium Fundatorem S. J. S. S. Agnetem, & Catharinam V. V. & M. M. S. Catharinam Senenſem. S. Claram. S. Mariam Magdalenam.

S. Agnetem deprædicat. *Pſ 45. v. 3.*

3. In feſto S. Virginis & Martyris Agnetis à ſenſibus alienata, admirandos inſtituit diſcurſus, & multiplicavit contemplationes ſublimes in laudem dictæ ſanctæ, primò namque illa Pſalmiſtæ conſiderans verba (*& transferentur montes in cor maris*) in ſequentia prorupit verba: *Mons iſte ſapientia Dei eſt; mare autem Virgo Agnes, in cujus cor ſe divina tranſtulit ſapientia.* Atque exinde ad illorum ſe con-

Digitized by Google

ſe contulit S. Virginis & Martyris verborum contemplationem: *Amo Chriſtum, in cujus thalamum introibo; quem cum amavero, caſta ſum; cum tetigero, munda ſum; cum accepero, Virgo ſum. Mel & lac ex ejus ore ſuſcepi.* Quæ omnia verba, ſingulari contemplationis ſubtilitate elucidavit, & proſecuta eſt copioſius.

4. A S. Alberto Carmelita ſacram communionem excipere meruit, quam etiam ab eodem ſancto Reliquis vidit impertiri Monialibus. Item aliâ vice per ejus ſancti Merita, ſcilicet Anno 1588. 7. Auguſti, in ipſa S. Alberti feſtivitate, poſt ſuperatam Religioſæ apoſtaſiæ tentationem, candidiſſima circumdari meruit chlamyde à Jesu Chriſto. *vid. lib.* 1. *cap.* 8. §. 13. S. Communionē à S. Alberto accipit.

5. Anno 1600. 4. Aprilis, in extaſim ſublimata, inter cœleſtis paradiſi ſanctos Beatum vidit Aloyſium Gonzagam Soc. J. admiranda ſublimem in gloria, de cujus excellentia & virtutibus in eodem raptu, multiplicem formavit diſcurſum. Videt S. Aloyſium in gloria.

6. Coronam ſpineam coram S. Angelo Carmelita M. S.S. Auguſtino, & Catharina Senenſi obtinuit à Jesu. Item coram eodem S. Martyre & ſancta Catharina Senenſi, ſanctæ Virgini ſuum Jesus cor donavit Anno 1585. 12. Maij, cum quibus pariter ſanctis eodem tempore completorium cantavit Magdalena, quo terminato ſequentes immediatè ſubjecit in idiomate latino verſiculos, audientibus omnibus; *Ora pro nobis ſancta Dei genitrix; ora pro nobis S. Pater Angele; ora pro nobis ſancta Mater Catharina.* Iterum Anno 1585. Menſe Junij, in extaſim elevata horarum quinque coram S. Angelo Martye, S. S. Auguſtino, & Catharina Senenſi quatuor efficacia ſibi revelari vidit à ſponſo Jesu puritatis acquirendæ media, præter alias intelligentias; quando & S. Angelum *puri*, & S. Auguſtinum *veracis*, & S. Catharinam *dilecta* titulo condecoravit. Ab eodem pariter S. Martyre 1594. 18. Decembris varias hauſit circa humilitatem & paupertatem notitias; in medio S. Angeli & B. Ignatij Fundatoris Soc. J. qui eadem in extaſi, altiſſima profundæ humilitatis documenta tradidit extaticæ, apparente Cœlorum Reginâ. In quinquennali lacus Leonum antro, ſingulariſſimum præ aliis experta eſt, S. S. Angeli Carmelitæ, Auguſtini, & Catharinæ Sen. ſubſidium, opem, aſſiſtentiam juxta ſponſionem à Domino ſibi factam Anno 1585. 26. Maij porro de alia, quam de S. hoc Martyre habuit, viſione, ſermo fiet in libro ſequenti, cap. de Propheciis Diverſa dona cœleſtia coram ſuis Patronis, nominatim S. Angelo acquirit.

§. 5. Item de unctione ab eodem S. M. circa S. Virginem præſtita. *vid. ſupra lib.* 2. *c.* 17. §. 4.

7. In vigilia S. Auguſtini, Anno 587. dum completorio cum ſororibus aſſiſtens, caneret *Salve Regina*, S. Auguſtinum vidit æternæ circumdatum gloriæ ſplendoribus, noctéque inſequenti, tempore horarum matutinarum, circa earundem medium, ſenſibus alienata, cum eodem ſancto reſiduam recitavit, finiitque matutinalis officii partem. Anno 1585. ab eodem ſancto Eccleſiæ Doctore illa cordi ſuo imprimi ſenſit: *verbum caro factum eſt*; *vid. ſupra cap.* 18. *ſect.* 4. §. 2. in ejuſdem pariter ſancti, & Divæ Catharinæ Sen. præſentia, à Jesu deſponſari, variaque alia cœleſtia Chariſmata meruit obtinere. Iterum ab eodem ſancto ad purgatorii pœnas, animasque in ejuſdem ſqualentes penitius intuendas, in ſpiritu traducta & circumducta fuit.

Videt in cœlis S. Auguſtinũ, & cum eo horas recitat. Ioa. 1. v. 14.

8. A. S. Catharina Senenſi, cui ab incunabulis exſtitit perquam devotisſima, plurimos alios obtinuit favores præter commemoratos, quos omnes potius admirari nobis licuerit, quàm effari.

9. Anno 1588. in ipſa S. Didaci, ordinis S. Franciſci, Canonizationis ſolemnitate, Maria Magdalena ſingularibus ejuſdem ſancti adacta devotionis ſtimulis, partem gloriæ ejuſdem contemplari meruit in extaſi, in qua eundem ſanctum ſuum nuncupavit Patronum & Advocatum glorioſum; patrem, matrem, fratrem, ſororem, & ſponſum humilitatis; quæ ſingula enucleatius explanavit in raptu, quibus omnibus terminatis ad ſanctum denique converſa humillimis inſtitit precibus, ejusque inſtantisſimè imploravit auxilium & ſuccurſũ in diabolicarum tentationum periculis. Eodem Anno, Menſe Auguſti, in virtute imaginis chartaceæ S. Didaci, vinum corruptum priſtino reſtituit vigori & integritati, poſtquam ſignum S. Crucis ſuper vas, in quo corruptum attinebatur vinum, efformaſſet cum Icone ſancta.

Item S. Didacũ. Cum ejûs Icone miraculum patrat.

10. In feſto S. Joannis Evangeliſtæ in extaſim rapta, didicit S. Joannem Evangeliſtam trium principaliter virtutum beneficio, ſcilicet puritatis, humilitatis, & amoris, obtinuiſſe, ut *diſcipulus* nominaretur *dilectus*, in qua pariter extaſi eundem ſanctum Evangeliſtam ſuum appellavit *dilectum advocatum.*

S. Joa. Evang. cur *dilectus diſcipulus dicatur.* Ioa. 13. v. 23.

11. Singulari S. Thomam Aquinatem ob ejus caſtimoniam, proſecuta eſt cultu & veneratione, cujus gloriam vidit extatica in ejuſdem

dem

dem ſancti feſtivitate, quo tempore ejusdem ſancti manibus meruit inungi ſecundùm cordis regionem, omnesque ſenſus, contra quoscunque diabolicarum tentationum agones.

Colit B. Thomã ob caſtimoniã

12. Denique totius Curiæ cœleſtis applauſum cum admirabili variarum contemplationum ſerie, iterum, iterumque intueri meruit extatica, præſertim autem 21. Maij Anno 1585. de cujus eminenia, & dignitate aliquando in raptu diſcurrens, in ſequentia extaticam linguam laxavit verba: *Quis unquam continua, variaq; eloqui poterit, quæ O Verbum in tua, meaq; Patria peraguntur officia; alij te laudant, alij te adorant, alij tibi gratias agunt, alij tibi benedicunt, ſinguli perfectâ fruuntur, omnem intellectum humanum excedente, viſione & unione eſſentia tua. O ſponſe mi decore, quàm dulcis, quàm clemens, quàm amoroſus es, O ſponſe, O Verbũ, ſemper te hoc inſigniam titulo; O Verbum, O ſponſe, O ſponſe, O Verbum; omnes mei ſponſi verbi, videant, intueantur, mirentur pulchritudinem, dignitatem; Majeſtatem; cujus facies Solis obfuſcat claritatem, cujus oculi ſtellas, cujus veſtimenta nivem exſuperant ſplendore; omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. Intueamini O Cœli ſponſum meum, Sol, Luna, Stellæ, Planetæ venuſtatem & decorem ſuſpicite & obſtupeſcite ſponſi mei; adeſte creaturæ omnes, excellentiam & magnificentiam amoroſi mei contemplaturæ Verbi, accurrite ardentia ejus, quibus noſtram ſitit ſalutem, intuituræ deſideria.*

Totam cœleſtẽ curiam contemplatur.

Ac de ea in extaſi diſcurrit.

Pſ. 46. v. 2.

13. Ecce tibi amice Lector, quas ſpoponderam in hoc ſecundo libro Seraphicæ Magdalenæ virtutes, abundanter ſimul & tenaciter expreſſas; Seraphicæ tenaciter nimis perfectioni & ſanctitati, meæ, tuæq; abundanter ſatis eruditioni; vide itaq; anima mea, ut omnia indilatè feceris *ſecundùm exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte*; neque differendum actumes, ſiquidem.

Exod. 25. v. 40.

Labitur occultè, fallitque volubilis ætas,
Et celer amiſſis labitur annus equis.
Vtendum eſt ætate, cito pede labitur ætas;
Nec bona tam ſequitur, quàm bona prima fuit.
Non bene diſtuleris, videas, quod poſſe negari,
Et ſolum hoc ducas, quod fuit, eſſe tuum.
Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere; vivam;
Sera nimis vita eſt craſtina, vive hodie.

Digitized by Google

VITÆ
S. MARIÆ MAGDALENÆ
DE PAZZI,
LIBER TERTIUS
De gratijs gratis datis, miraculis, nec non de Beatificatione & Canonizatione.

DOctor Angelicus, gratias gratis datas novenarij conſtringit numeri limitibus, ſcilicet ſermonem ſapientiæ, ſermonem ſcientiæ, fidem, gratiam, ſanitatem, operationem virtutum, Prophetiam, diſcretionem Spirituum, genera linguarum, & interpretationem ſermonum; quas dum in Seraphica Virgine ſuſpicio humiliter, æqualem undequaque offendo ſtuporis, & ſermonis materiam, uberrima inter immenſos cœleſtium chariſmatum, donorumque campos, favente præconiorum ſegete, atque inter ardentes divini amoris æſtus, maturâ arridente, laudum Mariæ Magdalenæ Meſſe, in hac novem jugerum amplitudine; ſed brevitatis amore, gratias tantummodo principaliores attingam, quarum hujuſque nullam, aut ſuperficialem duntaxat ingeſſi mentionem, nulla itaque in præſenti de ſermone ſapientiæ & ſcientiæ (quarum hæc, humanorum, illa divinorum eſt cognitio) verba facere juvat, cum utramque tam in libro primo quàm ſecundo abundè expreſſam arbitrer; neq; fidei meminiſſe lubet fuſius, quàm ſinguli ſpirant apices; diſcretio ſpirituum, quæ occulta cordium penetrat, & manifeſtat, exhibetur *lib. 1. cap.* 19. per tot. Genera linguarum, & interpretationem ſermonum potius eructant, quàm loquantur S. Virginis extaſes, raptus, contemplationes; tantùm itaque in præſenti Prophetiam, gratiam ſanitatum, atque operationem virtutum, Lectori exhibere concluſum eſt, & quidem ſub omni poſſibili brevitate, dum hæc chariſmata, plus ſcientiæ, quàm conſcientiæ, plus admirationis, quàm converſionis; plus contemplationis quàm operationis; plus denique ingerere ſoleant ſtuporis, quàm amoris: quare ſit.

CAP-

Caput I.

Spiritu Prophetico plurima prædixit futura.

1. QUam ſupernaturalium illecebrarum replere ebrietate, quàm extaſium, raptuum, divinorum theamatum, viſionum, revelationum illuſtrare charitate dignatus eſt Dominus, ſpiritu pariter dotavit Prophetico Magdalenam, quæ ex divina revelatione futuros rerum eventus immobili veritate denunciavit plurimos, quorum principaliores, & à ſacra rituum congregatione, in proceſſu approbatos commemorabo in præſenti.

2. Anno 1586. 29. Septembris, dum annum ætatis ageret vigeſimum & ſex Menſes, Cardinali *Alexandro Medici* Archiepiſcopo Florentino, dignitatem prædixit papalem, ejuſdemque brevitatem; Aſſerti veritatem comprobavit eventus; ſiquidem Clementi Octavo in Pontificatum ſucceſſit, dictus Leo XI. vixitque in Pontificatu dies duntaxat viginti ſex. Prædicit Car. medicæo ſummũ Pontificatum.

3. Anno 1590. extatica in plurium præſentia Monialium, adventuram prædixit Virgunculam ex Regionibus longinquis, quæ eo in cœbio Religioſam petitura veſtem, neque citra difficultatem obtentura foret; eidem jam præſenti, & ex Portugallia, Anno 1595. advenæ, ipſo inveſtitionis die varia pariter in raptu prænunciavit, neque jota unum, aut unus apex incaſſum cecidit verborum Mariæ Magdalenæ. Item ingreſſũ cœnobii alicujus peregrinæ virginis.

4. Anno 1591. Cardinalis Medices, idem qui ſupra Archiepiſcopus Florentinus, Cœnobio S. Mariæ ab Angelis directorem præfecerat, Dominum *Franciſcum Benvenuti* Canonicum, domuſque Metropolitanæ pœnitentiarium. Provinciam acceptavit Franciſcus, animo nunquam à confeſſionibus ſerviendi, aut communionis Sacramentum adminiſtrandi Monialibus, niſi per ſubſtitutos; propoſitum intellexit Maria Magdalena, quæ poſtmodum in raptu conſtituta, aſſeruit aliquoties, directorem prædictum, mutato animo, Monialibus ab utroque dicto ſervitio ſpirituali futurum in perſona propria, Patres Societatis Jesu, iiſdem in Verbi divini præcones aſſignaturum, & tandem non niſi uſque ad medietatem Annorum, quos ejus in regimine tranſegerat prædeceſſor, victurum in gubernio ſuperſtitem; perq; omnia & ſingula reſpondit ſucceſſus vaticinio. Circa Confeſſarium varia prænuntias.

Digitized by Google

Uti & notabilem virginis cujusdam ad ſtatum Religioſum reſolutionem

5. Anno 159·. Menſe Novembri, *Leonora Carlini* adoleſcentula vitam Monaſticam ſibi eligendam ſtatuerat; ſed quam è tribus ſolemnioribus Florentinæ urbis R. R. P. P. Franciſcanorum, Dominicanorum, & Carmelitarum, ſibi deſponſaret parthenonem, ancipiti voluebat animo, nullo mortalium conſcio; Cœnobium interim ſubiit S Mariæ ab Angelis, iſtarum vitam & converſationem exploratura Monialium, eodemque introitus illius die in Monaſterium, S. Virgo coram puella, cum incredibili omnium ſtupore & ſolatio, in extaſin rapta, penetravit virgunculæ ſecretum, quando vidit tutelarem Leonoræ Angelum, ſcalam manutenentem, cujus ſummitas cœlos tangebat, dubiumque, cui è tribus Monaſteriis eam admoveret; moxque ſupervenientes S. S Franciſcum, Dominicum, & Angelum Carmelitam, dictorum protectores locorum, qui ſinguli æmulo zelo decertantes, aiebant ad invicem: hæc mea erit, atque illicò in raptu ſubiunxit Magdalena voce ſonorâ: *Angelus Martyr vincet*; quo dicto, audiit JESUM cuſtodi Leonoræ Angelo præcipientem, ut ſcalam muris Monáſterii applicaret Carmelitani: atque exindè S. Virgo in raptu ad puellam converſa, ait: *ſcalam, quâ in paradiſum conſcendes, Angelus tuus cuſtos huic applicavit Monaſterio, Dei namque voluntas eſt, ut hoc in Cænobio Monialem profitearis; ipſeque gratiam tibi impertietur omnes ſuperandi difficultates.* Moxque puella occultiſſimas mentis ſuæ cogitationes divinitus propalatas, ſimulque ſe eadem in parthenone, ſacrum aſſumendi Religionis habitum deſiderio ſuccenſam advertens, cum Monialium licentia, domum repetiit, difficillimum patris, fratrisque germani extortura conſenſum, quorum tandem voluntati, atque importunis contradictionibus, longè licet invitisſima ceſſura Leonora, Anno ſequenti ſub quandam Menſis Januarii veſperam, paterno ſtatuit acquieſcere beneplacito & diſpoſitioni, mentem itaque ſuam Patri indicatura, ſe in pedes erexit, proceſſitque; aſt in ipſo cellæ limine, vi occultâ ſe fortiter attineri, repellique ſenſit; ſecundâ igitur, tertiâque vice iterum tentavit egreſſum, ſed irrito ſemper effectu, occultam ſemper paſſa repulſam; quare in ſemetipſam reverſa, errorem agnovit, veniamque à Matre miſericordiarum ſupplex petiit, ante piisſimam ejusdem proſtrata imaginem. Eâdem igitur noctis horâ, ſcilicet primâ, poſt Solis occaſum, Mariam Magdalenam in raptu conſtitutam, ſorores circumſtantes ſonorâ audiêre

audiere voce clamantem, tribus interpolatis vicibus, *columba avolare nititur, tene eam ô IESV*; ſenſibuſque reſtituta, recenſuit in virtute obedientiæ, dictam Leonoram in Columbæ ſpecie à ſe viſam, vocationi religioſæ renunciaturam, ſed divinâ ſubnixam ope trinos vicisse tentationum impetus; poſtridiè itaque vocatam virgunculam interrogantes moniales, reſponſum tulêre, per omnia conformiſſimum Magdalenæ dictis.

6. Anno 1590. ſororis *Mariæ gratiæ Gondi*, juniorum pro eo tempore pædagogæ, atque integerrima totius corporis incolumitate fruentis, mortem prænuntiavit Novitiarum Magiſtræ ſeu directrici, paucis poſt obventuram diebus; aſſertoq; correſpondit ſucceſſus lethalis, infra dies quatuordecim. Morte variis prædicit.

7. Anno 1594. in Monaſterio S. Mariæ ab Angelis, monialem profiteri ſtatuerat nobilis quædam Virguncula, ſed obſtinatum, piiſſimisque contrarium votis, inclinare nequit matris animum in favorem ſuum. Sancta itaq; Maria Magdalena matri, ni filiali inſtantiæ moram gereret, intempeſtivam, tàm intra quàm extra raptum, mortem in ſupplicium obventuram denunciavit, cujus tandem beneficio filia optatis religioſæ potiretur vitæ deſideriis: perſtitit, nihilominus obſtrepera filiæ mater, quâ eodem anno, fatis cedente, filia pariter juxta Magdalenæ vaticinium ſæculo ceſſit, eodemq; in monaſterio multos ſuperſtes religioſa transegit annos. Nominatim uni impediēti ingreſſum religionis filiæ.

8. Eodem anno, uni ſororum repentinum prædixit, & infortunatum vitæ exitum, ſiquidem abſq; Eccleſiæ ſacramentis diſceſſura eſſet; vaticinium tragicus paulò poſt confirmavit exitus, quando ex improviſo dicta ſoror cujuſdam in pectore venæ rupturam paſſa, tantam ſanguinis copiam evomere cœpit, ut unus idemque dies, qui lethalis fuerat accidentis ſpectator & teſtis, agonizanti quoque parentarit abſque ſacramentis.

9. Anno 1594. cujuſdam, eodem in Cœnobio emortuæ Monialis, animam in paradiſo conſpexit glorioſam extatica; ſimulque quatuor vidit ejuſdem Monaſterii contremiſcentes columnas, quatuor principaliorum, conſilio gubernioque inſignium, deſignativas viventium ſororum, quæ non multò poſt è vivis erant migraturæ, quintamque conſpexit columnam, firmam, ſororis Evangeliſtæ expreſſivam, quam longo poſt tempore vidit prædixitque ſupervicturam; propheтiam fuiſſe

proxima

Digitized by Google

proxima docuit, eaque ſucceſſiva quatuor inſigniorum Monialium mors, & longæva Matris ſororis Evangeliſtæ nonagenariæ vita, quæ à vaticinii illius tempore adhuc ſuprà triginta incolumis traduxit annos.

Deſignat eas quæ ſibi morienti aſſiſterẽt.

10. Sancta Mater ſeptem ante mortem ſuam annis, dum Magiſtram ageret Novitiarum in familiari colloquio, ſuas affata Tyrunculas, quibusdam earum nominatim annunciavit, eas ſibi morienti aſtituras; una itaque illarum ſibi injuriam quodammodo factum rata, cui nomen erat *Eliſabetha*, quod non eſſet à Matre inter reliquias ſancti ejus obitus teſtes annumerata, ſubjunxit: Mater Magiſtra, prior itaque mihi moritura videor, quare obſecro aſſiſte mihi, animam agenti; cui Prophetico Spiritu ſancta Mater: *Te moriente vivam quidem ego, ſed infirmæ aſſiſtere non potero.* Veritati correſpondit eventus, ſiquidem omnes per Magdalenam non deſignatæ Novitiæ, ante S. Matrem obière, & Eliſabetha exſpirante, S. Virgo graviſſimo afflicta morbo detinebatur in grabato, alienæ indiga opis; nec non reliquæ omnes, quotquot deſignarat Magdalena, felici S. Matris exitu gaviſæ fuére præſentes.

Infirmæ ſanitatẽ.

11. Soror Maria *Vincentia Dati* ſex annorum ſpatio, Maleſana contabuerat in dicto Monaſterio, ab Anno 1592. Menſibuſque octodecim atroces exantlarat febres, in vanum Medicorum experta opem: pro ea itaque ut ſuas ad ſponſum preces effudit Magdalena, ſigno Crucis ſuper eam efformato, prædixit decubuæ, quod paulatim modo quaſi naturali ſuam eſſet recuperatura valetudinem, nec non multis poſtmodum annis in omnimoda corporis incolumitate, omnes Cœnobii functiones, laboreſque obitura. Trium itaque menſium ſpatio, integrè reconvaluit, longo exhauſta multiplicis morbi malo, atq; ſedecim inſuper ſuperſtes annis exactiſſimæ vacavit vitæ & regularitatis communis obſervantiæ.

Sterili prolẽ, ac miſerias, ſi Deo nõ conſecretur, ex ea orituras prædicit.

12. Nupta quædam in ſæculo, orationibus S. Matris, prolis à Deo ſtatuerat extorquere fæcunditatem, roganti filiam ſpoſpondit Magdalena, eâ conditione, ut orationis fœtum ſervitio divino conſecraret in Religione ſacra; ſin minus, tàm Mater quàm filia pluribus ſe eſſent implicaturæ miſeriis. Peperit ſterilis precum beneficio, nutrivit, nubilemque nobili Marchioni deſponſavit filiam Mater, quando poſt pauci temporis intervallum, infelix gener tamquam ſuo rebellis Principi, pœnas luit, publicæ ludibrium juſtitiæ,

Digitized by Google

ſtitiæ, ad perpetuam Matris, uxoriſque ſuæ confuſionem & ignominiam.

13. Anno 15 8. *Mariam de Berti* juvneculam urgebat matertera, ut Monaſterium S. Mariæ ab Angelis ingrederetur profeſſura; importunis itaque ceſſura veris Cœnobium quidem adiit, ſed animo longè alieniſſimo, neque unquam ut rebatur, ad hanc inducenda parthenonem, in raptu itaque aliquando conſtituta S. Mater, his dictam adoleſcentulam affata eſt verbis: *Non modò non credo, ſed & certa ſum, quia noſtra eris; ita ut ſi Angelus quicunque, mihi contrarium aſtrueret, ego eum dæmonium eſſe dicerem, mendaciorum Patrem; ſuo Ieſus rore tuum emolliet, tuque omnes victrix ſuperabes difficultatus.* Corporis, non cordis aure effatum excepit virgunculæ pertinacia, in ſæculum regreſſæ; donec tandem ab eo, qui, ubi vult, ſpirat, in deſertum vocata Carmeliticum; ſuâ redux humillimâ inſtantiâ, inveſtitione & profeſſione Propheticum fuiſſe S. Virginis ſermonem, in ordine nuncupata, ſoror *Maria Magdalena.*

Virginibus aliquas ſacrum habitũ aſſumpturas prædicit.

Docuit

14. Eadem hæc Monialis *Franciſcam Sommai*, quadrimam, æqualis puellam ſimplicitatis atque innocentiæ, ipſo eo tempore in D. Catharinæ Cœnobio, ut ſanctè educaretur, collocatum à parentibus, ſuæ ambiebat aliquando ſociam profeſſionis, quæ ſanctiſſima animi vota dum crebris commendaſſet Seraphicæ Virginis orationibus, tandem audiit ab extatica: *acquieſce filia, ſiquidem Franciſcam Sommai noſtro mihi IESVS exhibuit indutam habitu.* Labentibus annis, de eventus certitudine ancipites fortè Novitiarum aliquæ, S. Matrem rogavêre, ut ſuis apud Deum precibus dictæ inveſtitionem promoveret adoleſcentulæ quibus indilatè Magdalena: *De Franciſcæ hoc in loco profeſſione ne quidquam dubito, aſt nunquam in veſtra erit Societate.* Vaticinium poſt duorum annorum ſpatium, Franciſcæ comprobavit inveſtitio, dictarumque Novitiarum in probationis annis deficientium, ante virgunculæ introitum in Religionem, dimiſsio.

15. Aliàs Spiritu aſſeruit Prophetico, puellam quandam ad illud Monaſterium divinitùs vocatam; cui S. Spiritus impulſui ſi reſiſteret obſtrepera, fore ut in propriam, Matriſque cervicem, divina provocaret, atque agglomeraret ſupplicia Religionem filiæ infortunata diſſuaſit Mater, cum maximo corporali utriusque malo, dum filia in plurimas corruit præcipitata tribulationes, Matremque

Mala prædicit vocationē ſuam negligenti.

Digitized by Google

peſſimus infecit cancer, qui acerbiſſimos inter dolores, miſeræ mulieris totum denique conſumpſit corpus & vitam.

Sacrâ communione moniali mirabiliter concedendâ prædicit.

16. Quædam S. vitæ Monialis, inter morbos & infirmitatum ardores, flagranti cœpit ſanctiſſimi ſuſcipiendi Altaris Sacramenti æſtuare deſiderio, quod, ut S. Matri indicarat, reſponſum tulit: *advigila eâ ipsâ, quâ ſorores communicant horâ, quoniam ſolatium tibi afferet IESVS.* Prophetiam fuiſſe prodigioſus docuit eventus, quando, unâ ſacrarum hoſtiarum dextram ſacerdotis, reliquas ſorores communicantis, inviſibiliter ſubterfugiente, neque poſt quamcunque induſtriam reinveſtigabili, poſtmodum profeſſa eſt decubua, ſe eodem tempore ſynaxin ſacrā ſenſibiliter recepiſſe à Domino.

Reginæ Galliarum tribus votis conſenſurum Deum prædicit, ſi illa tria repromitteret.

17. Anno 1600. Menſe Octobri, Sereniſſima Principiſſa *Maria Medices*, *Henrico IV.* Galliarum Regi deſponſata, abitum maturabat in Franciam; ſed Regno temporali æternum præferre certa, prius ſibi ſanctitatis oraculum conſulendum duxit, Mariam Magdalenam, tres ſibi ſequentes favores, S. Virginis precibus, poſtulatura cœlitus; primum, ne tranſitoriæ Majeſtatis ſublimitas præjudicaret æternæ; ſin minus, ſe potius abiurato ſceptro panem oſtiatim mendicaturam: ſecundum, ut conſtanter amaretur à ſponſo; tertium, ut prolium maſcularum, dotaretur fœcunditate. Piiſſimis votis, ſingulariter autem quo ad tertium punctum, ſuperos aſpiraturos appromiſit Magdalena, modò & ipſa trinis, quas S Virgo à Regina petiit reciprocas, annueret gratiis; primæ, ut ſuâ apud Regem inſtantiâ Patres Societatis Jesu, reintromitti efficeret in Regnum Galliæ, maximum in hujusmodi ſervitio, præſtitura Deo obſequium; ſecundæ, ut totalem promoveret hæreſium exſtirpationem; tertiæ, ut diligeret pauperes. His utrimq; ſtabilitis, & appromiſſis, S. Virgini ſimul & Florentiæ valedixit Regina, poſt cujus diſceſſū, eodem illo ſæpius Anno prædixit Magdalena, fœcundā plurium partuum maſculorum matrem futuram eſſe Reginam, ſanctoq; vaticinio paucorum ſecundavit annorum ſpatium.

Mortē duabus monialibus.

18. Sorori *Mariæ Gianfigliazzi*, profesſionem emittenti, S. Mater imminentem proximè mortem denunciavit in raptu, illaque poſt ſex à profesſione Menſium curriculum exſpiravit, cujus animam tertio poſt mortem die in paradiſum vidit ſublimari glorioſam; quando pariter didicit inſtantem unius novitiæ obitum, ſororis *Mariæ Innocentiæ Dati*, quæ eo tempore incolumis, poſt breve ſpatium immaturo funere veritatem perhibuit Prophetiæ.

Digitized by Google

19. Infirmi duo, quorum uni nomen erat *Philippus Caccia*, languorem ſuum precibus recommendarant S. Virginis; neque reſpuit charitatis officium Magdalena, quæ factâ oratione, huic, mortem, alteri annunciavit vitam & ſanitatem; qui proinde, Philippo per ejuſdem morbi violentiam è vivis ſublato, convaluit ſuperſtes.

Infir. mo ſanitatẽ alteri obitum

20. Aliquantula infirmitas ſororem *Benedictam Vettori* abſque ulla gravioris mali ſuſpicione, attinebat decubuam; cujus nihilominus mortem infra unius Menſis ſpatium imminere prædixit Magdalena; vaticiniumque confirmavit inſpiratus eodem Menſe dictæ ſororis obitus.

Item alterius monialis mortẽ prædicit.

21. Suam pariter ſæpè ſæpiùs ipſamet prædixit mortem tempuſquê mortis Anno 1606. Medicis olei ſancti Collationem urgentibus, propter præſentiſſimum mortis diſcrimen, ſe diſceſſuram negavit, atque exinde anno integro vixit ſuperſtes. Optatiſſima pariter fruens corporis valetudine, ipſi Prioriſſæ, triginta annis Seniori ſe, multoties, ſe prius obituram, quemadmodum eventus docuit, prænunciavit.

Uti & ſuam propriã diverſis vicibus

22. Uno circiter ante S. Matris obitum anno, infirmam inviſerunt *Maria Magdalena Berti, & ſoror Maria Sommaia*, cum ſorore *Alexandra del Beccuto*; hujuſque ultimæ, tum corporis, tum animæ dotibus præclariſſimæ, vates denunciavit, quòd ſe morientem proximè ſubſecutura foret; quam circumſtantes cum riſu veluti inanem exceperant aſſertionem, ſecundo poſt S. Virginis obitum Menſe, patuit Prophetia.

23. Anno 1607. In Cœnobio S. Mariæ Angelorum Soror obierat *Vrſula Viuuoli* 25. Aprilis cujus mortem S. Virgini lecto affixæ, annunciantibus ſororibus, reſpondit Magdalena: *Ego pariter hodie poſt Menſem migrabo.* Cui confeſtim una ſororum: ne Aſcenſionis ſolemnitatem tuo contriſtes obitu ô Mater, quibus verbis Prophetico mox ſpiritu replicavit Magdalena: *In feſto Aſcenſionis ego vobis præſens adero ſuperſtes.* Vaticiniũ fuiſſe docuit ſucceſſus, ſiquidẽ feſto Aſcenſionis, in vigeſimũ quartũ Maij incidente, 25. ſancta exſpiravit Virgo, integro poſt ſororis Urſulæ obitũ, ut prædixerat, Menſe.

24. Eodem Anno, Menſe Maij, S. Virginem extremæ Sacramento unctionis præmuniri ſuaſerat, & perſuaſerat Medicorum vigilantia, vix duos trinoſue ſibi promittentium vitæ ejus ſuperſtitis dies; ſed quæ magis in cœleſtis Medici

Digitized by Google

dici præſtantia, quàm in fallibili confidere didicerat Æſculapiorum arte Magdalena; aſſeruit audacter, edocta coelitùs, plures ſibi ſupereſſe vitæ dies, & ſe uſque ad *Vincentij Puccini*, ſpiritualis directoris ſui, è monte Senario reditum, in vivis perſtituram certum omnes ſuſpexerant & obſtupuerunt vaticinium S. Virginis, in quam ante prædictum tempus, nihil juris mors exercere præſumpſit, quantumvis humanitus diu conclamatum fuiſſet.

Mortẽ alteri ſorori ſtati. poſt ſuam obveniendam prædicit.

25. Eodem tempore, quo Maria Magdalena indefectibiles ſponſi amplexus, lethali proximè præſtolabatur ingrabato, gravis aliam pariter ejuſdem Cœnobii Monialem *Mariam Victoriam Ridolfi* premere cœperat infirmitas, quam opprimendam verita Mater Prioriſſa, medicas interpellavit S. Virginis preces; aſt hæc divino potius beneplacito, quàm carnali Superioris affectui ſuffragari certa, ubi citra obedientiæ præceptum, rem actitari advertit, Priorſſæ hæc protinus in verba reſpondit: *Mater, voluntas Dei eſt, ut moriatur Maria Victoria, paucis poſt mortem meam diebus.* Sexto itaque poſt S. Virginis obitum die, veritas innotuit vaticinii.

26. Aliam, quâ profeſſionem ſuam prædixit Novitia, in *l. 1. c. 2.* §. 10. commemoravi Prophetiam; atque hæc breviter, de Prophetiæ dono, quod ſingulariter eminuit in Magdalena, ſuffecerit inſinuaſſe; præter quæ certum eſt, plurima noſtram ſubterfugiſſe notitiam, quorum præviam diverſis temporibus intelligentiam & certitudinem hauſit extatica, ſed nulli mortalium revelavit humillima; nunquam coram ſororibus, aliiſque ſæcularibus extra raptus aut extaſes vaticinari ſolita, niſi, aut Superioris adigeret præceptum, aut proximi ſalus, vel ſingularis Dei honor ſuaderet ac gloria; unde & in raptibus ſonorâ quandoque voce inſtanter ſupplicantem audiêre ſorores: *Ne mihi Domine hujuſmodi revelaveris, eorum tu tibi omnimodam reſerva notitiam.*

CAPUT II.

Qualiter reprocul diſitas & abſentes cognoverit.

1. PRophetia, quæ primò & principaliter eſt de futurus contingentibus, ſecundarium munus habet, veritates manifeſtare exiſtentes, humanâ impenetrabiles facultate, quâ pariter prærogativâ excelluit Magdalena, quæ res multoties abſentes, veluti ſi

præſentes

Digitized by Google

præſentes forent, penetravit; prout in articulo præſenti evincemus.

2. *Franciſcum Santucci* Florentinum Nobilem exſpirare vidit in raptu, eundemq; S. Franciſci Seraphici meritis & interceſſione, cui ſemper vixerat devotiſſimus, æternam obtinuiſſe ſalutem. Miſſis itaque Nunciis veritatem, quemadmodum, inſinuarat extatica, intellexêre Moniales, eâdem horâ quâ S. Virgo à ſenſibus alienata mortem intimarat abſentis, emortuo Franciſco.

Abſens morientem videt.

3. Dum S. Mater Novitiarum ageret pædagogam à ſorore Evangeliſta, Magiſtra & directrice ſua ſpirituali, à cujus nutu tota dependebat, ſubitam ex improviſo licentiam petiit, duas adeundi Novitias, quæ in remotioribus Cœnobii locis ſiniſtrum de proximo inſtituebant colloquium; abiit, reperit, acriterque ræpræhendit linguas detractrices.

Abſens detrahentes cognoſcit, acre reprehendit.

4. Anno 1586. in raptu conſtituta, literas ſorori *Conſtantiæ Morelli* ſcribendas dictavit, ad ſororem *Catharina de Ricci*, in S. Vincentii parthenone Monialem, magnæ, raræque virtutis & ſanctitatis perſonam ablegandas, ad diſtantiam decem milliarum Italicorum. Diceſſerat portitor, quando raptum per multas exinde horas eundem continuavit Magdalena, inque ipſo Nuncius vidit literas conſignantem ſorori *Catharinæ*, ipſamque *Catharinam* ſcribentem; quod quaſi in raptu legiſſet, vultu conturbari, oculis que ac verbis nimiam oſtentare indignationem, eò quòd reſponſorias exarari videret, ſuo contrarias beneplacito; exinde clauſas pariter ſororem *Catharinam* reextradere conſpexit. Reducem, quâ horâ Catharinæ literas conſignaſſet, quâque reſponſorias ab eodem recepiſſet, piaculum interrogavit Mater Prioriſſa; ſingulaque didicit relationi conformia Magdalenæ; & ſpeciatim quidem, quòd reſponſio à S. Matris, aliarumque ſororum voluntate & deſiderio foret alieniſſima.

Longè diſtans literas extradi videt earumque ſucceſſum cognoſcit.

5. Anno 1591. Refectioni ſerotinæ aſiſtens cum reliquis ſororibus, ſubitaneo motu, in pedes ſe ſe erigens, ad Matrem accurrit Prioriſſam cum dicto: *Anima tranſit.* Nulla ſororum, ſenſum penetrabat verborum Mariæ Magdalenæ, quam proinde è refectorio cum ſuperioris licentia feſtinè properantem, aliquæ inſecutæ ſunt Moniales, quas S. Virgo ad unam ſororum converſarum, *Matthiam Focardi* in extrema mortis lucta conſtitutam, ſecum abduxit; animam agonizantis Deo inſtantiſſimè commendavit, moxque fatis conceſſit, quæ ſanato infecti pedis ulcere, nullum uſque modò ediderat vicinæ mortis indicium.

Abſens ſororē agonizare intelligit.

Digitized by Google

Præſentiam confeſſarii abſens cognovit ſæpius.

6. Aliàs corporalis refectionis tempore, à ſenſibus alienata furcinulâ bolum elevarat, jam jam ori imponendum, quando in ſpiritu præſentiam cognovit Patris Confeſſarii in Eccleſia, quem alloqui geſtiens, extatica ſurrexit è mensâ, furcinulam manu tenens, hocque decora ſceptro Eccleſiam adiit, Confeſſarium inviſura, qui fortè fortuito, eo momento Eccleſiam intrarat. Diverſis pariter aliis vicibus in procul diſſitis ab Eccleſia locis, adventum, præſentiamque cognovit Confeſſarii, ad ſuas ſubinde inquiens circumſtantes ſorores: *Confeſſarius in Eccleſia Monialium excipit confeſſiones, egoque Chriſti ſanguinem ſuper animas illas deſcendentem contemplor de cœlis; ibo itaque & ego, ut ejusdem efficiar ſanguinis particeps.* hisque dictis ad pœnitentiæ Sacramentum, ſitibundæ inſtar ſeruæ properabat, cujus veſtigiis reliquæ inhærentes ſorores, veritatem compererunt, S. Virginis uniſonam aſſerto, toties quoties; quantumvis Patris confeſſarii eo tempore & horâ neutiquam exſpectaretur adventus. Aliis pariter vicibus P. Confeſſarium ſuum in ſpiritu vidit domo egredientem, pro excipiendis Monialium confeſſionibus, quando inſtantem, vix S. Virgo prædixerat adventum, quin ipſe Confeſſarius ſuâ veritatem ſtabiliret præſentiâ.

Sermones perſonarū diſſitarum intelligit.

7. Anno 1600. in corporis Domini pervigilio, S. Mater, quæ Novitiarum tunc temporis Magiſtram agebat, ſororem ad ſe accerſivit, *Mariam Magdalenam Berti* novitiam, quæ ante in Religionem ingreſſum pœnitens vixerat R. P. Rectoris Societatis Jesu, eidemque quid illâ horâ P. Rector colloquiorum miſceret cum reliquis Patribus, qualiter ſingula verba ex S. Spiritus informatione proferret, retulit ad amuſſim; dieque poſtero, ubi idem P. Rector tanquam extraordinarius ad Cœnobium S. Mariæ Angelorum acceſſit Confeſſarius, omnia profeſſus eſt, Magdalenam pentraſſe, quæ in Religioſis conferentiis colloquia inſtituerant Patres die præterito.

Occulta cogitationū penetrat.

8. Singulari pariter cordium, internarum cogitationum, & tentationum cognoſcendarum beneficio polluit S. Maria Magdalena, quam prærogativam ab aliis fusè equidem indigitatam reperio, aſt doti huic fuſius enucleandæ ſuperſedeo in præſenti, tum brevitatis amore, tum quia aliquam ejusdem mentionem ingesſimus *lib.* 1. *cap.* 19. id ſolum mihi ſuffecerit inſinuaſſe Lectori, quòd ſæpè ſæpius occultisſimas quaſcunque tam præſentium quàm abſentium penetrarit cordium cogitationes, motus, conceptus & tentationes; præſertim autem Novitiarum, animarumque ſuæ concreditarum

rum

Digitized by Google

rum curæ & directioni , quas proinde, ut citato probavimus loco, contra quoſcunque tentationum impetus præmuniebat efficaciſſimè, atque per omnem ſanctitatis & perfectionis tramitem, de virtute in virtutem pede traducebat inoffenſo.

9. Diverſarum pariter animarum, mortalis exutarum corporis vinculis ſtatum vidit, aliarum glorioſum, aliarum pœnalem in purgatorio, infeliciſſimum aliarum in inferno. Animam vidit Matris ſuæ carnalis, anno 1590. Menſe Septembri, 15. poſt obitum die, cœleſtibus glorioſam annumerari matronarum catervis. Iterum anno 1589. 5. Junii, in Cœnobio S. Mariæ ab Angelis, animam ſororis unius poſt quindecim à morte horas, incorruptibili conſpexit inter virgineos cætus amiciri chlamyde, in præmium voluntariæ, ejuſdemque conſtantis in vita patientiæ, nec non æſtimationis, quâ theſaurum appretiata fuerat, ſibique applicarat ſanctarum Eccleſiæ Indulgentiarum. Anno 1598. circa finem menſis Octobris animam pariter conſpexit mirè glorioſam, Sororis *Mariæ Bagneſi*, aureo circumdatam amictu, in mercedem charitatis & humilitatis. Anno 1588. 3. Februarii, alterius ſororis ſuæ animam intuita eſt, admirandâ cinctam gloriâ, meritis opulentam, in medio Angeli ſui tutelaris, & S. Miniati, cui, dum viveret, ſingulariter exſtiterat devota. Diverſorum defunctorum videt ſtatum.

10. Præter ſupradictas prærogativas & favores, varias alias, typus publicus jam evulgavit, quas S. Virgo in extaſibus dictavit & ablegavit literas, ad Pontificem ſummum, ad Collegium Cardinalium, alioſque Eccleſiæ Prælatos, in quibus tum fidei catholicæ promovendæ zelum, tum ſanctæ Eccleſiæ & Religionum urſit reformationem. Quæ omnia pariter manu ſcripta, ſicut & alia plura, quæ lucem necdum viderunt, in Monaſterio ſanctæ MARIÆ ab Angelis Florentiæ aſſervantur. Literas ad ſummũ Pontificem & cardinales ſcribit.

CAPUT III.

De gratia ſanitatum, quam præſtitit in vita.

1. GRatiam pariter ſanitatum, curationum, ſimiliumque aliorum miraculorum, virgineo nutui obſequentiſſimam habuit

habuit in terrris hodieque, immaculata quòcunque ierit, agnum ſequens, circumducit in Cœlis Maria Magdalena, dum varias præſentium & abſentium infirmitates, abſque ullo humanorum Medicorum aut Medicaminum interventu, curavit feliciſſimè, ante & poſt obitum, prout diverſæ atteſtantur diverſarum provinciarum & Regionum Civitates, quarum non paucæ Cappellas, Oratoria, & Altaria S. Virgini conſecrarunt in gratitudinis Mnemoſynon. Horum itaque prodigiorum aliquot, eaque omnia authentica Libabo in hoc, & capitibus ſequentibus; in primo quidem, quæ ante Mortem in via, in reliquis, quæ poſt mortem in patria per ſponſam ſuam, ejusque meritorum intuitu, operari dignatus eſt Dominus: Quibus in ſanctitatis Magdalenæ commendationem, pauca alterius generis miracula ſubnectemus. Ita tamen ut per omnia & in omnibus laudetur ille, qui in cunctis operatus eſt, & operatur principaliter Deus.

Infirmam priſtinæ reſtituit ſanitati

2. *Soror fides* tantam nervorum paſſa attractionem, ut latus ſiniſtrum Palmo integro ſuperaretur à dextro vix bolum deglutire potens, lecto hærebat, circa manus immobilis & caput, tanquam in acerbiſſimorum dolorum cataſta, à Medicis depoſita: Decimo tertio itaque Menſis Julii, Anno 1587. acceptâ è manibus Magdalenæ, imagine Deiparæ Virginis, cum quâ ſuper illam ſignum crucis produxerat, priſtinam in momento reccuperavit totius incolumitatem corporis.

Energumenam liberat.

3. *Catharina de ſpinis*, filia *Caroli de ſpinis* Nobilis Florentini, à maligno obſeſſa ſpiritu, ut à Matre carnali ad S. Virginem Anno 1588. perducta fuit, mox à peſſimo divexari cæpit inquilino, quem S. Virgo obedientiæ præcepto per Confeſſarium adacta, confeſtim fugavit ſigno S. Crucis.

Vinum Corruptum priſtino vigori, eodemque ægræ ſanitatē reſtituit.

4. Eodem Anno, Menſe Auguſti, vas vini totaliter corruperant intenſi æſtatis calores; conſilii inops Prioriſſa, S. Virgini per obedientiam juſſit, ut ſuis apud Deum precibus, priſtinam impetraret vini perfectionem & vigorem: paruit obediens, ſignoque Crucis, cum imagine S. Didaci (quam extatica manu portabat) ſuper vas corruptum efformato, vinum priſtino fœcundavit vigore; cujus ſpecimen, ut infirmæ ſorori, *Mariæ Angelæ ſanctucci*, tertianâ febri, eaque inprimis ardenti, non abſque deliriorum intervallis, laboranti

Digitized by Google

boranti, vicibus trinis propinavit, primo ſecundoque potu malum alleviavit, tertio penitus propulſavit.

5. Soror *Pax de Columbinis*, apoplectico totius ſiniſtri lateris correpta morbo, tribus ſucceſſivè diebus, Anno 1589. trino coram Matre Prioriſſa per S. Mariam Magdalenam ſigno crucis munita; primo die, lateris ſenſum, ſecundo motum, tertio integram adeo perfectamque recepit ſanitatem, ut longo poſt tempore, omnibus indefeſſa inſudarit Monaſterii exercitiis, functionibus & laboribus. Apoplexiā ſanat.

6. De gratia ſanitatis, quam S. Virginis preces R. D. *Auguſtino*, Cœnobii S. Mariæ ab Angelis directori & Confeſſori impertiêre, egimus ſupra *lib.* 1. *cap.* 9. §. 6.

7. Sororem *Barbaram Baſſam*, poſt contagioſum multorum annorum malum, tabifica conſumpſerat ſcabies, lepræ ſimillima, ſecundùm totum corpus, præſertim manus, brachia & collum. Anno itaque 1589. poſtquam à Medicis deſperatæ ulcera, tum maximo charitatis & compaſſionis affectu, lambuiſſet Maria Magdalena, perfecta ſubitò decubuæ incolumitas, majorem docuit Magdalenæ charitati, quàm Æſculapii virtuti ineſſe efficaciam. Lambit ſcabioſa ulcera, ac ſanat.

8. Simili incurabili ſororis *Mariæ Benignæ de Orlandinis* malo, poſt ſexquiannalem foetidæ ſcabiei, jam jam in lepram deſituræ, mordacitatem, idem eodem ſubitaneæ incolumitatis ſucceſſu alexipharmacum adhibuit Maria Magdalena in raptum ſublimata, immediatè poſt ſacram ſynaxim 29. Aprilis Anno 1591. in vigilia S. Catharinæ Senenſis.

9. Idem emplaſtrum, abſque alio humanorum aut naturalium medicaminum ſubſidio, fœdiſſimo ſororis *Matthea* ulceri vermibus, putredine, & fætore ſcatenti applicavit Magdalena; perfectamque impertiit ſanitatem, & ab omni malo liberationem.

10. Sororem *Cherubinam Rabattam* peſſimum infecerat, Joannis Fidelis & Ruberti Cupers chyrurgi judicio, incurabile capitis ulcus, quod præter acutam febrim, acerbiſſimi alii irritabant dolores, vicibus itaque ternis ſuper infirmam, ſignum Crucis efformavit Magdalena 31. Decembris, Anno 1591. moxque tres è capite, corpore, omnibusque membris exularunt crudeles inquilini; ulcus, febris & dolor. Signo crucis ulcus incurabile ſanat.

11. Eadem ſoror, inter graviſſimos novi ulceris lethalis febris cruciatus, ſuſceptâ unctione extremâ, ægrè reſpirabat agonizans; Attactu ſtramenti

 quæ

[ejus, agonizans convaleſcit.]

quæ ut præhabitâ ſuperiorũ licentiâ, ſtramentũ, in quo S. virgo in infirmitorio ad ſororum infirmarum obſequium requieſcere conſueverat, vicinum religiose pieq́ue tetigit, indilatam perfectè recuperavit ſanitatem, Anno 1592.

[Precib' ejus fiſtula oculorũ curatur]

13. Eidem ſorori, alio tempore, lachrymosâ oculorum fiſtulâ laboranti, poſtquam Medici varia incaſſum applicuiſſent remedia, tandem candens deſignarunt ferrum; cujus Tyrannidem jam jam expertura, ſe recommendavit orationibus S. Virginis; quæ ut oculos in cælum ſuſtulit, omnimodam infirmæ, cum Medicorum ſtupore, ſanitatem detulit.

[Alia infirma ejus attactu ſanatur]

13. *Maria Magdalena Mori* diuturno, eoque vehementi laterum cruciatu, & iſchidiaco conſumpta dolore, ad S. Virginem in raptu conſtitutam delata, ut primum parte infirmâ S. Virginem contigit extaticam, è veſtigio totale obtinuit ſanctitatis beneficium; Anno 1592. in die Veneris ſancto; cellamque pedes ipſamet abſque adminiculo repetiit, quæ ante præ dolorum atrociâ vix ſuſtinere poterat ſorores baiulas.

[Calculi dolores fugat.]

14. Sorores *Catharina Ginori*, poſt grave ad tres ſolidos annos toleratum petræ tormentum in eas tandem venit mortis anguſtias, ut ſororis ſucceſſivas vigilias apud infirmam agentes, omni horâ exitum præſtolarentur. Cui charitatis officio, dum S. Maria Magdalena, nocte quâdam, ſecundùm vices vacaret, plus divinis, quàm humanis ſubſidiis confidendum rata, orationum adhibuit efficaciam, moxq; tantam contulit ſanitatis gratiam, ut infirma integrè convaleſcens, inter ſolita Monaſterii exercitia vitæque communis functiones nullum fuerit experta malum per annos plurimos.

[Aliudq; incurabile vulnus ſanat.]

15. Soror *Maria Catharina de Chellis*, ejuſdem Cœnobii profeſſa, ob ulcus brachii peſſimum, ex quo putrefacti oſſis partem extraxerat chyrurgus, intolerabilibus frequenter ſuccumbebat cruciatibus, præſertim autem 25. Maii anno 1595. quando per Magdalenam ante altare ſanctiſſimæ Virginis Mariæ, coram Matre Prioriſſa, ſorore *Evangeliſta del Giocondo*, faſciis obligata, ſine ullo naturalis opis aut medicaminis interventu, mox ab ulcere & doloribus exempta, integerrimum exinde poſſedit brachii uſum, quaſi nullius unquam mali ſubiiſſet incommoda, aut cujuspiam oſſis toleraſſet evulſionem. Atque hæc de plurimis ſanitatum gratiis, quas S Virgo impertiit vivens, ad noſtrum dicta ſufficiant intentum, nunc ad alias, poſt mortem præſtitas, digrediamur.

Caput

Digitized by Google

Caput IV.

Gratiam ſanitatum impertiuntur flores, virginei corporis attactu Sacri.

1. Maria de Rouanis, poſt ſedecim Menſium lethalem febrim, vitæque ſpe penitus deſtituta; Anno 1607. pectori faſciculum admovit florum, qui S. Virginis recens defunctæ corpus contigerat, moxque repentino correpta ſomno, nec multò poſt expergefacta, è lecto deſiliit prorſus incolumis. *Ijs floribus febris curatur*

2. *Laurentius*, ejusdem Dominæ filius, graviſſimũ pedis patiebatur diſcrimen, ita ut chyrurgi pedem abſcindendum concluſiſſent; dictos piiſſima Matrona quàm Religioſiſſimè pedi applicavit flores, omneq; pepulit malum; ut poſtmodũ liber & expeditus graderetur, qui per tres annos integros ne minimum poterat promovere greſſum. *Item vulnus pedis notabile.*

3. *Thomas Fiaſchi* genu dextri periculoſo ſuccumbebat malo, quod inter humores peſſimos inflatum, incredibiles diu noctuque inferebat dolores, abſq; intervallo, vel unius horariæ conſolationis. In Deum confiſus, ſanctæq; virginis ſe recom̃endans meritis, ſimplex adhibuit floris, qui *Leucanthenum* dicitur, folium, moxq; omnis evanuit humor, dolor & inflatio. *Unius folii applicatione inflatũ genu ſanatur*

4. *Lucretia Andreæ Pezzini* filia, per novem circiter annos, ab infernali poſſeſſa ſpiritu, diverſiſq; incaſſum adhibitis exorciſmis, vice quâdam flores aliquot & particulã veſtis S. Virginis exoſculata, octo dierum ſpatio, ſanctarũ Reliquiarum virtute, peſſimũ inquilinum in fugam coniecit, glrorioſæq; victoriæ præter Lucretiam teſtimonium perhibuêre multoties Mater, & tres aliæ ſorores, *Obſeſſa à dæmone liberatur.*

5. *Eliſabetham, Chimenti* tinctoris uxorem, graviſſimæ exagitabant capitis puncturæ, abſq; ullo quietis intervallo; flores itaq; virginei corporis attactu conſecratos, vertici applicuit, moxque omne malum cum Cephalea fugavit. *Dolores capitis fugantur.*

6. *Catharina* filia *Dominici Poggiali*, à Medicis derelicta, in roſa quâdam, quæ ſacrũ corpus tetigerat, ſanitatem An. 1666. quæſivit & invenit, ut primum enim partẽ afflictã floſculo ſignari fecit, brachii exulavit dolor, mox ſucceſſit loquendi facultas, tertioq; die perfecta incolumitas. *A Medicis depoſita ſanatur*

7. *Mariam de Bardi*, nocte quâdam, acerbiſſimi corporis dolores in eas coniecerant anguſtias, ut varium diſtillaret ſudorem præ exceſſu cruciatuum; citati comparent Medici, duarumque duntaxat horarum vitam ſupereſſe aſſerunt unanimiter *Aliud lethalie malum fugatur*

Digitized by Google

Ab humanis ad cœleſtia ſe transferens medicamina agonizans, emiſſo voto, pectori particulam habitus, unumque florem, qui corpus ſacrum attigerat, piiſſimè admovit, moxque intra ſpatium breviſſimum, miraculosè lethâle malum fugatum, conſtanter aſſeruit præſentium Medicorum ſtupor.

Uti & lethalis febris.

8. *Felicis Vgolini Bonſi*, ætatis viginti Menſium, ardentiſſimâ torquebatur febri, Medicorum judicio, humanitus incurabili ut primum ergo pectus infirmi flos tetigit corporis S. Virginis attactu famoſus, omnem penitus febrium ſopivit æſtum.

Venenum pellitur

9. P. Magiſter *Simon Ciſti*, Conventualis S. Crucis, Florentiæ, Ordinis Minorum S. Franciſci, die quâdam Menſis Octobris, venenatum ex improviſo ſumpſerat cibum cum præſentisſimo mortis diſcrimie. Plus itaque divinis, quàm humanis remediis tribuêre doctus, emiſſo, corporis S. Virginis viſitandi, unamque in S. Mariæ Angelorum miſſàm celebrandi voto, ut florem, partemq; habuitus Virginis ſanctæ, maximâ cum devotione & fide ſibi applicari juſſit, mox optatus fidei correſpondit, priſtinæ ſanitatis ſucceſſus.

Caput V.

Gratiam ſanitatum, veſtes, veſtiumque particulæ S. Virginis, multiplicant.

Attactu veſtis S. Virginis ſtomachi dolor.

1. C*Atharina de Roſſi*, exceſſivis ſtomachi preſſa doloribus, nec cibi capax, nec quietis, inutile portabat pondus miſerrimi cadaveris; tandem in Domino confidere docta particulam habitus S. Virginis ſtomacho languenti applicavit, moxque ſomnum ſibi, & perfectam conciliavit ſanitatem.

Totius corporis cruciatus.

2. *Magdalena de Rondonis*, ſex annorum ſpatio, continuis totius corporis excruciata doloribus, jamque à Medicis deſperata applicatis corpori veſtibus S. Virginis, voto viſitandi S. Virginis ſepulchrum, confitendi, communicandi, perque annum integrum, omni feriâ ſextâ, jejunandi nuncupato, confeſtim ſe ſanam obſtupeſcit.

Apoſtema incurabile.

3. *Antonius Ricci*, triplex trium continuorum Annorum apoſtema, humanis medicamentis potius irritaſſe, quàm alleviaſſe videbatur; ſiquidem nec tempus illi, nec modus, nec ullus favebat quietis

quietis locus; de vita ulteriori ipſis deſperantibus Medicis. Anno itaq; 1655. in virtute habitus virginei, dolores primitus alleviavit, mox capto ſopore, infra octo dierum ſpatium totus incolumis, talisque in præſentem uſque annum 1669. perſeverans, miraculoſi ſucceſſus, præter ſe, tres alios adhibuit teſtes.

Febriũ ardores, ac diverſarum ſtomachi dolores,

4. *Maria de Rovanis*, febrium ardoribus, & acerbisſimis divexata ſtomachi doloribus, bimeſtri integro, decubuerat infirma, ſtatimque ut tunicam, quâ S. Virginis corpus amictum fuerat, ſuperinduit, evaſit incolumis. Anno 1612. ſimilem virgineæ tunicæ favorem, binâ ſibi vice, graviſſimis immedicabiliter ſuccumbenti morborum malis, obtigiſſe teſtata eſt ſoror *Maria Gratia*.

5. *Catharina de Iaſſis*, duodenario ſtomachi dolore dirè exagitata, cruciatu capitis cum vertigine & febri ſuccedentibus, propè jam Moritura, particulam veſtis S. Virginis ſtomacho admovit, & ſomno ſtatim correpta eſt; mox expergefacta, ſe ab omni doloris & ægritudinis moleſtia, liberam repetit & exemptam.

Pedis immedicabilis cruciatus,

6. *Margarita*, filia *Laurentij Caſati*; lethali conſumpta ſiniſtri pedis cruciatu, de Medicorum præcepto, ſanctiſſimum ſuſcepit extremæ unctionis Sacramentum; deſperato itaque omni remedio humano, ut primum particulam Religiosè tetigit, veſtis S. M. Magdalenæ, mox omnis evanuit dolor.

Febris & Hydropiſis,

7. Trium circiter annorum puer, *Horatius*, filius *Ioannis Baptiſtæ Perſiani*, ardentiſſimâ, eâque continuâ quatuor Menſium conſumptus febri & hydropiſi, in ultimo luctabatur agone, quando aliquâ virgineæ veſtis particulâ, ædibus paternis illatâ, mox læto, ridentique ore exclamavit moribundus: Mater ſanatus ſum. Accurrit cum reliquiis læta genitrix, quas ſimul ac puerulus attigit, mox è lecto ſurgens, feſtino feſtivoque progreſſu, virtutem docuit prodigioſam amictus ſancti.

Apoſtema radicatũ,

8. Soror *Humilitas Cini*, converſa in Monaſterio S. Clementis Florentiæ, pertinaci triginta Annorum apoſtemate exhauſta, auxiliatricem ſupplex invocavit S. M. Magdalenæ opem, de cujus habitu, ut fruſtulum ſumma cum fide accepit, à lethali ſe exoneravit humore.

Febris continua miraculoſè ſanantur.

9. *Hieronymus Mariotti*, continuâ quatuor Menſium febri preſſus, alioque graviſſimo pectoris malo oppreſſus, Florentiæ in hoſpitali S. Mariæ novæ, à Medicis depoſitus; quando virgineæ veſtis parti-

Digitized by Google

particulam pectori affricuit, primo die dolores ſedavit, quarto autem integram ſanitatem recuperavit.

10. Quam pariter *Iulÿ Rucellai*, petecchiis laborantis, vitam, ſanitatemque tumularant Medici, integram confeſtim reſtauravit particula habitus S. Virginis.

Puerpera pericli tans liberatur.

11. *Gineura Buſſini*, *Philippi Vguccioni* uxor, inter atrociſſimos puerperii dolores, luctabatur cum morte; quando voto vix emiſſo, opem virgineæ veſtis obſtetricantem, feliciter aucupata eſt in partu.

Calculi, aliique dolores fugantur.

12. *Bernardinum Cerboni*, per ſolidos 10. annos, acerbiſſimi cruciarant petræ dolores, aliusque incognitus morbus cum exceſſivo veſicæ tormento; neque ullum multiplici malo lenimen attulêre medicamina, plurimo temporis æriſque conquiſita impendio. Tandem Ann 1609. in ultimo fluctuans vitæ margine particulam virgineæ veſtis reverenter inductos, omnes infra unius horæ ſpatium, fugavit dolorum ſenſus & reliquias.

Senſibus deſtituta iisdem reſtituitur.

13. *Margaritam*, profeſſionis Mechanicæ foeminam, morbi, ſeniique infelicitas à ſenſibus quodam̃odo alienarat, Sacramentalis in capacem confeſſionis; corporalem itaque Matris interitum deplorantibus filiabus omnibus, una earum ſpirituali potius Genetricis morti ingemiſcendum rata, particulam habitus S. M. Magdalenæ applicuit 8. Maii, Anno 1609. moxque ſibi reſtituta Mater, cum maximâ devotione & præſentium ſolatio, omnia petiit, ſuſcepitque Sacramenta.

CAPUT VI.

Gratiam ſanitatum velum exhibet ſancta Virginis.

Febris curatur

1. MAria de Rouanis, menſibus duobus lethali proſtrata febri languebat recidiua; productoque ſuper eam ſigno crucis cum velo, quo vivens, ſancta uſa fuerat, Anno 1613. ſanitatem recepit

2. *Eliſabetha Corradi*, malignæ victima febris, vix ſanctum velum venerata fuerat, extenſum ſuper corpus ſuum, quando ſe ſanam eſſe exclamavit, poſtque mediæ horæ ſomnum, qualem binis diebus & noctibus integris, continui prohibuerant dolores, ſurrexit vegeta, ſtupentibus Medicis.

3. *Antonius Partigliani*, gravi pectoris infirmitate, febrique maligna conſumptus, ſancti impoſitione veli ſomnum ſibi conciliarat, in

Digitized by Google

rat, in quo à S. Maria Magdalena admonitus, ut aquam ſibi procuraret ex puteo ſuo (fons erat in quo S. Virgo, inter extaticos divini amoris æſtus brachia, manuſque refrigerare conſueverat, vide ſupra *lib. 2. cap. 12. §. 11.*) frigidam ſimul imbibit moribundus & ſanitatem; Medicis ſucceſſum miraculo adſcribere non dubitantibus.

4, *Petrum de Allis*, Romanum, febri & doloribus jam penè confectum S. Virginis velum arctiſſimis ſine mora expediit omnium cruciatuũ compedibus, priſtinæque reſtituit incolumitatis libertati.

5. Anno 1640. *Donna Magdalena Angela Gorina*, Florentina, annorum 17. ob guttam ſerenam, quam per biennium paſſa fuerat in oculo dextero, videndi facultatem amiſerat; deperditâ igitur à Medicis ſpe, amplius humanis remediis viſum recuperandi, voto emiſſo S. M. M. cujus velum ad cellam illius delatum fuerat, in pervigilio feſtivitatis illius jejunandi cum pane & aqua, ſtatim primævam facultatem viſivam recuperavit. Quam operationem miraculoſam fuiſſe in proceſſu Florentino, modus evicit & qualitas ſanationis, præſertim cum ultra inſtantaneitatem, ſanatio undique fuerat perfecta, nullo poſtea, præcedentis morbi ſigno remanente in oculis, & perfectione viſionis recuperatæ jugiter perſeverante. *Viſio perdita recuperatur.*

6. *Laurentius Paſſerini*, continuam paſſus trium Menſium febrim, deſperantibus remediis humanis, velum S. Virginis petiit, obtentumque afflicto applicavit corpori Anno 1644. Menſe Martii; infraque triplicis circiter orationis Dominicæ ſpatium, dolores ſenſit remittere, mitigari æſtus, quarto die integram conſecutus valetudinem. *Febris fugatur.*

7. *Thomam Pallini*, excesſivi per duos annos convellebant dolores, inque varios quotidie compellebant ejulatus, ſalutem omnibus deſperantibus Medicis, velum itaque S. Virginis quàm devotiſſimè infirmo admovit ſtomacho, tanta optati ſucceſſus efficaciâ, ut confeſtim dolorum lenimen, intra dies octo omnimodam conſecutus fuerit ſanitatem. *Stomachi dolores pelluntur.*

8. Anno 1661. R. P. *Franciſcum Socci* Rectorem Eccleſiæ S. Andreæ, maligna invaſit, oppreſſitque febris; quamque ſupplex à S. M. Magdalena, ſanitatis gratiam poſtulavit, duorum dierum ſpatio, perfectam ab ejuſdem velo impetravit. *A febribus diverſi curantur.*

Digitized by Google

9. *Thereſa Mormorai*, uxor Landini, omnibus fruſtra adhibitis remediis naturalibus, ardentiſſimâ conſtanter æſtuabat febri tandem in quartanam degenerante, quam alia nova irritavit febris vehementisſima, cum deliriorum frequentioribus intervallis: huic oleum, velumque Virginis ſanctæ applicitum, mox æſtum ſedavit, omnesque fugavit febrium reliquias.

10. Idem porro alexipharmacon, Anno 1667. Marchionem *Lucam Albizi*, universâ atteſtante Florentiâ, lethali exemit à febri; nec non 1662. *Dominicum Frederghi*, malignâ correptum febri, duarum horarum ſpatio è præſentisſimo mortis diſcrimine ereptum, priſtinæ reſtituit incolumitati.

11. Tandem in proceſſu Florentino, fol. 263. atteſtatur R. P. *Ægidius Martinez de Campilio*, Hiſpanus, Vicarius perpetuus Parochialis Eccleſiæ S. Simonis de Florentia ſe mediante velum unum S. Virginis posſidere Conventum Carmelitarum Madritenſium, cum maxima populi veneratione, multis inſigne gratiis & favoribus, quos per dicti veli impoſitionem aut attactum inibi conſequuntur fideles.

Caput VII.

Gratiam ſanitatum conferunt imago, Crux, calantica, cingulum, linteum, manutergium, faſcia & pulvinus S. M. Magdalenæ.

Imagine S. Virg. Carbunculus curatur.

1. CAſparus Roomer, mercator Belga, Neapoli degens Anno 1656. ardentisſimâ correptus febri, & carbunculo affectus in inguine, parti afflictæ imaginem applicuit ſibi Florentiâ tranſmiſſam, tactuque ſacri corporis inſignem; moxque meritis S. Virginis, cui ſe gemens enixè commendarat, ſpretis humanis remediis, 16. Julii, in feſto Commemorationis ſolemnis B. Virginis Mariæ, de Monte Carmelo, à febri & morbi contagioſi maculâ reſpiravit incolumis.

Cruce ipſius infirm' ſubito ſanitati reſtituitur.

2. *Philippum*, *D. Pauli Ricaſoli* filium Catharrus, ardens febris, acerbisſimique dolores in extremum conieccerant vitæ diſcrimen, humanis nihil proficientibus remediis. Paterna in filium pietas, crucem, quæ ad uſum quondam deſervierat S. M. Magdalenæ conquiſivit, oblatam ad pectus ſuſpendit infirmi; moxque omnis non modò

modò evanuit doloris ſenſus, ſed & tantæ rediêre vires, ut uno, eodemque die, quo Pater deſperatum planxerat, Mater incolumem in villam, comitem habuerit.

3. R. P. *Antonium Meneſium* Societatis JESU, periculoſa, nimiumque moleſta proſtraverat infirmitas, multiplici, capitis cruciatu omnem inhibente quietem; vice igitur quâdam, gravioribus ſolito debacchantibus dolorum furiis, calanticam virginis ſanctæ, quam in capite ſuo geſtarat, maximâ cum devotione, afflicto circumpoſuit vertici; & confeſtim hujus unius beneficio ceromatis, febris, capitisque fugavit tormenta.

Uti & calanticâ ejꝰ.

4. Soror *Camilla Biondi*, Monialis Cœnobii S. Martini, Florentiæ, fluxum ſanguinis duobus Menſibus paſſa, cingulo, quod corpus S. M. M. attigerat, eo ſe præcinxit devotionis affectu & effectu, ut omne protinus fugaverit malum.

Fluxus ſanguinis cingulo ejus ſiſtitur.

5. *Antonius Matthai* ex duello, duas lethales contraxerat plagas, Medicis vix unius diei vitam ſupereſſe aſſerentibus; vulneribus pauca impoſita fuêre, ex linteo S. Virginis deſumpta, fila, moxque breviſſimo temporis ſpatio cum ſtupore omnium 28. Maij Anno 1610. mortalium remiſit, evanuitque plagarum ſævities.

Filis ex linteo lethalia vulnera curantur.

6. *Antonium Valderamam* febris inflammarat vehementia, aliorumque atrocia accidentium, præſertim autem graviſſimus pedum dolor; quodque in naturalibus reperire nequierat, in ſupernaturalibus inveſtigandum ratus lenimen; manutergium S. Virginis in faſcias ſibi adaptari, partique afflictæ circumligari juſſit; moxque primus reliquiæ contactus, omnem expulit doloris ſenſum.

Manutergio pedum dolor fugatur.

7. *Alexandra Caſtellani*, lethali conſumpta pectoris malo, uſuque linguæ deſtituta, ulteriorem vitam deſpondentibus Medicis, horam præſtolabatur extremam, cui dum circumſtantium pietas faſciam impoſuit S. Virginis; mox ſomno correpta, poſtque trinæ circiter orationis dominicæ ſpatium, expergefacta, ſanitatem, vireſque priſtinas recuperavit integerrimas, ſtupentibus Medicis & confeſſario; quorum hic infirmam Sacramentis extremis munierat, illi ſpe vitæ ulterioris ægram exuerant.

Faſciâ agonizans ſanitatē recipit.

8. *Maria de Rouanis*, Anno 1611. moleſtiſſimâ febri, variiſque morbi, ſymptomatibus in diſcrimen adducta, ſtomacho pulvinum, quo Beata, dum viveret, utebatur, applicuit, & priſtinæ illicò reſtituta eſt ſanitati.

Pulvino variæ curantur infirmitates.

, 9. Cum Soror *Maria Catharina Rinuccini*, Anno 1648. à die
, ultima Aprilis, per totam vigeſimam ſecundam Maij, febri mali-
, gnâ cum petecchiis, quæ illâ tempeſtate Florentiæ, ob intempe-
, riem aëris, communiter regnabant, cum inflammatione pulmo-
, num ac dolore capitis vehementiſſimo cruciaretur, ita ut viribus
, deſtituta, languens ac morti proxima, amiſsâ quaſi facultate lo-
, quendi, ob inflammationem linguæ ſomnolenta, ac delirio affecta
, cerneretur, acceptis ſanctiſſimis Euchariſtiæ & extremæ unctio-
, nis Sacramentis, à Medicis abſque ſpe ſalutis derelicta; applicatus
, eſt ægrotanti pulvinus S. Virginis, quæ illi apparuit, dicens, ut ſur-
, geret, ex quo confeſtim experrecta ſanam & illæſam ſe ſe reperiit,
, quare advenientibus Medicis, illam repererunt abſque febri, &
, non ſine admiratione receſſerunt.

10. *Magdalena Stella*, Anno 1617. pertinaciſſimorum lateris dolorum furiis penè exanimata, ut eundem parti infirmæ applicuit puluinum, mox mitigato dolore, prius requiem, exinde perfectam obtinuit incolumitatem.

Caput VIII.

Gratiam ſanitatum afferunt Reliquiæ S. Virginis.

1. Miracula aliqua in vita S. Virginis reperio, patrata mediantibus Reliquiis S. M. M. hoc nomine generico, *Reliquia* expresſis; quas cum ex prænominatis aut ſimilibus fuiſſe certum ſit, tum quia in aliquibus Authoribus ſpecificatas legi, quas alii ſub generali reliquiarum titulo exhibent; tum quia corpus virgineum uſque modò integrum, ut infra dicemus perſeverat; ideo hunc in locum, prodigia dicta ſequeſtranda duxi.

Reliquiis S. Virg. variæ curantur infirmitates

2. Soror *Maria Victoria Dati*, ex ſublimi ceciderat loco, quinque brachiorum altitudine, cum gravisſimo pedis dextri diſcrimine, infelicemque chyrurgi curam, experta, gravisſimis noctes dieſque torquebatur cruciatibus. Interno itaque agitante pietatis affectu, à S. Virgine dolores mitigari petiit, quos brevisſimo temporis ſpatio penitus dimovit, ut còrpori ſuo reliquiã S. M. Magdalenæ admovit.

3. *Eliſabetha Buonuiſi*, Benedicti Nobilis Lucenſis conjux, triplici laborarat multorum Menſium quartanâ, ſitim ardentisſimam, atque intolerabiles ſufferens capitis dolores; uno eodemque die

ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet 17. Martij Anno 1609. Reliquiâ S. Virginis ſe muniuit, atque omni protinus ſiniſtro ſe expediit accidente.

4. Sororem *Mariam Magdalenam Berti*, ardentibus conſumpta febribus, uniſona Monialium, & Medicorum ſententia filiam mortis renunciarat vix autem per manus P. Directoris, aliquam S. Virginis reliquiam ſuſceperat infirma, quando omni exempta malo, eas corporis vires recuperavit, ut paulo poſt communes Cœnobii functiones obierit, cum ſtupore oculatarũ teſtium Monialium omniũ.

Caput IX.

Sola in Mariam Magdalenam pietas, & vota S. Virgini nuncupata, gratiam ſanitatum cauſant.

1. M*aria de Roſſi*, pertinaces duodecim annorum dolores in capite, pluriunâ temporis ſumptuumque jacturâ, tormentum auxiſſe, neutiquam leniiſſe videbatur, cui dum Anno 1612. ingemiſceret inconſolabiliter, S M. Magdalenæ unum caput argenteum, & aliquot quotidie orationes Dominicas, nec non Salutationes Angelicas ſe oblaturam vovit; eodemque in inſtanti, quo votum emiſit, dolor omnis remiſit, penitusque evanuit. Voto S. Virg. facto capitis.

2. Eodem, Anno 1615. ferociſſimos manus, brachiique dolores, & tumorem paſſa, S. Virginis ſepulchrum vicibus ſeptem inviſere manumque argenteam ſe dedicaturam vovit, vix votum ediderat, quando ſe totam ſanam obſtupuit & incolumem. Brachii que levantur dolores.

3. Sororem *Mariam Concordiam Galletti*, Monialem Cœnobii Clementis, Florentiæ, importunus lateris ſiniſtri Catharrus, immobilem, atque incurabilem affixerat grabato, portis appropians mortis, ad Mariam Magdalenam ſuſpiravit & clamavit decubua; moxque S. Virgo quietem infirmæ omnimodamque impertiit ſanitatem. Ejus invocatione infirma ſanatur.

4. *Margarita, Vincentÿ Brocchi* ſculptoris Florentini conjux, continuo trium Menſium fœtuerat profluvio, tandem ad extremum vitæ marginem devoluta, ad Eccleſiam S. Mariæ Angelorum, ut corpus S. Virginis veneraretur præſens, deduci petiit ſpe firmâ ſanitatis obtinendæ; necdum infirma extremam plateæ partem, quæ ad Eccleſiam ducit, attigerat, quando in momento ſe ſanam lætata, reſiduum viæ abſque adminiculo perfecit; non ut ſanitatem recuperaret, ſed pro obtentâ dignas S. Virgini retribueret gratias. Profluvium ſiſtitur.

Dolo-res arti-culares

5. Anno 1634. *Antonium Leonem*, Cancellarium Civitatis Forolivienſis in Romania, graviſſimi per totam vitam contorquebant dolores articulares, imaginabilibus quibuscunque fruſtra adhibitis remediis, cujusdam igitur Patris Carmelitæ, confeſſarii ſui, hortatu, anguſtias lethales S. virginis patrocinio commendavit, quam ut invocarat, dolorum lenimen, perfectamque ſanitatis gratiam ſibi conciliavit; memor ergo beneficii, imaginem S. Virginis, in Eccleſia Carmelitarum Forolivienſium, in perpetuum ſuſpendit anathema.

Ac pe-ctoris, aliiq; pellun-tur.

6. *Ioannes Baptiſta Roſſi*, continuis exagitatus cordis doloribus & palpitatione vehementi; naturalibus nihil proficientibus remediis, extremos inter cruciatus, afflictiſſimum frequenter extremæ compaſſionis exhibebat ſpectaculum; cor itaque argenteum S. Virgini promiſit, nec non aliquas devotiones: neque ſanare diſtulit thaumaturga, dum è veſtigio cliens ſenſit diſparuiſſe, nec unquam poſthac ſimiles rediiſſe dolores.

Libro vitæ S. Virg. pulvi-nari ſup poſito ac vo to e-miſſo, graves dolo-res cu-rantur.

7. *Camillus Buoncriſtiani*, Anno 1661. exceſſivis duorum annorum cruciatibus, in variis totius corporis, præſertim autem pectoris membris exhaſtus doloribus, inter acutiſſimos cruciatus crebrũ cogebatur evomere ſanguinẽ, fruſtra quibuscunq; humanis applicitis remediis. Librum igitur in quo vita S. Virginis impreſſa erat, capitis pulvinari ſummo cum pietatis affectu ſuppoſuit, ardentibusque precibus votum adiecit; in cujus virtuté devotionis, poſtridie ſanus è lecto proſiliit, vitam & vigorem Medicis ſtupentibus omnibus.

Voto emiſſo fœtor ac ſca-bies fu-gatur.

8. *Antonium Antonij Gatti*, Anno 1633. fœtentis infirmitatis horror peſſimis, ſecundùm corpus, operuerat cruſtis, quæ incaſſum humana applicaverat induſtria, à S. Virgine ſupplex emendicavit remedia, vovens ſepulchrum eius, ſuâ ſe veneraturum præſentiâ & gratitudinis mnemoſyno, unum miſſæ ſacrificium ſe legi facturũ; deinde hymnum ſanctis Virginibus ſacrum exorſus & orationem, vix hanc finierat, quando vires reſtaurari, fœtorem diſſipari, cruſtas fœtidas exſiccari & decidere, priſtinumque pedibus inflatis reſtitui gloriatus eſt vigorem.

Letha-le malũ curatur

9. *Alexander Lapini* filius, trium annorum puerulus, Anno 1662. ex ſublimi ſcala prolapſus, in lethale corruit malum; miſerrimum ſobolis ſtatum S. Virgini commendavit *Franciſca*, carnalis infirmi

Digitized by Google

firmi Mater, eodemque die liberrimo uti cepit paſſu, hinc inde digrediens per ædes paternas puerulus, qui à ſex Menſium curriculo, ne pedem potuerat promovere.

10. *Anna Pellegrini Viti* conjux, infelici cruciabatur partu, vitam deſperantibus omnibus, Anno 1662. agonizantem maritus interceſſioni S. Virginis commendavit inſtantisſimè, nec multò poſt felicem mulier enixa eſt fœtum. In partu agonizans liberatur.

11. Anno 1662. dextrum *Luciæ Franciſci Cambij* filiæ oculum improviſus graviter offenderat, perque ſolidos quatuor Menſes occluſerat catharrus; tormentum continuum, puncturas acerbisſimas, jugesque lachrymas, omnibus posſibilibus lenire geſtiit remediis humanis, ſed deſperatam proclamabant Medici puellam, cujus ſanitatem ſperare, & cœlitus à S. M. Magdalena implorare non dubitavit *Catharina* Mater, firmiter ſtatuens, ſeptem vicibus corpus S. Virginis inviſere; tertius ergo à devotione inchoata, agebatur dies, quando filia perfectum oculorum recuperavit uſum, ſolâ oculis adhibitâ aquâ benedictâ, quam Mater attulerat ex Eccleſia S. Mariæ Angelorum. Pertinax oculorũ catharrus pellitur.

12. *Catharinam Nelli* Anno 1668. furibundus inſecutus, proprius lethaliter vulnerarat filius, cujus inſequentis rabiem dum fugeret impotens, S. Virginis protectioni ſe illicò commendavit, precesque exauditas è veſtigio intellexit, quando S. Virginem in ſpecie viſibili ſævientem juvenem ſiſtere atque impedire obſtupuit. Mater è manibus furibundi filii eripitur.

13. *Margaritam* triennem, *Antonij Cocci* filiam, Anno 1661. idem S. Virginis patrocinium & protectio à furibundi bovis impetu atque incurſu indemnem penitus præſervavit & incolumem. Item alia à furibundo bove.

14. Poſtridie mortis S. Mariæ Magdalenæ, innumerabili populi concurrentis turbæ quædam ſe immiſcuit mulier, morbum caducum patiens, cui dum populi multitudo aditum negarat; ad ipſas ſacras exuvias & Eccleſiæ introitum, coram imagine B. Virginis in frontiſpicio Eccleſiæ ſituatâ, piisſimo affectu Matrem miſericordiæ obteſtata eſt, ut per merita illius ſervæ Dei, optatam ſibi impertiret ſalutem; moxque in inſtanti omne ſenſit diſparuiſſe malum, à quo totâ deinceps vitâ pariter manſit immunis. Morbus caducus.

15. *Catharinam Antonij Toſtij* prolem, octo annorum ſpatio, continui quodammodo convulſerant capitis, ſtomachique dolores, Capitis & ſtomachi dolores.

res nullis ſanabiles remediis naturalibus; ſanctæ itaque Mariæ Magdalenæ ſuffragia imploravit, quæ intra unius & mediæ horæ ſpatium feliciter experta eſt, exulantibus doloribus omnibus.

Oculi cruciatus. 16. *Hyppolitam Chelli*, tam dirus & importunus tribus ſolidis menſibus excruciabat unius oculi dolor, ut inter capitis angores, nec lucem videre, nec oculos elevare poſſet, malo indies incrudeſcente, tantò inſolentius, quò medicamina applicarentur frequentius; infirma ſuis, & Monialium S. Mariæ Angelorum precibus S. Mariam Magdalenam exorandam duxit pro ſanitatis beneficio; quod eodem die, quo preces effuſæ ſunt, feliciter obtinuit, exile intra tempus à quocunque liberrima languore.

Febris. 17. *Margarita*, *Thomæ Sarti* filia, genu incauta acum infixerat, cum graviſſimi cruciatus ſucceſſu, quem protinus vehemens inſecuta eſt febris; malo ingemiſcens infelix mulier, votum nuncupavit S. Mariæ Magdalenæ, moxque omnem & febris & pedis propulſavit affictionem.

Brachii malum. 18. *Caſſianus Dominici*, grave unius brachii malum S. Virginis patrocinio commendavit, ab humanis penitus derelictus atque depoſitus remediis, votum offerendi imaginem S. Virgini, ad ſepulchrum ejusdem nuncuparat, ſubitòque cum omnium ſtupore, vincula rupit immedicabilis mali.

Tertiana. 19. *Thomas Giocondi*, tertianâ oppreſſus febri, quam in humanis fruſtra inveſtigarat remediis, à S. Maria Magdalena petiit, obtinuitque opem

Capitis dolores. 20. *Maria del Garbo*, graviſſimos quoque, quos multis annis devorarat continuos capitis dolores, abſque ullo medicaminum naturalium effectu, voto redemit, quo S. Mariæ Magdalenæ appromiſit donum argenteum.

A Medicis depoſitus. 21. *Ioannes*, filius *Franciſci Rinuccini*, duodennis, poſt gravem infirmitatem tandem Medicorum judicio, proclamabatur moriturus; extremo caſui ingemiſcens virginea Mater, puerum fruſtulo habitus S. Virginis muniuit, Deo & S Mariæ Magdalenæ vovens, ſe puerum, ſi ſuperviveret, per annum integrum habitu Carmelitano veſtituram, aliudque votum, ad S. Virginis ſepulchrum delaturam. Gemitus afflictæ viduæ audiit & exaudiit Magdalena, quando poſtridie puerum penitus incolumem

mem

Digitized by Google

mem reperêre Medici, ſanitatem miraculo attribuere neutiquam dubitantes.

, 22. Menſe Octobri, Anno 1624. Soror *Daria Teri*, Monialis Phrænetica.
, in tantam phræneſim ac furorem inciderat, ut dementiæ agitatio-
, nem, geſtis, ſermonibus ac inceſſu multifariam demonſtraret, qua-
, re ligatis manibus, eam in quadam Cella incluſerunt. Cumque
, Medicorum judicio, ſanitatis nulla ſpes ſupereſſet, utpote fruſtra
, illi adhibitis per ſeptem & amplius Menſes, humanis remediis, ſo-
, ror *Catharina*, ejus germana, die 26. Maij, quo feſtum publicæ ve-
, nerationis eidem ſanctæ, à ſede Apoſtolica indultæ, erat celebran-
, dum, ad illius interceſſionem, ſe ſe convertens, ſtatutoque prius,
, per totum vitæ ſuæ curriculum, die pervigilio ſuæ feſtivitatis, in
, pane & aqua jejunaturam fore; celebratisque coram ſepulchro
, prædictæ ſanctæ aliquot miſſis, ſanitatem ſororis enixè commen-
, davit; quare expletis veſperis rediens ad dictam ſororem, eam in-
, venit ſanã & incolumẽ, præq; gaudio amarè flentem, quæ nunquã
, impoſterũ relapſa. *Ita de viſu & certa ſcientia atteſtantur tres conteſtes.*

23. Tandem R. P. *Dominicus Ferrantes Vayſ*, presbyter congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, in proceſſu Florentino fol. 279. atteſtatus eſt, maximum ſemper, tum virorum, tum Mulierum, ſæcularium & Eccleſiaſticorum, plebejorum & nobilium, ſimpliciũ & litteratorum, nec non virtutue, dignitatumq; gradu excellentium concurſum, S. virginis exuvias & ſepulchrum veneratum fuiſſe, qui S. M. M. interceſſionibus ſe recommendantes, varias reportarunt gratias, ſpirituales & temporales; alii mutationem vitæ, alii augmentum devotions, alii à diverſis infirmitatibus liberationem, hancque opinionem & notitiam aſſeruit eſſe univerſalem, perpetuam, notoriam, apud viros omni exceptione majores. Aliiq; variis ab infirmitatibus ſanantur.

CAPUT X.

Gratiam ſanitatum, oleum infundit S. Virginis.

1. DUplex celeberrima circumfertur multiplicatio olei (præter diutinam Medicinalis olei diſtillationem è tibiis S. Virginis, per multos annos promanantem) facta meritis & precibus S. Mariæ Magdalenæ, quam utpotè ſupra vires & facultatem naturæ à Deo patratam, declaratum eſt fuiſſe miraculoſam; cui oleo ita prodigiosè adaucto, hodieque augmentum non continuanti, novum

à monia-

Digitized by Google

à monialibus admiſcetur, frequenter pluribus, ut in præſenti docebimus, ſaluberrimum morbis: veruntamen ut rei geſtæ ſeriem Lector penetret enucleatius, ſucceſſum miraculi utriusque è proceſſu Florentino deſumendum verbotenus, hisque duobus ſequentibus §.§. exprimendum duxi.

Miraculoſa olei multiplicatio.

2. Die 23. May: Anno 1626. quo parabatur feſtum B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, in Eccleſia monaſterij S Mariæ Angelorum, in ſuburbio S. Fridiani, Florentiæ celebrandum, Moniales in Altari majori prædictæ Eccleſiæ, molem ex tabulis conſtantem fabricarant, variis picturis & nubibus ornatam, gloriam paradiſi indicantem, in cujus medio exiſtebat imago dictæ B. Et ut nubes per reflexum luminum, oculis intuentium eniteſcerent, ac universæ moli ſplendorem præberent, plus quàm 60. Lampades ibi accenſæ fuerant, pro quibus enutriendis, magnâ opus erat olei copiâ; quidam ergo Vrceus ex Creta, menſuræ circiter cadorum trium olei, exiſtens in manſione nuncupata dicti Monaſterij; in quo erat aliquantulum oleum, non excedens menſuram decem onoferorum fæculentum, & ut dicitur, à murca; ex quo cum in lucernis poneretur ardendo ſtrepitabat, malumque odorem reddebat; absque ulla humana ope, quoad fieri poteſt, mirabiliter plenus repertus eſt usque ad ſummum, oleo claro & puro, quod absque ullo ſtrepitu & malo odore arſit; ex quo eodem die per duas converſas dicti Monaſterij hauſtum fuit tantum oleum, quod implevit ſeptem vel octo onoferos, & cum per quatuor vel quinque tunc ſubſequentes dies, ipſæmet duæ converſæ ex eodem urceo haurirent oleum, pro ornamento apparatus feſti dictæ B. quotiescunque dictum oleum hauriebant, videbant illud creſcere & redire ad eam menſuram, ad quam primâ die, poſt mirabilem impletionem prædictam, reliquerant; & cum ſpatio 15. dierum à dicta die 23. May proximè ſubſequentium, causâ & occaſione dicti feſti, & pro uſu totius Monaſterij, ex eodem urceo hauſta, & conſumpta fuerit in Lucernis tanta quantitas olei, quæ implevit 50. onoferos, tamen absque alia infuſione, adhuc in eodemmet urceo remanſit tantum oleum, quo cadum integrum, ſeu ſexdecim onoferos implevit. Ex quo facti ſucceſſu concludentiſſimè probatum eſt in dicto proceſſu, tria fuiſſe miracula. Nunc ad ſecundum tranſeamus, pariter verbotenus transſcriptum.

3. Cum

3. Cum Anno 1654. ob ſummam ſterilitatem in Civitate Florentina oleum valde incaruiſſet, ita ut moniales prædictæ ob deficientiam pecuniarum illud emere non valerent, & pro uſu prædicti Monaſterii, nempe lampadibus enutriendis, officinis & condimentis coquinæ reperirentur duo cadi cum dimidio, in quodam urceo menſuræ trium cadorum, circa finem Menſis Auguſti, prædicti anni, Soror *Charitas* Monialis converſa, quæ, vices ſororis *Reparatæ*, tunc valetudinariæ, curæ diſtributionis prædicti olei præpoſitæ, ſupplebat; & ſoror *Obedientia* converſæ, fiduciâ plenæ, dum cæteræ Moniales ad ſuas cellas receſſerant, ſumpto tantiſper olei, Anno 1626. ut ſupra, multiplicati, fundum cyathi, appoſitâ retro prædictum urceum imagine papyraceâ prædictæ B. cui enixè ambæ ſe ſe commendarunt, eam deprecantes, dignaretur intercedere apud Dominum, ut ex oleo prædicto ſuppleretur neceſſitatibus conventus, uſque ad novi receptionem, abſque ullo ſigno apparente; cumque re ſic permanente, quolibet Menſe ad minus pro rebus neceſſariis prædicti Conventus inſumerentur quinq; cadi, mirabiliter factum eſt, ut ex prædicto urceo ſemipleno magna quantitas deſumpta fuerit, ita ut duraverit uſque ad medietatem ſequentis Menſis Decembris; quod ad rationem quinque cadorum pro quolibet Menſe, incipiendo à fine Auguſti, multiplicatum fuerit ad quantitatem quindecim cadorum & amplius, quod tunc ab omnibus communiter, & poſtea palam & publicè miraculosè factum fuiſſe, precibus prædictæ B. exiſtimatum eſt. Hucusque proceſſus Florentinus. In hujus itaque olei virtute, cui, ſucceſſu temporis deficienti, aliud prophanum admixtum fuit, plurima, inter quæ principaliora circumferuntur ſequentia, patrata ſunt miracula.

Item alia multiplicato olei.

„ 4. Cum Soror Angela Maria de Crucifixo, annum 8. agens, „ ruri cum ſuis parentibus maneret, prolapſa in humum, & os è genu „ ſe ſe de ſuo loco mouiſſet, illudq; tacuiſſet, præ nimio dolore coacta „ fuit, in lecto per aliquot hebdomadas decumbere; elapſo integro „ Menſe, & à parentibus Florentiam adducta, judicio chyrurgi dif„ ficilis curationis exiſtimata fuit, imò Medici unanimi voto cenſue„ runt, progreſſu temporis, malum in deterius protrahi. Anno „ autem 17. ſuæ ætatis, gravius afflicta fuit, occaſione cujuſdam „ fluxionis, ita ut genuflectere minimè potuerit, per ſpatium 18.

Oleo multiplicato defect⁹ in genu mirabiliter ſanatur.

Dd Men-

Digitized by Google

,Menſium; & licet à peritis plurima remedia illi adhibita fuerint, ,nihilominus prædictæ fluxioni mederi haud potuit, quin ſemper ,magno cruciatu ibidem afficeretur, ita ut non, niſi cum magna ,difficultate, illud aliquantulum flectere poſſet, donec elapſis 14. ,annis, novâ fluxione oppreſſa, maximis cruciatibus affecta fuerit, ,ita ut continuo in lecto jacere cogeretur, nec ſe tangi, etiam leni-,ter, pateretur; inſtitit apud Prioriſſam, ut ungeretur oleo multi-,plicato ut ſupra; veluti die 24. Maij Anno 1663 in pervigilio feſti-,vitatis dictæ B. uncta fuit, invocatâ prius ope dictæ B. & ſtatim ,tumor evanuit, & genuflectens ſupra lectum gratias egit dictæ ,B. & ita perfectè ſana & incolumis evaſit, ut libere ad viſitan-,dum illius ſacrum corpus propriis pedibus pervenerit; ſed cum ex ,conſtitutionibus Ordinis Monialibus de nocte vetitum ſit cellas ,egredi, ſeſe in lecto repoſuit; verum cum tentata fuiſſet, num in ,prædicto oleo multiplicato adeſſet major virtus ſanandi infirmita-,tes, quàm in alio, communi uſui deſtinato; accepto tantiſper o-,leo lucernæ, ante lectum ardentis, unctoque prædicto genu, con-,feſtim tumor illic apparuit, cum doloribus antea paſſis; ſed flens ,amarè denuo imploratâ ope dictæ B. unctoque genu prædicto ,oleo B. confeſtim ſana & incolumis viſa eſt, ac propriis pedibus ,ad ſepulchrum illius pergens, tres miſſas genuflexa audiit, & ,in choro illa die aſtitit, æque ac ſi hujusmodi morbo nunquam ,laboraſſet, in cujus perfecta ſanitate, abſque reincidentia per-,ſeveravit.

Item febris. , 5. Cum Anno 1643. Neapoli *Petrus Caravita*, Conſiliarius ,Regius, acutisſimâ febri cum pleuritide correptus eſſet, ita ut ,ſputum ſanguineum ex ore emitteret, & urina nigra conſpicere-,tur; quare à Medicis de ſalute deſperatus, ac viribus deſtitutus, ,unctus oleo B. A. R. P. Alberto Colaccio Carmelita, præviâ in-,vocatione illius, ſtatim ſurrexit ſanus & incolumis, absque ,ulla applicatione remediorum.

Lethale malum. 6. Eodem Anno Madriti, lethale deſperatumque à Medicis, *Ioannis Salgrado* malum, *Vincentius Carlini* oleo inunxit ſanctæ Virginis; ſtatimque infirmus cum Medicorum ſtupore, vires recuperatvit, paucos intra dies integerrimæ reſtitutus ſanitati.

7. Eodem

Digitized by Google

7. Eodem *Vincentij Carlini* oleo, quod Florentiâ aſportarat, *Ludovici* cujusdam Florentini filium, graviſſimo laborantem accidenti, & à Medicis depoſitum, propria ſemel inunxit Mater, quando infirmus notabile ſubito ſenſit refrigerium, breviſſimo poſt tempore totaliter incolumis. Aliud accidens mortale.

8. *Gabriel Antonius Giori* villanus, per octo ſolidos Menſes lecto hæſerat affixus, toto immobilis corpore, præterquam manu ſiniſtrâ; infelix cadaver oleo S. Virginis Rector Eccleſiæ ſancti Juliani, R. D. *Bartholomæus di Franceſco* unxit rogatus; ſubitòque quaſi à morte ad vitam infirmus revocatus, paucos intra dies, perfectam gradatim ex eodem momento recuperavit totius corporis incolumitatem Alter per 8. Menſes lecto affixus.

9. *Paulam, Franciſci & Catharinæ Verdi* filiam, pectoris gravabat infirmitas, tantò perículoſior, quantò magis primitus per 18. Menſes, nullo adhibito remedio, neglecta incruduerat pertinacior, cui tandem quot remedia applicaret, totidem novæ adhibebat ægritudinis fomenta; tandem à Medicis depoſitam, oleo ſanctæ Virginis inunxit Mater; felici equidem, ſed nòn omnimodæ ſanitatis effectu, cui ut mederetur totaliter, incauta genitrix prophanum quod neſcio, applicuit unguentum, moxque priores in filiæ necem irritait cruciatus, quibus leniendis iterum ſancti Virginis applicuit oleum, paucosque intra dies convaluit filia, priſtinam adepta corporis ſanitatem. Pectoris infirmitas.

10. *Venantius Mutius* periculosâ impetitus febri, ad S. confugit Virginem, oleoque ejus ſua muniuit membra; quando infra unius *miſerere* ſpatium, cum ſtupore Medici, perfectâ donatus eſt ſanitatis gratiâ. Febris.

11. Anno *1665. Magdalenam Franciſci Clari* filiam 19. annorum puellam, monſtruoſa in capite inflarat eryſipelis, inflammarat febris, ardentibus & inter acerbiſſimos dolores turgentibus oculis, cui malo dum Medici, ſe opitulari poſſe negarent, puella oleum ſibi admoveri petiit S. Virginis, moxque omnis evaneſcere febris, diminui dolor, priſtinusque reſtitui oculorum vigor.

Digitized by Google

Pectoris aliique graves corporis dolores miraculosè ſanantur. 12. Anno 1664. Soror *Angela Cæcilia Nardi*, Monialis in Cœnobio Montis Domini, Florentiæ, gravi pectoris malo laborabat, juxta Medicorum judicium admodum periculoſo, duorumque annorum ſpatio, nullum admiſerat remedium, quando tantillo S. Virginis oleo delibuta, dum crudeliſſimi in totum corpus deſævirent dolores, ſubitò lætata eſt, primo die remiſiſſe doloris intenſionem, ſecundo omnem dolorem, tertio denique quemcunque pectoris tumorem. *vid infra cap.* 12. §. 4. 5. *&* 6.

Caput XI.

Gratiam ſanitatum oleum lampadis conciliat, pendula ante ſepulchrum S. Virginis.

1. P*Aulus Matteozzi*, quem Medicorum induſtria deſperatum deſtituerat, hoc oleo delibutus vicibus binis, primâ quidem dulcem quietem, ſecundâ autem omnimodam conſecutus eſt à febri, & quocunque corporali incommodo liberationem.

2. Anno 1659. *Magdalena Boddi*, ſecundùm latus immobilis, ut affectam partem eodem oleo inunxit, mox motum, optatamque induxit ſanitatem.

3. Anno 1660. *Gineura Bartolozzi*, graviſſimis agitata febrium æſtibus, idem ſumma cum religione & fide adhibuit oleum, quando omni ſubitò alleviato dolore, febrique fugatâ, poſtridie Eccleſiam adiit confeſſura & communicatura.

4. Eandem gratiam, per dictum oleum ſibi præſtitam, ſimili gratitudinis ſigno, altero poſt ſanationem die, recompenſavit *Thomas Simon Chiari*, Anno 1659.

5. Anno 1663 eandem à dicto oleo incolumitatem conſecutus eſt *Antonius Franciſcus Fuoraſaſſi*, quando in virtute dicti liquoris, duas, chyrurgi *Vincentÿ Giannini* judicio lethales, plagas ſtupuit ſanatas.

6. *Eliſabetha Antonÿ Spaziani*, exceſſivis duorum annorum agitata doloribus, perque tres dies & noctes continuas, ullo abſque quietis intervallo, excruciata, eodem oleo ſe inungi fecit; moxque in uno quaſi momento omnibus exempta anguſtiis ipſamet S. Virgini argenteum detulit, quod nuncupaverat votum, Anno 1663.

7. *Conſtantia Lucæ Miſuri*, eodem liquore, Anno milleſimo ſexcen-

Digitized by Google

ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, febrium æſtus, ſtomachi angores, continuamque diarrhæam feliciter propulſavit.

Caput XII.

Diverſa alia miracula S. Virginis, quæ & in vita, & poſt mortem patravit.

1. SUens, acu pingens, aurumve ſcindens, repentino quandoque corripiebatur, nunquam alienabatur, mentis exceſſu; ſiquidem fixis in Cœlum oculis, inchoatum proſequens opus, clauſis feneſtris, oculiſque velatis, prout Moniales ſæpè ſæpiùs explorarunt, absque ullo oculorum ſubſidio, abſolutisſimè perficiebat, acſi illi duntaxat intenta foret, & nequaquam extra ſenſum conſtituta: id quod ſacra congregatio rituum inter miracula aſcribere reliqua non dubitavit, quæ S. Virgo in vita ſua perpetravit.

2. Anno 1588. Menſe Auguſti, intenſi temporis æſtivi calores vas vini integrum corruperant, quod S. Virgo ſigno Crucis integerrimè reſtauravit. vide ſupra.

3. Streperis, dum viveret S. Virgo ſe implicaverat culinæ moleſtiis & tumultibus; ſæpiusque didicêre ſorores, per S. Virginis merita & preces, neceſſitatibus culinæ abundanter provideri divinitus. *vid. ſupra lib. 2. cap. 5.*

4. Anno 1660. Menſe Auguſti, univerſum Monaſterii S. Mariæ ab Angelis, quod ſororum neceſſitatibus deſerviebat frumentum, corruperat temporis injuria, in vermes reſolutum & pulveres, malo ingemiſcentes Moniales, ad patrocinium confugêre S. Virginis, cujus imagine & oleo omnes ſignarunt ſaccos, in quibus frumentum attinebatur; humilibus inſtantes precibus, ut S. Virgo tantam à Cœnobio amovere dignaretur jacturam; moxque orationes ſanctas, cœlitus exauditas, docuit priſtinus frumenti vigor.

5. Anno 1663. & 1664. magna ovorum copia fœtuerat, quæ forinſecus jam ſordida, nigra & fœtida, diſpenſatrix multâ cum devotione inunxit oleo S. Virginis, poſtque dies aliquot fortuitu cellam promptuariam ingreſſa, ſingula reperit ova clara, transparentia, nitida.

6. Anno 1660. univerſum Monaſterii S. Mariæ ab Angelis deperierat vinum ducentorum barilium ſeu cadorum, mutato co-

Digitized by Google

lore & ſapore ſuperior duabus aliis adhibitis Matribus, oleum S.
Virgins in vaſa immiſit, tres gutulas inſingula, priſtinoque vigori reſtituerunt vinum univerſum merita S. Mariæ Magdalenæ.

, 7. Anno 1663. ſeu 1664. *D. Dominicus*, filius *Petri Caravitæ*
, Conſiliarii Regii, egreſſus Neapoli, quoddam ſuum caſale invi-
, ſurus dum ad Capellam cujuſdam Abbatis *Ioannis Ambroſano* per-
, veniſſet, è rheda deſcendit *Proſper* ejus frater, & retro currum
, cum Domino *Leonardo de Mauro*, virgis iocoſê ludens, idem *Do-*
, *minicus* ſurrexit, & pedibus ſtans, ut melius eos intueretur, defectu
, pedis ſiniſtri, cecidit è rhedario, ſupra alteram ex rotis anteriori-
, bus rhedæ, coxâque ſubtus aſſem complexa; quare terrefactis e-
, quis, & fugâ ab eis arrepta, abſque eo quod prædictus *Dominicus* ha-
, benas cohibere valeret, per quartam partem unius miliaris & ampli'
, per viam anguſtam, rheda à dictis equis veloci curſu protracta, om-
, nium judicio habitus fuit pro mortuo, ſanus tamen & abſque ulla
, læſione repertus eſt; indumentis tantum ſciſſis ac laceratis, inter-
, ceſſione dictæ B. ab ipſo, eodem momento prolapſus, invocatæ;
, & quæ illi in habitu Carmelitano apparuit, & prope ſe adeſſe con-
, tinuo ſibi videbatur.

, 8 *Caſparus Roomer* 1647. & 1648. dum Neapoli in arce nova,
, tempore tumultuum, cauſâ Confugii exiſteret de repente quo-
, dam motu interno compulſus & ſtatuit ſe conferre ſupra unam ex
, ſuis navibus, magnâ licet procellarum vi agitatam quam con-
, ſcendit invocatâ prius ope S. Mariæ Magdalenæ cum felucam,
, ſupra quam conſcenderat, ut liberius accederet ad cymbam
, majorem, magnâ undâ undique coopertam, inter fluctus deper-
, ditam omnes putarent; ſed expergefactus ſcamno ſe reperit inſi-
, dentem, quare ſtatim atque egreſſus fuit è dicta arce, plurimi
, tranſeuntes ante januam cameræ, quam inhabitabat, pilis plum-
, beis, ſcolpetis exoneratis, à populo cæſi ac graviter percuſſi ſunt;
, ex quo arguit interceſſione dictæ B. ab imminenti periculo vitæ in
, prædicta arce, quàm in conſcenſu ſupra navim, variis undarum
, fluctibus agitatam ſe liberatum fuiſſe: prout etiam Anno
1656. à Contagio. Idem Dominus Anno 1658. per dictæ ſanctæ

inter-

Digitized by Google

interceſsionem , ingentem pecuniarum vim , ab alio injuſtè , ſe inſcio , occupatam , feliciter recuperauit. Aliâ pariter vice , ſummam Ducatorum 70000. creditoribus deficientibus & alios ducatos 40000. præter omnem ſpem , ubi negotium S. Virginis patrocinio , ardentisſimis precibus , commendarat , ſe teſtatus eſt obtinuiſſe.

9. R. P. *Ægidius Martinez* , de quo ſupra *cap.* 6. §. 11. in proceſſu Florentino , fol. 264. jure jurando atteſtatus eſt , ſe per litteras fide dignisſimas , ad ſe deſtinatas , didiciſſe , quod navis alto inerrans mari cui *D. Ioannes Mendozza* inerat , velum , de quo ſupra loco citato , ſecum portans , in grave inciderit naufragii diſcrimen, quando ex improviſo , hippopera in mare cecidit , cui velum S. Virginis incluſum erat , omnia igitur uſque ad ipſam arculam , cui velum detinebatur incluſum , nec non immediatum veli continens peruaſit , & madefecit aqua , ſolo ſicco perſeverante velo S Virginis.

10. Religioſus quidam ſiniſtram, ſed innocens , incurrerat famam , à ſummo Pontifice ad rigoroſum ſupplicium requiſitus ; Innocuus meritis & intercesſioni ſe recommendavit S. Mariæ Magdalenæ , voto inſper , ſacrum corpus inviſendi , donumque offerendi nuncupato , ſubitòque miraculosè veracitas innotuit facti , & Religioſi patuit innocentia.

11. *Domina Laura Cavelcanti* , per annos novem continuos, inſtantisſimis precibus , interiorem quandam gratiam à diverſis efflagitarat ſanctis , ſed inefficaciter ; tandem S. Virginis meritis & patrocinio ſupplex advoluta , miraculosè Confeſſario teſte, tot annorum votis expetitum obtinuit chariſsima.

12. Sunt & alia multa prodigia & miracula , meritis S Virginis perpetrata, de quibus congregatio ſanctorum rituum in *Florentina Canonizationis B. Mariæ Magdalenæ de Pazziſo* in informatione ad ſanctiſſimum D. N. Clementem IX. directa , ita loquitur : *Sanctitas Mariæ Magdalenæ denique probatur* EX INNUMERIS *gratijs & miraculis , ab omnipotenti* DEO , *ejus meritis & intercesſione , etiam poſt indulta prædicta patratis , de quibus deponunt teſtes relati.*

CAPUT

Digitized by Google

Caput XIII.

De perenni incorruptione Corporis S. Mariæ Magdalenæ, narratione verbotenus extracta è proceſſu Florentino mir. 1.

1. Cum Anno 1607. die 25. Maij, ſecuto obitu S. Mariæ Magdalenæ, corpus Eccleſiaſticæ ſepulturæ traditum fuiſſet in Monaſterii choro, retro altare majus, Monialium Carmelitarum ad ſuburbium S. Fridiani, Florentiæ, humiditati obnoxium, tam ob contiguitatem cujusdam putei, quàm ſtillicidii illuc effundentis, à quo poſtmodum extractum, ac reconditum in quadam capſa cryſtallina in altari ipſi ſanctæ dicato, in Conventu S. Mariæ Angelorum, Florentiæ, à dextris altaris majoris ſubtus chorum, in quo Moniales conſueverunt recitare ac decantare officium divinum, ſervatur & conſpicitur incorruptum & palpabile, pannis holoſericis indutum, ad uſum Monialium Carmelitarum, etiamſi à die obitus illius, elapſi numerentur anni 60. & amplius. Quod factum primò comprobatum fuit à Judicibus remiſſorialibus, qui 13. Septembris Anno 1663. ad ſacrum tumulum accedentes, & apertâ capsâ ſe, ſepulchrali cryſtallinâ, per quam relucebat corpus ibi repoſitum, viderunt dictum pignus veſtitum ex lamina argentea, alba & nigra, nempe cappa ex lamina nigra, & cum velaminibus albis & nigris, juxta habitum aliarum Monialium dicti Monaſterii; faciem habebat detectam & nigram, pedes fuſcos & nudos, manus minus fuſcas, nudas & ſuper pectus expanſas; & cùm dextra careat digito annulari, quem dixerunt Moniales fuiſſe ſectum & traditum fel. record. Urbano VIII. ſic ipſo jubente, loco naturalis inſitus eſt aureus digitus (dictum porro digitum ab eodem Urbano VIII. dono accepêre, hodieque poſſident Carmelitanæ Monaſterii S. Incarnationis, Romæ in Monte Cavallo) *ſuavem totum corpus ſpirabat odorem, & quamvis veſtimenta redolerent, eò magis membra corporis fragrabant.* Et Illuſtriſſimi Reverendiſſimi Domini Judices prædicti, ſubpromotores, Medici ſupradicti, ac teſtes experti ſunt. *Odorando manus vel pedes, aut faciem, ut ſupra dictum eſt*, detectas & nudas; egoque etiam Notarius & omnes uno ore confeſſi ſunt fragrantiam ſentire, & à corpore & membris ejus bene olentibus provenire, & præcipuè ex ore omnes pariter ſunt experti, dum premeretur manus circa pulſum carnem eſſe mollem & flexibilem ſeu palpabilem, ita ut preſſa elevaretur, quod quidem magna admiratione præcipuè dictorum

Medico-

Digitized by Google

Medicorum recognoverunt; *in genu etiam ſupra veſtem tacto*, ſentiebatur, pellem poſt preſſum elevari: corpus cauſâ honeſtatis & decentiæ, non fuit aliter detectum, niſi pauliſper ſupra pedes & circa manum, & viſum fuit carnes eſſe minus fuſcas & candere: *Ita proceſſus Florent: mirac. 1.*

Caput XIV.

De perenni fragrantia & odore ſuaviſſimo, manante è Corpore & veſtibus S. M. M. ex eodem verbotenus proceſſu mirac. 2.

1. DEfunctæ S. Mariæ Magdalenæ corpus ſepultum in loco humido, & ut ſuperius dictum, poſtea effoſſum, inque Monaſterium S. Mariæ Angelorum delatum, compertum fuit, non ſolùm incorruptum & palpabile, ac odorem mirificum & ſuaviſſimum ſpirans uſque ad præſentem diem, perſeverantem; ſed quod mirabilius eſt, è capſa, in qua reconditum jacet ac ex indumentis, quibus tegitur idem odor præſentitur, quem magis membra corporis redolent, præcipuè verò ex ejus ore efflari omnes ſunt experti, ut patet ex dicta viſitatione Apoſtolica & depoſitione teſtium, qui pluries dictum ſacrum corpus pertractarunt, veſtibusque ſpoliarunt, unanimiter conteſtantes, quòd, quando aperitur capſa, in qua reconditum inviſitur corpus S. Mariæ Magdalenæ odor prædictus diffundat ſe per cellas contiguas, & poſt contactum illius, odor etiam per aliquod temporis ſpatium conſervatur in manibus & veſtibus Monialium, illud tangentium, quæ amplius ſæpiſſimè illum percipiunt, licet capſa reſeretur. Eædem Moniales non modò deponunt de certa ſcientia, quia viderunt corpus prædictum, tetigerunt ac odorem perceperunt, ſed etiam illud ab aliis Monialibus magis antianis audiverunt, ſimilem fragrantiam è corpore, capſa & indumentis dictæ ſanctæ ſemper exhalaſſe. Quæ optimè coarctant negativam, quod ſcilicet nec in capſa prædicta, nec circa eam flores, pulveres, aquæ odoriferæ, aut quippiam aliud genus odoris, unquam apponantur ſeu deferantur, imò id expreſſè vetitum eſſe, ne quidquam circum circa apponatur, quod ſapiat odorem.

3. Sed quod admiratione dignum eſt, abſterſo cum lixivio quodam panniculo ad uſum Monialium, vulgo *ſaggolo* dicto,

 & ſupra

Digitized by Google

& ſupra dictum corpus exiſtente ; quod conſuevit deferri ad infirmos odorem primævum ſervavit, & inter cæteros pannos lineos, ex fragrantia ab eo manante, diſcernitur. *Hucusque proceſſus Florentinus mirac. 2.*

4. Denique è tibiis corporis Sanctæ, integri, ut diximus, & incorrupti diutinus miræ fragrantiæ promanavit liquor, variis languoribus medendis admodum ſalutaris. *vid. infra. cap* 15. §. 8.

Caput XV.

De Beatificatione S. Mariæ Magdalenæ.

1. INcrebreſcente ſanctitatis, venerationis & miraculorum famâ earundemque continuatione, proceſſus informativi, Florentiæ, Lucæ, & Parmæ de Annis 1610. & 1611. juxta decretum fæl. rec. Pauli V. authoritate ordinaria peracti, inſtantibus Principibus Ethruriæ, & Monaſterio S. Mariæ Angelorum, juſſu Urbani VIII. in congregatione ſacrorum Rituum, ad relationem Cardinalis Urſini, diſcuſſi fuêre; atque exinde Urbanus VIII per commiſſionem ſpecialem, manu ſanctitatis ſuæ ſubſignatam, Beatificationis & Canonizationis Mariæ Magdalenæ cauſam *cocino*, *Manzanedo*, *& Pirovano*, rotæ Auditoribus cognoſcendam, inquirendam, & diſcutiendam mandavit; à quibus, vigore dictæ commiſſionis, relaxatæ fuêre literæ Remiſſoriales ſuper inquiſitione ſpeciali.

2. In quarum executionem, Apoſtolica authoritate, coram Judicibus Remiſſorialibus, Florentiæ, peractus fuit proceſſus in Specie, ſuper ſanctitate & excellentia vitæ virtutibus & miraculis S. Mariæ Magdalenæ poſt cujus maturam diſcuſſionem, coram teſtibus 108 factam, dicti auditores ſuam eidem Urbano VIII. in ſcriptis transmiſerunt relationem ; in qua non modo dicti validitatem proceſſus, legitimumque admisêre teſtium examen; ſed etiam quoad relevantiam cenſuerunt; tum de Theologalibus fidei, ſpei, & Charitatis ; tum de Cardinalibus prudentiæ, juſtitiæ, fortitudinis, & temperantiæ, aliiſque annexis ac dependentibus, conſtare virtutibus ; nec non de Prophetiæ dono, & miraculorum frequentia.

3. Hanc relationem rotalem, ejusdem Urbani VIII. juſſu tranſ-

Digitized by Google

tranſmiſſam, ſacra Rituum congregatio diſcuſſit ſolidè; omnia quæ in ea contenta, tam quoad validitatem proceſſus, quàm circa relevantiam virtutum & miraculorum approbavit.

4. Die enim quarto Aprilis, Anno 1626. de validitate dicti proceſſus conſtare decrevit, tenore ſequenti.

FLORENTINA DE PAZZIS.

Illuſtriſſimus Cardinalis Pius, uti ad hoc deputatus, citato Domino Antonio Cerro, Advocato Fiſcali & promotore fidei, à ſac. congreg. deputato, retulit proceſſum factum ſuper Canonizatione ſororis Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Carmelitanæ, ad effectum diſcutiendi; an conſtet de validitate remiſſorialis, Florentiæ facti; & ſac. Congregatio decrevit, conſtare de validitate ipſius proceſſus.

5. Eodem Anno, 24. Aprilis, de heroicis S. Mariæ Magdalenæ virtutibus conſtare decrevit in verba ſequentia.

FLORENTINA DE PAZZIS.

Illuſtriſſimus Cardi. Pius, proſequendo cauſam Canonizationis Ancillæ Dei ſororis Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Carmelitanæ; citato Domino Cerro, Advocato Fiſcali & promotore fidei, egit de ſanctitate vitæ & virtutibus dictæ ancillæ Dei, & auditâ dicti Illuſtriſſimi Domini Cardinalis relatione, ſacra congregatio cenſuit conſtare de virtutibus; die 24: Aprilis 1626.

6. Tandem die ſecundo Menſis ſequentis, conſtare cenſuit de aliquot miraculis in vita, & poſt mortem patratis. Nec non eâdem die dictam ſervam Dei Mariam Magdalenam poſſe decrevit, quandocunque placuiſſet Sanctiſſimo, Beatam declarari, imò ad ejus Canonizationem, juxta S. R. E. ritum & ſacrorum Canonum diſpoſitionem procedi, Sanctorumque virginum inſeri Catalogo; prout ſubjecti exhibet Decreti tenor.

FLORENTINA.

7. *Actum eſt de proceſſu ancillæ Dei ſororis Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Carmelitanæ, referente Illuſtriſſimo D. Cardin. Pio, ad effectum cognoſcendi de miraculis. Et quoad miracula facta in vitâ, approbatum fuit miraculum Primum. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9.*

8. *Quò verò ad miracula poſt mortem, imprimis ſacra congregatio cenſuit probatum eſſe, quòd corpus dictæ Ancillæ Dei ſpiraret ſuavem odorem, & tempore examinis teſtium, eſſet incorruptum.*

Digitized by Google

Quò verò à genibus & cruribus ejuſdem ancillæ Dei, ſcuturiret oleum odoriferum, fuit habitum pro miraculo; ſicut etiam quatuor miracula, facta in perſonam Mariæ de Rouai, nec non miraculum, factum in perſonam Catharinam de Totus; Itemque miraculum, factum in perſonam Magdalenæ Rondoni, & illud factum in perſonam Petri Alli, omnia prædicta fuerunt judicata miracula; Vnde ſacra congregatio, ſi ſanctiſſimo placuerit, cenſuit poſſe devenire ad Beatificationem & Canonizationem prædictæ ſororis Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & extendi decretum, ut infra videlicet;

Cauſa Canonizationis ancillæ Dei, ſororis Mariæ Magdalenæ de Pazzis Florentinæ, Ordinis Carmelitarum de obſervantia, poſt relationem à tribus Rotæ Auditoribus, tam ſanctiſſimo, quàm ſacræ rituum congregationi factam, re plenè maturèque per plures ſeſſiones diſcuſsâ, referente Illuſtriſſimo Pio; ac cognito diſtincte, & conſtito, primum de validitate proceſſus, deinde de heroicis virtutibus dictæ Ancillæ Dei, demum de miraculis, tam in vita, quàm poſt mortem factis, ſacra rituum congregatio cenſuit, & decrevit, dictam ſororem Mariam Magdalenam poſſe, quandocunque Sanctiſſimo placuerit, Beatam declarari, atque ejus Canonizationem; juxta S. R. E. & ſacrorum Canonum ritum, & diſpoſitionem deveniri, & in numerum Sanctorum, qui Cœlo, divinoque aſpectu fruuntur, cooptari; utque talem ab omnibus colendam, die 2. Maij 1626. In quorum fidem Romæ die 3. Auguſti 1668. loco † ſigilli. Bernardinus Caſalius ſacr. rit. congr. ſecr.

9. Ad inſtantiam itaque infra in Brevi primo & ſecundo expreſſorum Urbanus VIII præfatam ſacræ Congregationis ſententiam approbans, per ſuas litteras in forma Brevis, 8. Menſis Maij, Anno 1626. *Summ. Num.* 5. infra ciandi Apoſtolica authoritate, Ancillæ Dei Mariæ Magdalenæ Beatificationis ſolemnitatem imperititurus; perpetuò conceſſit, indulſitque, ut ipſa impoſterum Beata nuncupari, officiumque & miſſa de illa tanquam de communi Virginis non Martyris, in omnibns & ſingulis Civitatis Florentinæ Eccleſiis, itemque Romæ pro illo duntaxat anno in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ, nationis Florentinorum, in qua Beatificationis dictæ ſolemnitas peragenda erat, in ejuſdem Beatæ obitus, ſeu aliâ ſubſequenti die, non impedita, à quibuſuis clericis & preſbyteris, tam ſæcularibus quàm regularibus, recitari, & celebrari reſpectivè poſſent & valerent. Quod indultum idem Pontifex, de ejuſdem ſacræ congregationis conſilio, bis ampliavit; primò

quidem

Digitized by Google

quidem ad univerſum ordinem Carmelitarum, qui anno Beatificationis, dictum favorem non obtinuerant; quam enim, irrequietâ ſanctitatis, miraculorum, gratiarumque Mariæ Magdalenæ, per omnium ora volante, famâ, totus ordo, concordibus votis, ſtudiisque meditabatur, apud Sanctiſſimum Dominum Beatificationis S. Mariæ Magdalenæ ſollicitationem; longè potentiores, ordine non monito, feliciter promoverunt, faciliter conſummarunt, *Ferdinandus Magnus Etuariæ Dux*, nec non *Maria Magdalena ab Auſtriâ, & Chriſtianna à Lotharingiâ*: earundemque, & aliorum Magnatum innixæ favoribus, Prioriſſa, & Moniales S. Mariæ Angelorum. Ideoque Sanctiſſimus, dictis tantummodo perſonis, primo illo anno, in ſingularis proemium devotionis & pietatis, quam in ſollicitanda hac Beatificatione demonſtrarant, hujuſmodi impertiendum conſuit favorem. Sequenti itaq; anno ſcilicet anno 1627. ſupplicantibus *Gregorio Canalio*, Generali Ordinis Carmelitarum, & *Ioanne Stephano Barberio*, ejusdem Ordinis tunc procuratore Generali, ſua ſanctitas non modò declaravit, illam fuiſſe Monialem Carmelitanam, antiquæ obſervantiæ Regularis, ſed & inſuper univerſo Carmelitarum Ordini indulſit, ut quotannis in die anniverſario S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, officium, & miſſam de communi Virginis non Martyris, juxta proprium Carmelitarum Breviarium, à S. Sede approbatum, omnes utriusque ſexus dicti Ordinis, ubique exiſtentes, reſpectivè recitare poſſent, & celebrare, prout latius infra citandum edocebit *Breve*, in ordine ſecundum.

10. Denique iteratis prædicti Magni Ducis precibus, ſupplicisque ſuffragaturus, idem Sanctiſſimus, per alias litteras ſimiles 18. Januarii, Anno 1628. hujusmodi indultum, ad omnes & ſingulas extendit, tam in Diœceſi Florentina, quàm in univerſa ditione temporali dicti Magni Ducis ſituatas, Eccleſias; vide infra *Breve* tertium.

11. Poſtmodum ad promovendam ejusdem Sanctæ Devotionem, & famam, idem fæc. re. Urbanus VIII. B. Mariam Magdalenam de Pazzi, Martyrologij Romani Catalogo inſerendam decrevit, verbis ſequentibus, die 25. Maij, *Florentiæ, B. Mariæ Magdalenæ Virginis, Ordinis Carmelitarum, vitâ & ſanctitate illuſtris.*

12. Vix Beatificationis S. Mariæ Magdalenæ emanaverat indultum, quando nova, longè, lateque ſeſe inſinuavit Mariæ Ma-

 gdalenæ

Digitized by Google

gdalenæ ſanctitatis, virtutum, miraculorum, gratiarum, & chariſmatum fama, quæ Italiam, Hiſpaniam Germaniam, Franciam, Angliam, Poloniam, Hyberniam, Indias Orientales, & Occidentales repleuit, continuò auctâ Chriſtifidelium, nec unquam interruptâ, erga Mariam Magdalenam devotione; Quam equidem veritatem in proceſſu Florentino, & Neapolitano plurimis, iisque irrefragabilibus ſtabilitam reperio argumentis, quæ ſingula proſequi, noſtri non eſt inſtituti. Quapropter Urbanus VIII. nova edidit decreta de reaſſumptione cauſæ hujuſmodi, ut veritas certa mundo propalaret, quæ poſt præfata venerationis indulta, evenerant. Sed mors Sanctiſſimi immaturior primum ſtitit cauſæ progreſſum, donec Rex & Regina Catholici; Dux & Duciſſa Sabaudiæ Magnus Dux Etruriæ, Cardinalis de Medices, aliique Galliæ Principes, per litteras iterum fœl. rec. Alexandro VII. ut ad executionem præfati decreti ſacræ Rituum Congregationis procedere dignaretur, ſupplicarunt ſigillatim ſub dato ſequenti,

Regis Catholici, ac Reginæ die 8. Decembris 1659.

Ducis, & Duciſſæ Sabaudiæ 1. Ianuarij & 27. Februarij 1659.

Magni Ducis Etruriæ ad Sanctiſſimum, & Eminentiſſimum D. Cardinalem Chiſium 27. Auguſti 1656. & 19. Octobris 1659.

Cardinalis Medices 5. Septembris 1659.

Ducis & Duciſſæ Aurelianenſis 8. & 9. Decembris 1658.

Principis de Conti 17. Novembris 1658.

Principiſſæ Annæ Mariæ Ludovicæ Aurelianenſis.

Ducis, & Duciſſæ Guiſiæ 18. Novembris 1658.

13. Aliàs porro perhibet literas extractum quoddam ex actis capituli Generalis Ordinis Carmelitani, celebrati Menſe Maio, Anno 1660. regiſtratis in libro Ordinis, in quem acta cunctorum Capitulorum Generalium referuntur, fol. 337. & ſummarium de Canonizatione S. M. Magdalenæ de Pazzis &c. Romæ impreſſum in Typographia Rev. Cameræ Ap 1661. tenore ſequenti

Fidem facio per præſentes ego, ſacrorum Rituum Congregationis Notarius, Cancellarius & Archiuiſta, infraſcriptus, qualiter die 15. Ianuarij 1661. Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus, Franciſcus Maria Phæbeus, ſacræ Rituum Congregationis Secretarius, in cubiculis ſuæ ſolitæ habitationis Romæ poſitis in regione pontis ſeu &c. conſignavit mihi &c. infraſcriptas literas Catholicorum Regis & Reginæ Hiſpaniarum &c. & aliorum Sanctiſſimo Domino *Noſtro* P*apæ directas, cum una Eminentiſſimo & Rever.* D.

Cardi-

Digitized by Google

Cardinali Chiſio, Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Alexandri VII. ſecundùm carnem, Nepoti; pariter directis, continentes inſtantias pro Canonizatione venr. ſervæ Dei B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Ordinis Carmelitarum, in papyro ſeu chartis, & foliis albis conſcriptis tenoris &c. quæ ſunt infraſcriptæ, videlicet:

1. Catholici Regis Hiſpaniarũ &c. Don. Philippi, datæ die 8. Decem. 1658.

2. Catholicæ Reginæ Hiſpaniarum &c. Donnæ Mariæ Annæ, datæ 2. Martij 1659.

3. Sereniſſimæ Duciſſæ Donnæ Mariæ à Lotharingia Guiſiæ, datæ ſub die 18. Novembris 1658.

4. Sereniſſimi D. Ducis de Ghiſia abſque data.

5. Sereniſſimi D. Ducis Gaſtonij de Orleans, datæ die 9. Decem. 1658.

6. Sereniſſimæ Duciſſæ Orleanen. Margaritæ à Lotharingiâ; datæ 8. Decembris 1658.

7. Sereniſſimæ Principiſſæ Madamiſellæ Annæ Mariæ Ludovicæ de Orleans, abſque datâ.

8. Sereniſſimi D. Principis de Conti Armandi de Bourbonio, datæ die 7. Novembris 1658.

9. Sereniſſimi D. Ducis Sabaudiæ Emanuelis; datæ die 27. Febr. 1659.

10. Sereniſſimæ Duciſſæ Sabaudiæ Chriſtianæ, datæ 1. Ianuarij 1659.

11. Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. Cardinalis Medices, datæ 5. Septembris 1656.

12. Sereniſſimi Domini Magni Ducis Etruriæ, datæ 28. Auguſti 1657.

13. Sereniſſimi ejusdem Domini Magni Ducis Etruriæ, datæ 19 Oct. 1656.

14. Sereniſſimi ejusdem Magni Ducis Etruriæ ſupradicto Eminentiſſimo D. Cardinali Chiſio directæ, datæ eodem die 19. Octob. 1657. &c.

Caput XVI.

De Solemni S. Mariæ Magdalenæ Canonizatione.

1. TOt ab Urbe & orbe votorum frequentiis expetitam S. Mariæ Magdalenæ Canonizationis executionem, de Anno in annum, procraſtinante, tanti re ponderis, & momenti, Anno 1667 Ponente Eminentisſimo Card. *Azzolino*, examinati, & à ſac. Rituum congregatione, de M. Magdalenæ ſanctitate, virtutibus, & miraculis inſtituti, Florentinus & Neapolitanus, primo Clementis IX. Pontificatus Anno, approbati fuère proceſſus, ut ſequitur.

FLORENTINA

2. *Canonizationis B. M. M. de Pazzis, Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo.*

Congre-

Digitized by Google

Congregatio ſac. Rituum, habita coram Sanctiſſimo ad relationem Eminentiſſimi Domini Card. Azzolini, in cauſa Canonizationis dictæ Beatæ, cenſuit conſtare de validitate proceſſuum, Florentiæ & Neapoli confectorum ſuper ijs, quæ ſupervenerunt poſt illius Beatificationem, & teſtes in eis examinatos, & compulſatos reſpectivè, eſſe ritè & rectè examinatos, & jura in eis contenta fuiſſe legitimè compulſata; ideoque poſſe ad ulteriora procedi hac die 4 Octobris, Anno 1667.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginnettus. Loco † ſigilli:
Bernardinus Caſalius ſac. rit. congr. Secretarius.

3. Tandem literæ inviċtiſſimi Imperatoris, LEOPOLDI I. datæ Viennæ 15. Januarij Anno 1668. Auguſtiſſimæ Imperatricis Regnantis Thereſiæ ſcriptæ Viennæ 6. Martii, Anno 1668. Reginæ Regentis Hiſpaniarum, Madriti 21. Martij, Anno 1668. nec non R. P. Matthæi Orlandi, Generalis Ordinis Carmelitarum & Andrêæ Lao ejusdem Ordinis Procuratoris Generalis, zelus, ardor, inſtantiæ, Sanctisſimum D. noſtrum Clementem IX. P. O. M. induxêre, ut Mariam Magdalenam, humilitatis abyſſum, publicâ atque univerſali Sanctorum veneratione, colendam, ſecundo Pontificatus ſui anno decernere non dubitarit, ſequenti hunc in finem edito & evulgato decreto.

FLORENTINA

4. *Canonizationis B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Ordinis Beatiſſimæ Virginis de Monte Carmelo.*

Quamvis in cauſa B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, reperiretur jam editum decretum, die 2. Maij 1626. poſſe, quandocunque deveniri ad ſolemnem ejusdem Canonizationem, tamen, compilatis proceſſibus ſuper cultu exhibito, authoritate Apoſtolica, nec non de his, quæ poſt indultam venerationem, ſupervenerunt ad formam & præſcriptum noviſſimorum decretorum ſan. mem. Vrbani VIII. huſque nunc demum acriter diſcuſſis, ſacrorum rituum Congregationi, habitæ coram Sanctiſsimo, viſum fuit, decretis hujusmodi pleniſſimè ſatisfactum fuiſſe, & conſtare de quinque miraculis ex terdecim allatis, & in diſcuſſionem adductis, videlicet de primo, & ſecundo continuationis, incorruptionis, & fragrantiæ Corporis Beatæ, nec non de tertio, & quarto multiplicationis olei, ſecutis in Monaſterio S. Mariæ Angelorum, Florentiæ, nempe Anno Anno 1626. olei inquam, in lam-

pades

pades pleraſq; infundendi, & per octiduum arſuras in celebratione ſolemni Beatificationis ipſius Beatæ. Et anno 1654. ex tantillo olei prædicti multiplicati, in urceum, ferè vacuum, effuſi, affixâ etiam urceo extrinſecus imagine Beatæ, ejusq; ope imploratâ, adeo ut exigua quantitas, dietim multiplicata, ſatis fuerit indigentiys Monaſteriy, per integrũ quadrimeſtre, nec multiplicare deſierit uſque quo novi olei recollectio ſubſecuta eſſet. Eaque ſingula miracula prædicta ad ſecundum genus Sac. Congregatio retulit, ſeptimum ad tertium genus, nempè reſtitutionis viſus Magdalenæ Angelæ Gorinæ Guttâ Serenâ per biennium orbatæ, & cum primum Beatæ opem imploraſſet, illuminatæ.

Expletis itaq; ſingulis, quæ noviſſima exigunt decreta, accitis iterum per Sanctitatem ſuam conſultoribus, una omnium, patrumq; ſententia fuit, quandocunq; tutò deveniri poſſe ad ſolemnem B. M. Magdalenæ Canonizationem juxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ & ſacrorum Canonum di ſpoſitionem, die 10. Septembris 1668.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco †. Sigilli. Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

5. Neque diu ſilere potuit Cauſa, quam ſingularis ipſiusmet Sanctiſſimi totius Roſpilioſæ propaginis, in S. M. Magdalenam pietas & devotio, jugiter promovendam, & indilatè accelerandam urgebat; quare diem ſolemni Canonizationi ſanctiſſimus aſſignavit 28. Aprilis, anno 1669. moxque aliis diſpoſitionibus præviis, 8. Aprilis horâ 14. Conſiſtorium ſemipublicum in Aula Ducum Vaticanâ intimatum fuit, in quo Eminentiſſimi Domini Cardinales, nec non Reverendiſſimi Domini Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, favorabilem unanimi calculo tulêre ſententiam pro Canonizatione M. Magdalenæ de Pazzis; Die 25. ejuſdem Menſis Indulgentia plenaria idiomate Italico typis impreſſa, perque Urbem divulgata fuit, pro in omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui ſuis & pecibus & jejuniis (quorum tria indicabantur, ſcilicet die Mercurij 27. Veneris 29. & Sabbatho 30. ejuſdem Menſis) gravèm promoturi eſſent dictæ Canonizationis deliberationem; quas eaſdem indulgentias S. D. N. renovavit pro 3. 5. & 6. Aprilis, in eorum gratiam, qui ipſas necdum lucrati forent. Tandem illuceſcente optatiſſimo ſolemnitatis die B. M. Magdalenam cum ineffabili populi concurſu & jubilo, totius Ordinis Carmelitani applauſu & decore, nec non univerſalis Eccleſię tripudio, ſanctarum Virginum cætui, in vaticano aſcripſit ſanctiſſim⁹ Dominus noſter Clemens Papa nonus, cujus memoria in benedictione eſt.

 6. Die

Digitized by Google

6. Die 23. Maij, ejusdem anni, Sanctiſſimus indulgentiam plenariam promulgari fecit pro omnibus & ſingulis utriusque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui Eccleſias quorumcunque Conventuum Monaſterioū & domiorum Regularium, tam Fratrum, quàm Monialium Ordinis Carmelitani, ubicunque locorum per orbem univerſum exiſtentes, die, quo ſolemnitas Canonizationis S. M. M. ibidem celebranda foret, vel aliquo ex ſeptem diebus immediatè ſequentibus, devote viſitaturi, proque Chriſtianorum Principum concordiâ, hæreſum exſtirpatioue, S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuſuri eſſent. Feſtivitas hæc in Tranſpontinæ Eccleſia feriâ ſecundâ Pentecoſtes, 10. Junii (delato pridie cum plurimorum Religioſorum Ordinum interventu è Vaticano ad eandem, S. Virginis vexillo) inchoata fuit; quam ipſamet ſua Sanctitas, primo ſolemnitatis die, præſentiâ ſuâ illuſtrare, & conſecrare dignata fuit, prævia Paſtor imprimens, quæ grex imitaretur legeretque pietatis veſtigia.

7. Alia inter, per ſedem Apoſtolicam, ad promovendum Chriſtifidelium, erga S. Mariam Magdalenam cultum, devotionem & affectum, indulta chariſmata, facile ſupereminet illud, quo ſanctiſſimus D. hujus unius intuitu Canonizationis, varias alias diſperſit indulgentias; & in ſpecie quidem (ſuppreſſis reliquis, quas in dulto Apoſtolico, deſuper Romæ edito, 1669. fuſius expreſſas, brevitatis amore prætereo) ſequentes.

8. Quisquis, ſemel ſaltem in ſeptimana, recitare ſolitus fuerit coronam Domini, aut B. M. Virginis aut Roſarium, aut tertiam illius partem; aut officium divinum, vel paruum B. V. M. vel mortuorum; aut ſeptem Pſalmos pœnitentiales vel Graduales, aut quisquis aſſueverit inviſere carceratos, pauperibusve ſubvenire; ſi confeſſus, in die feſto S. M. M. qui eſt 25. Maij, communicarit Deumque pro ſublevandis ſanctæ Matris Eccleſiæ neceſſitatibus, orarit, toties quoties indulgentiam conſequetur plenariam.

9. Qui vigiliam feſti S. M. M. jejunio, diem verò ipſius ſolemnitatis, confesſione & communione honoravit, plenariam conſequetur indulgentiam toties quoties.

10. Qui Miſſam celebrarit, aut confeſſus & communione ſacrâ refectus illā audierit ad altare, ubi imago, aut corpus, aut reliquia aliqua S. Mariæ Magdalenæ aſſeruatur, uno cujusque Menſis die, ad li-

Digitized by Google

ad libitum eligendo, & oraverit ut ſupra, plenariam conſequetur indulgentiam.

11. Qui de peccatis ſuis actum veræ elicuerit pœnitentiæ, cum firmo emendationis propoſito, aut virtutis cujuspiam exercuerit actum, ad exemplum S. M. M. Verbi gratia, jejunando ſemel, cum ſingulari aſperas ejusdem Sanctæ pœnitentias aliquatenus imitandi devotione; toties quoties ſeptem lucrabitur annorum indulgentias, & totidem quarantenas.

12. Qui aliquod legerit caput vitæ, ejusdem ſanctæ, aut illius inviſerit altare, aut coluerit imaginem ipſius, Deumque oraverit, ut ſupra, toties quoties centum lucrabitur annorum indulgentiam.

13. Qui pauperibus eleemoſynam, aut fidei, bonorumque morum erogaverit, aut per alios erogari fecerit doctrinam, in dictæ Sanctæ honorem toties quoties, 100. lucrabitur annorum indulgentiam.

14. Qui in mortis articulo, ſuam Deo animam devotè commendans, opem implorarit S. M. M. ore, aut corde, ſi nequeat ore, & confeſſus, communicatusque fuerit, aut ſaltem, ſi aliter nequit, contritus, plenariam conſequetur omnium peccatorum ſuorum indulgentiam.

15. Omnes hæ indulgentiæ per modum ſuffragii applicari poſſunt animabus purgatorii.

16. Ut quis dictas lucretur indulgentias, coronam, Roſarium, imaginem, crucem, aut numiſma habere debet, à ſua ſanctitate benedictum, occaſione Canonizationis ſanctæ Mariæ Magdalenæ, quorum aliquo inſtructus, ſi præſcriptos, licet alio ex titulo debitos, impleverit actus, dictas lucrabitur indulgentias.

Digitized by Google

Bulla Beatificationis S. M. Magdalenæ de Pazzis, Ordinis Carmelitarum antiquæ obſervantiæ Regularis.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſede Principis Apoſtolorum, nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis, à Domino conſtituti, pijs fidelium votis, quibus virtutum Dominus in ſervis & ancillis honorificatur, libentiſſimè annuimus eaq; favoribus proſequimur opportunis, prout in Domino conſpicimus expedire. Sanè pro parte dilecti filii, nobilis adoleſcentis, Ferdinandi Etruriæ ſibi ſubjectæ magni Ducis, dilectarum in Chriſto filiarum, nobilium mulierum, Mariæ Magdalenæ Archiduciſſæ Auſtriæ, & Chriſtiennæ à Lotharingia, Etruriæ ſimiliter ſibi ſubjectæ; Magnarum Duciſſarum Viduarum, nec non Prioriſſæ, ac Monialium Monaſterij S. Mariæ Angelorum, nuncupati in Burgo S. Fridiani, Civitatis Florentiæ, nobis nuper expoſitum fuit, quòd bo: me: Ancilla Dei, Maria Magdalena de Pazzis, Florentina, monialis dicti Monaſterij, multis eximijs virtutum, & gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illuſtrata fuit. Quapropter Ferdinandus Magnus Dux, & Maria Magdalena Archiduciſſa, nec non Chriſtienna magna Duciſſa vidua, ac Prioriſſa, & Moniales prædictæ, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut Donec Canonizationis honor dictæ Ancillæ Dei M. Magdalenæ ob ejus excellentia merita divina ſpirante gratiâ ab Apoſtolica ſede decernatur: Eadem Ancilla Dei M. Magdalena Beata nuncupari, atque officium & miſſa de eâ, ut infra recitari, & celebrari poſſit. Quare nos, re prius per venerabiles fratres noſtros, S. R. E. Cardinales, ſacris Ritibus præpoſitos, quibus eam examinandam mandavimus, maturè diſcuſſâ, de eorundem Cardinalium conſilio, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut ipſa Ancilla Dei, M. Magdalena, impoſterum Beata nuncupari, officiumq; & miſſa de ea tanquam de communi Virginis non Martyris, juxta Rubricas Miſſalis, & Breviarij Romani in omnibus & ſingulis Civitatis Florentinæ Eccleſijs, & hic Romæ pro præſenti anno duntaxat, in Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ, nationis Florentinorum, in qua Beatificationis hujuſmodi ſolemnitas celebrabitur, in ejuſdem Ancillæ Dei Mariæ Magdalenæ obitus, ſeu aliâ ſubſequenti non impedita, die, à quibusvis Clericis, & preſ-

& preſbyteris tam ſæcularibus, quàm Regularibus recitari, & celebrari reſpectivè poſſit, & valeat, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus; non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunq̃. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubiq̃ fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam majorem, ſub annulo Piſcatoris die 8. Maij 1626. Pontificatus noſtri anno tertio. V. Theatinus.

Bulla, quâ univerſo Carmelitarum Ordini publicus indulgetur cultus, & veneratio S. M. Magdalenæ de Pazzis.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſupremo Apoſtolatus ſolio, meritis licet inſufficientibus divina diſpenſatione conſtituti, ad ea, per quæ ſervorum, & Ancillarum Chriſti honor, & veneratio in terris promoveatur, juxta creditum nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium, libenter intendimus, votiſq̃ Chriſti fidelium honorem, & venerationem hujuſmodi reſpicientibus libenter annuimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem pro parte dilecti filij Nobilis adoleſcentis Ferdinandi Etruriæ ſibi ſubjectæ magni Ducis, ac dilectarum in Chriſto filiarum, nobilium mulierum, Mariæ Magdalenæ Archiduciſſæ Auſtriæ, & Chriſtiennæ à Lotharingia Etruriæ ſibi ſubjectæ magnarum Duciſſarum viduarum, nec non Prioriſſæ & Monialium Monaſterij S. Mariæ Angelorum nuncupati, in Burgo S. Fridiani, Civitatis Florentinæ. Nobis expoſito, quòd bo: me: Ancilla Dei M. Magdalena de Pazzis, Florentina Monialis, multis & eximijs virtutum & gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illuſtrata fuerat. Nobiſque propterea pro partē eorundem Ferdinandi magni Ducis, & Mariæ Magdalenæ Archiduciſſæ, nec non Chriſtiennæ magnarum Duciſſarum Viduarum, ac Prioriſſæ, & monialium humiliter ſupplicato, ut, donec Canonizationis honor dictæ ancillæ Dei M. Magdalenæ ob ejus excellentia merita, divinâ aſpirante gratiâ, ab Apoſtolica ſede decernatur, eadem Ancilla Dei M. Magdalena, Beata nuncupari, atque officium & miſſa de ea ut infra recitari,

Digitized by Google

citari, & celebrari poſſet. Nos reprius per Venerabiles fratres noſtres S. R. E. Cardinales ſacris ritibus præpoſitos, quibus eam examinandam mandavimus, maturè diſcuſsâ, de eorundem Cardinalium conſilio hujusmodi ſupplicationibus inclinati, ut ipſa Ancilla Dei M. Magdalena, B. nuncupari, officiumque & miſſa de ea, tanquam de communi Virginis non Martyris, juxta Rubricas Miſſalis, & Breviarij Romani, in omnibus & ſingulis Civitatis Florentinæ Eccleſiæ, & hîc Romæ, pro tunc præſente anno duntaxat in Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ, Nationis Florentinorum, in qua Beatificationis hujusmodi ſolemnitas celebranda erat, in ejusdem Ancillæ Dei, Mariæ Magdalenæ obitus, ſeu alia ſubſequenti, non impeditâ die, à quibusvis Clericis & presbyteris, tam ſæcularibus, quàm regularibus recitari, & celebrari reſpectivè poſſent & valerent, Apoſtolicâ authoritate conceſſimus, & indulſimus, & aliàs prout in alijs noſtris deſuper in ſimili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores pro præſentibus haberi volumus, plenius continetur. Nunc autem ſupplicationibus dilectorum filiorum Generalis, aliorumq; Superiorum, & Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo nobis humiliter porrectis inclinati, de eorundem Fratrum conſilio, dictam B. M. M de Pazzis, dicti Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Monialem, dum ipſa vixit, fuiſſe, tenore præſentium declaramus. Quòdque in omnibus Monaſteriis, locis, & Eccleſiis dicti Ordinis in ipſius S. Mariæ Magdalenæ obitus, ſeu alia ſubſequenti die, non impeditâ, ſingulis annis ab omnibus utriusque ſexus ejusdem Ordinis Religioſis, officium & Miſſa, & à confluentibus ad Eccleſias dicti Ordinis in alma Vrbe noſtra, & Civitate Florentina, existentes. Miſſa duntaxat de eadem B. Maria Magdalena, tanquam de communi Virginis non Martyris, juxta ipſius Ordinis Breviarium à Sede Apoſtolica approbatum, & Rubricas Breviarii, ac Miſſalis Romani, in futurum recitari & celebrari liberè pariter & licitè, reſpectivè poſſint & valeant, authoritate & tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus omnibus & ſingulis, quæ in dictis literis volumus non obſtare, cæterisque Contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. M. Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Aprilis 1627. Pontificatus noſtri Anno quarto.

Bulla

Bulla, quâ idem favor ad univerſam extenditur ditionem Florentinam.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs pro parte dilecti filij, Nobilis adoleſcentis Ferdinandi Etruriæ ſibi ſubjectæ Magni Ducis, ac dilectarum in Chriſto filiarum nobilium mulierum Mariæ Magdalenæ Archiduciſſæ Auſtriæ, & Chriſtiennæ à Lotharingiâ Hetruriæ ſibi ſubjectæ magnarum Duciſſarum viduarum, nec non Prioriſſæ, & Monialium, Monaſterij S. Mariæ Angelorum nuncupati, in Burgo S. Fridiani Civitatis Florentiæ nobis expoſito, quòd bo. me: Ancilla Dei, M. Magdalena de Pazzis, Florentina, monialis, multis & eximijs virtutum & gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illuſtrata fuerat, & propterea pro parte dictorum Exponentium, nobis humiliter ſupplicato, ut, donec Canonizationis honor dictæ Ancillæ Dei M. Magdalenæ, ob ejus excellentia merita, ab Apoſtolica Sede decernatur, eadem Ancilla Dei Maria Magdalena, Beata nuncupari, atque officium & miſſa, de ea recitari & celebrari poſſet, nos, re prius per Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, ſacris ritibus præpoſitos, quibus eam examinandam mandaveramus, maturè diſcuſsâ, de eorundem Cardinalium conſilio, hujusmodi ſupplicationibus tunc inclinati, ut ipſa Ancilla Dei M. Magdalena, Beata nuncupari, officiumque & miſſa, de ea ſub certis modo, & forma tunc expreſſis recitari & celebrari reſpectivè poſſet & valeret, Apoſtolica authoritate conceſſimus & indulſimus. Subinde verò ſupplicationibus dilectorum filiorum Generalis, aliorumque Superiorum, & Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, nobis humiliter porrectis, pariter inclinati, de eorundem Cardinalium conſilio, dictam B. Mariam Magdalenam de Pazzis, dicti Ordinis Monialem, dum vixit, fuiſſe, declaravimus, quòdque in omnibus Monaſterijs, locis, & Eccleſijs dicti Ordinis, in ipſius B. M. Magdalenæ obitus, ſeu alia ſubſequenti die non impedita, ſingulis annis, ab omnibus utriusque ſexus ejusdem Ordinis Religioſis, officium, & miſſa à confluentibus ad Eccleſias dicti Ordinis in alma urbe noſtra, & in Civitate Florentina exiſtentes, miſſa duntaxat de eadem B. M. Magdalena, tanquam de communi Virginis non Martyris, juxta ipſius Ordinis Breviarium, à Sede Apoſtolica approbatum, ac Rubricas Breviarij, & Miſſalis Romani in futurum recitari pariter, & celebrari poſſet, ſimiliter conceſſimus & indulſimus, prout in diverſis noſtris, in ſimili forma Brevis

expe-

expeditis Literis, quarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur; Nunc autem Ferdinandi magni Ducis, ac Prioriſſæ, & monialium prædictorũ ſupplicationibus nobis denuò humiliter porrectis inclinati, de eorundem Cardinalium conſilio, quòd in omnibus & quibuscunq; Eccleſiis, tam in Diœceſi Florentina, quàm iu univerſa ditione temporali præfati Ferdinandi, magni Ducis exiſtentibus, in ipſius B. M. Magdalenæ obitus, ſeu alia ſubſequenti, non impeditâ die, ſingulis annis, officium & miſſa de eadem B. M. Magdalena, tanquam de communi Virginis non Martyris, ut prætenditur, recitari & celebrari liberè ſimiliter & licitè poſſit & valeat, dictâ authoritate, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus, non obſtantibus omnibus illis, quæ in dictis literis volumus non obſtare, cæteriſq; contrariis quibuscunq;. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubiq; fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus literis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 18. Ianuarii 1628. Pontificatus noſtri Anno Quinto.

BREVIS

BREVIS
RELATIO

Quorundam miraculorum, meritis & interceſſione

S. MARIÆ MAGDALENÆ
DE PAZZI,

Poſt Solemnem ejus Canonizationem patratorum.

Digitized by Google

EX commiſſione Reverendiſſimi P. Fr. Hyacinthi Libelli, Sac. Palatij Apoſt. Mag. hanc Relationem miraculorum, S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi meritis & interceſſione patratorum, legi, & nihil inveni orthodoxæ fidei & moribus Chriſtianis repugnans, ideoque dignam impreſſione cenſeo, ad augendam fidelium devotionem erga ſanctam & Omnipotentis Dei exiſtimationem. Romæ 10. Julii 1670.

Joſephus Fottius Soc. Jeſu.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus, Sac. Palatij Apoſt. Magiſt.

Præfatio

Digitized by Google

Præfatio ad Lectorem

PAucos ante dies, benevole Lector, in quodam trium quaternionum codicillo, aliquot hic Romæ impreſſa fuêre italicè, quæ meritis atque interceſſione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, à proximo ejusdem canonizationis tempore patrata ſunt miracula, quibus Deus cultum venerationemque publicam, eidem Seraphicæ Virgini à Chriſti Vicario nuper indultam, veluti totidem authenticis dignatus eſt inſignire & confirmare ſigillis. Quia igitur *opera Dei revelare & confiteri honorificum eſt*, partium mearum eſſe duxi, eadem cum pauculis aliis ad majorem Dei & Sanctæ noſtræ gloriam, in calce Opuſculi hujus adiicere, ne ſolis Italicarum anguſtiarum conſtringerentur limitibus, aut longis temporum circumducta ambagibus, obliviosæ ætatis tandem attererdentur injuriis. Pervolvens itaq; illa, mirabilem in Sponſa ſua venerare Deum, & conſolatricis afflictorum piiſſimæ, S. Mariæ Magdalenæ tu pariter implora ſubſidium, *nec dimitte, eam, niſi benedixerit tibi.*

Contigerunt equidem, & alia diverſis in locis, notanter autem Florentiæ & in Galliis, de quibus quoniam nonniſi ſuperficialiter uſque modò meminerunt litteræ, ad ſequentia duntaxat me accingo recenſenda, ratus, ea ſufficienti omnibus argumento futura, ut Sanctæ hujus Thaumaturgæ in multiplicandis prodigiis efficaciam obſtupeſcentes ac celerem opem, eandem ſuis quoque in neceſſitatibus invocent, colant, venerentur.

1. *Invocata, ſanat in momento periculoſiſſimè decumbentem.*

Primum itaque, quod à tempore canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, meritis ejusdem contigiſſe novimus miraculum, ſolemne ſingulariter illuſtrauit Octavarium, quod Romæ quartâ poſt canonizationem Septimanâ, in Seraphicæ Matris ſuæ honorem quàm feſtiviſſimè exorſæ ſunt, 25. Maij, Moniales Sanctiſſimæ Incarnationis, quas, antiquam Carmelitanam obſervantiam regularem profitentes, vulgus in urbe Barbarinas intitulat; aut propter binas felicis memoriæ Urbani VIII. Neptes, Carmelitani inſtituti Moniales profeſſus, Romanique Monaſterii in Monte Quirinali, Sanctisſimæ Incarnationis inſtitutrices; aut verò propter magnificentiam,

Digitized by Google

centiam, quâ ſummus Pontifex Urbanus & Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus Barbarinus dictum Monaſterium, fabricamq; erexerunt & conſummarunt.

Ut autem ad noſtrum deveniamus intentũ; *Angelam Perſiani* tanta adverſæ valetudinis contorſerat violentia, ut veluti à ſenſibus alienata, extremum jam Spiritum trahere cenſeretur judicio omniũ; Ab humanis igitur ad divinas confugiens ſuppetias decubua, Seraphicæ Virgini ſeſe recommendavit, ejusque imploravit opem die 24. Maij; Nec mora, nam veluti in momento, in ictu oculi Sanctam ſibi viſa eſt intueri præſentem, hasque ſuis diſtinctiſſimè auribus inſonare voces: *Sana es ô Angela, dominicâ proxima*, (quæ erat 26. Maij,) *miſſæ ſacrificio aſſiſtes.* Sponſioni optatiſſimus contra omnem tam domeſticorum, quam medicorum exſpectationem correſpondit eventus; & infirma priſtinæ reſtituta incolumitati, in monaſterio Sanctiſſimæ Incarnationis in honorem, inq; altari S Mariæ Magd. miſſam celebrari fecit, gratitudinis holocauſtum ob recuperatæ beneficium ſanitatis.

2. *Prodigioſus corporis virginei motus & elevatio.*

LOngè maxima eodem anno Florentinorum erga Sanctam conterraneam eminuit devotio, quando poſt translatum cum numeroſiſſimo Cardinalis *Medices*, Magni Ducis Florentiæ, aliorumq; cujuſvis ſtatus & conditionis hominum comitatu, (proceſſione, ex Patrum Carmelitarum Eccleſia, 2. Junij, ad dictam S. Mariæ Angelorum, directâ) ſanctæ vexillum, virgineum corpus uſque modò penitus incorruptum, integrum atque odoriferum ad majorem devotorum conſolationem, Chriſtique fidelium excitandam pietatem, publico proſpectui expoſitum fuit per dies 15. continuos. In ſublimi igitur rari pretij & majeſtatis abſide, ſuper tres ſtatuas inargentatas, trium votorum religioſorum expreſſivas, quæ fulcri loco erant, *Balthaſar Franceſchini* (à patrio ſolo, *Volterani* nuncupatus) ſacrum collocarat pignus, urnæ incluſum, politisſimis pellucidæ cryſtallis, aureas inter compactis ſecretisque corollas. Qui verò auguſtam nimis ſtructuram enormis deformabat, ad majorem S. Virginis gloriam non prius, quàm omne ab humano ingenio induſtriaq; impoſſibile exſpectari poſſet remediũ, Dominus innoteſcere voluit defectũ. Apparatus eum cauſabat arcæ inferior, qui liberiorẽ

ſacri

Digitized by Google

ſacti depoſiti, altitudinem à terra 7. brachiorum habentis, impe-diebat proſpectum. Defectum ſubitò advertit Architectus ipſemet, quemque & populi devotioni ſummè inviſum & penitus irremediabilem vidit, maximo animi mœrore, Deo Sanctæq; Virgini commendavit. Interim concurſus populi agglomeratus eſt ingens, tãtum magnificentiæ & faſtuoſo applaudentis apparatui, quàm, quòd Reliquia ſacra minus perfectè oculis pateret circumſtantium, lamentantis. Et reliquos quidem inter, qui vario undequaq; conatu, inprimis autem tubis opticis, obſtaculum illudere, ſacrumque corpus clarè & diſtinctè intueri allaborarunt, nonnullus ſingulariter eminuit ſacerdos Balatrenſis, qui toto illo triduo, ante & poſt meridiem, iterum iterumque reverſus, ſemper, an ſacrum corpus perfectè videre poſſet, tentarat, ſed fruſtraneo uſque & nullo molimine; ſicuti & complures alij: hanc autem univerſalem tridui mœſtitiam ſtupendo lætificavit ſucceſſu Virgo Seraphica, quando die quarto corpus ſuum, arcæ incluſum, vi quâdam impenetrabili ad fidelium ſolatium elevavit, ſublimavit, versùsque populum convertit: cujus prodigij fama vix divulgata immenſum nimis hominum conglomeravit cœtum, præſertim verò eorum, qui primitus tot tantasque, ut expeditam ſacri pignoris contemplandi nanciſcerentur copiam, multiplicarant adinventiones ac methodos; qui omnes ex eo tempore uſque ad 15. dierum terminum, quibus corpus expoſitum manſit, ipſum viderunt diſtinctiſſimè, nihil poſthac apparatu, qui arcam ambiebat, impediente; Dumque à venerandis Matribus, quæ corpus intra arcam compoſuerant, illud variis in locis ligatum, & majoris cautelæ ergo, binis clavis, ſenſisque cochleis conſtrictum fuiſſe; nec non à ſacerdotibus, titulatis, aliisque nobilibus, qui continuâ & indefeſſâ ſucceſſione diu noctuque ſacrum corpus cuſtodierant, intelligerent, arcam à priori loco nunquam remotam fuiſſe aut elevatam; imò ne quidem ſcalas illi, eò quòd per modum inſularis ambitus theatrum fabricatum eſſet, applicari poſſe; omnes elevationem converſionemque illam corporis ſacri, veluti prodigioſam & ſupernaturali factam virtute canonizarunt indubitanter, certi Virginem Sanctam, quantum in ſuorum civium ſibi complaceret obſequiis, hoc facto indigitare voluiſſe. Præ reliquis tamen ſingulariſſimam hanc gratiam maximi fecit atque veneratus

 eſt ipſe-

Digitized by Google

eſt ipſemet *Volterani*, qui defectum illum ſciverat irremediabilem fuiſſe humanitus, illis rerum ſtantibus circumſtantiis.

3 Miraculosè multiplicat farinam,

EOdem hoc tempore longe benignisſimam liberalisſimamque Virgo Seraphica ſuæ ſe exhibuit Florentinæ Parthenoni, dum in dictæ ſolemnitatis decurſu, farinam miraculosè multiplicavit in arcis farinaceis, quemadmodum in feſtivitate Beatificationis oleum adauxerat in urceis.

Imminente igitur Solemnitatis tempore ingens diverſarum religiosâ illarum Monialium munificentiâ excipiendarum, tractandarumque exſpectabatur perſonarum varietas & quantitas; Quem in finem Mater Priorisſa Quæſtrici ſeu Procuratrici, ut varias faceret proviſiones, præcepit; ſingulariter autem ut magnam tam ſubtilioris ad conficiendas intritas, quàm ordinariæ, pro pane uſuque omnium operariorum & cæterorum concurrentium, compararet quantitatem farinæ. Mandato indilatè paritura Quæſtrix, ſexto Maij, undecim moli curavit modios, & viginti duos, tam ſubtilis quàm judioris grani ſextarios, qui viginiti quatuor conficiunt rubeos Menſuræ Romanæ; quæ licet bona quantitas foret, nihilominus dum quindecim dierum protractâ Solemnitate, præter omnem ſpem, populum multiplicari augmentariq; videret Quæſtrix, pane paſtuq; monaſtico reficiendum, farinam timuit defecturam, ideoq; feſtivitate terminatâ, ſorori converſæ, quam adminiſtrandæ cellæ habebat adjutricem, ut, ubi farina de novo molenda, reponenda eſſet, diſponeret, inſinuavit. Cui Converſa nullum capiendæ farinæ novæ locum ſupereſſe reſpondit, ſiquidem arcæ ſeu ciſtæ, in quibus farina conſervari aſſueverat, adhuc plenæ eſſent Ad quam Procuratrix: quomodo plenæ, ſi tanta in panibus & intritis abſumpta eſt farina? Abiit igitur ad cellam, ceu locum farinæ aſſeruandæ deſtinatum, arcasque intuens repletas, obſtupuit Quęſtrix, moxque Superiorisſæ quod factum fuerat, intimavit; quæ vocatam ad ſe Converſam, qualiter poſt tantam farinæ conſumptionem, arcæ farinaceæ plenæ remanſiſſent, interrrogavit; Quæ; qualiter farina imminuta non fuiſſet, ſe ignorare reſpondit, hocque duntaxat ſeſe advertiſſe, quòd dum farinam extraheret, nulla apparuiſſet loci concavitas, prout aliàs fieri ſolebat, quòdque toto eo tempore nun-

quam

Digitized by Google

quam ſcalam applicuiſſet, quemadmodum aliàs deficiente farinâ facere conſueverat; imò ſubjunxit, quòd, dum ex reſidua in eodem cubiculo extra arcas contenta farina aliquid deſumpſiſſet, nunquam aut deficere, aut imminui viſa fuiſſet. His itaque aliiſque ſufficientibus præmiſſis diligentiis & inquiſitionibus, ut rei geſtæ innotuit veritas, Prioriſſa, gratiis Deo, ſanctæque Matri actis, prodigium omnibus manifeſtavit ſororibus, ut debitas Deo & Sanctæ referrent gratiarum actiones; Quapropter omnes ad S. Virginis corpus abeuntes, *Te Deum laudamus*, cum aliis orationibus cecinerunt ſolemniter.

Miraculum hoc non vulgare exſtitit, cum tanta farinæ ordinariæ eſſet abſumptio, ut piſtor trium ſeptimanarum ſpatio pro populo, quem alebat Monaſterium, 6. grani modios ſe coxiſſe ſanctè atteſtatus fuerit? & exinde per totum Menſem Junium cum eadem continuaretur in Monaſterii uſum conſumptio, reſiduam farinam poſt diligentiſſimas inquiſitiones molitor ut vidit, ſeptem aſſeruit ſupereſſe modios, atque ita quatuor, qui abſumpti fuêre, ſimul computatis modiis, & ſextariis viginti duobus, evidens eſt prodigiosè multiplicatam fuiſſe farinam, Sanctamque Monaſterium ſuum in ſolemnitate iſta, eòque convolantes, ex pietate & devotione populos, miraculosè alere voluiſſe. Hac ex farina autem poſtquam per totum Menſem Julium Matres victitaſſent, tandem Superioriſſa conveniens judicavit reſiduum minimè abſumi, ſed ad Dei Sanctæque Virginis gloriam devotas inter perſonas diſpenſari debere, præſertim cum multi de prodigioſo eventu certificati à molitore & piſtore dictam farinam ſæpe ſæpius magnis cum inſtantiis petiiſſent, qua in re dum Moniales nimium graderentur ſcrupuloſæ, non pauci in Menſe Julio, quando ex eadem farina panis conficiebatur, ſecretò abeuntes ad piſtorem, Monaſtico pani alium furtivè ſuppoſuêre; cumque variis impertientes infirmis, alimentum ſimul & efficax ſanitatis experti ſunt contuliſſe remedium. Quapropter Eminentiſſimus *Nerli*, Archiepiſcopus juridicè diſcuſſo miraculo, ut multiplicatam farinam Moniales liberè diſtribuerent, indulſit.

Quantam verò ille prodigioſus virginei corporis motus, tam incolarum quàm exterorum acciverit turbam, vix paucis explicaverim, vix namque Eccleſia ad duas treſve noctis horas claudi poterat; quæque per totum diem innumero ſcatuerat populo, circa veſperam iterum replebatur; inſuper per dies illos ſupra ducentas ut pluri-

plurimum celebrabantur quotidie miſſæ; accreſcentibus quotidie eleemoſynis miſſarum in honorem Sanctæ, inque altari ejus celebrandarum. Vota argentea & tabulæ votivæ numerum exceſſere 400. ita ut intra tres aut quatuor ſeptimanas, plurima favorum receptorum gratiarumque inclareſcerent teſtimonia. De quibus ſi plena & ſufficiens foret notitia, efficaciter indubiè exſtimularet illa audientem aut legentem, ut Dominum, qui in Sancta ſua adeo glorioſus apparere voluit, glorificaret. Ideoque ut in principio aſſerui, illos duntaxat in medium adducam ſubjiciamque gratias, de quibus plena, vera & fidelis facta eſt informatio.

4. *Velo ſuo paralyticam ſanat.*

Sororem *Angelam Catharinam Vlivieri*, Florentiæ Monialem in Monaſterio S. Annæ in prato per annos continuos novendecim, in lecto decubuam afflixerat & exhauſerat paralyſis, eâ nervorum contractione in latere dextero, ut digitis quatuor brevius eſſet ſiniſtro. Tantâ capitis laborabat gravedine, diſtillatione ac rheumatiſmo, ut nec viſitantis ſermonem audire, aut manuum motum ſufferre poſſet. Hac igitur in extrema anguſtia inſignem aliquam Seraphicæ virginis concupiſcere cœpit reliquiam, ſecretò confidens, ſe in Canonizationis ejus ſolemnitate, illius meritis & interceſſione, deſperatam recuperaturam ſanitatem. Infirmæ deſiderium intelligens Noſocoma ſeu infirmaria, Dominum *Bentivoglio* ut aliquam à Matribus Monaſterii S. Mariæ Angelorum, reliquiam S. Mariæ Magdalenæ petere & procurare dignaretur, obteſtata eſt; ſubitòque maxima cum charitate, vela virginei capitis ad Matrem Abbatiſſam Monaſterii S. Annæ tranſmiſère rogatæ Moniales. Conſignatas reliquias magna cum reverentia excepit Abbatiſſa, & proceſſionaliter ad infirmæ cubiculum ſeu valetudinarium deferens, præmiſſa brevi oratione eas applicuit paralyticæ. Et ecce mox ingens decumbentem concutere tremitus, & paulo poſt exſanguis & mortua veluti eam alterare forma; interim dum reliquiis ſacris pars corporis ſignaretur attracta, è veſtigio nonnihil ſibi reſtituta, è lecto ad ſanctiſſimæ Virginis Altare deduci petiit, ſtupentibus Monialibus omnibus, dum erectam viderent in pedibus, quæ novendecim annis impotens decubuerat in grabato. Ad lectum poſtea reducta, conſedit & diſcooperto crure, nullus in eo livor ſed nigredo apparuit, ita ut totum crus veluti virgis cæſum dixiſſes; deinde paulatim vivum carnis colorem

roaſſu-

Digitized by Google

reaſſumere, gradatimq; per venas ſanguis diſcurrere viſus eſt. Quâ miraculosâ operatione dum attonitæ hærerent moniales, ſignum datur pro recitandis in choro horis, quò indilatè ſe contulêre ſorores, paucis duntaxat apud infirmã remanentibus. Horas inchoant, finiuntq; congregatæ, ſubq; officii terminum ſacriſtanæ præcepit Abbatiſſa, ut ſanctæ afferret vela, ut illa moniales omnes juxta votũ devotionemq; ſuã revereri poſſent, exinde ad infirmã reportanda. Abit ſacriſtana, & Abbatiſſæ inſinuat voluntatẽ, quâ intellectâ, una earũ, quæ apud infirmã remanſerant, ad eam converſa, inquit: ſoror *Angela Catharina*, tui erit muneris velà ad chorũ deferre. Cui promptè paralyca libenter illa ego per me ipsã portabo; dumq; ſurgeret non ſpernendã in ſe advertit morbi diminutionem; ducunt, reguntq; gradientem ſorores duę, vixque paucos promoverat infirma greſſus, quando ad ſorores converſa, exclamat: ſorores meæ ego vado, ego vado, veraciter ego vado; moxq; ſine ullius gradiens adminiculo, notabilẽ ęgritudinis experta eſt imminutionem, pedes expeditè portans & vitam. Poſtquam autẽ propter corporis debilitatẽ, binâ vice requieviſſet, tandem cum ſacris in manu velis ad chorum accedens, omnes implevit ſtupore; hinc infirmâ ſollicitante in gratiarum actionem, hymnus *Te Deum laudamus* inchoatus, quo durante valetudinariam genuflexam ingens invaſit tremitus, qui pariter cum hymno *Te Deum* terminatus fuit, ideoque novo exultans jubilo *Catharina*, cantica intonavit *Benedictus & Magnificat*, ſonantibus campanis; quæ inter lætitiæ communis ſigna, tantis, quæ convaluerat, ſe repletam fuiſſe proteſtata eſt conſolationibus, ut in paradiſo ſibi viſa fuerit dimorari. terminatâ gratiarum actione, nullâ adjuvante, ſuam repetiit cellam, perfectè ſana. Dumq; medicus 15. Maii cum Vicario Generali *Catharinam* ſcalas deſcendentem videret, ait: Ingentis hoc miraculi eſt opus, gratias Deo & Sanctæ, lateris enim dexteri uſum penitus amiſerat.

5. *Puellam à gravi cæcitatis liberat periculo.*

T*ereſa*, filia *Vincentij Mariotti & Angelæ Roſſelæ*, nata anno 1660 apertis palpebris lucem oculorum ſanguine protendebat maculatam, ſignum, quod peritæ nutrici periculũ prognoſticabat cæcitatis; interim magna cum ſollicitudine educatur infantula, principaliter dum ad colorem ſanguineũ, priusquã ablacaretur, alius quidã color, veluti cinereus, accederet, qui identidẽ uſq; ad nonum ætatis annũ, cum continuo viſus detrimento, invaleſcebat. Quæ verò viſum totaliter necdum amiſerat, lectioni laborique beneplacito

 appli-

Digitized by Google

applicata fuit, beneficio ſuffulta, & adjuta perſpiciliorum, quæ avunculus puellæ procurarat. In lectura inque labore juvenculam mirificè promovit perfecitque Spiritus vivacitas, cum maxima ſemper Genitorum afflictione, dum teneræ ætati illi inviſa eſſe adverterent remedia, neſcientes, quoniam mali illius medela ad manifeſtandam S. Mariæ Magdalenæ gloriam reſervata eſſet.

Die 29. Maij R. Hippolytus Tonelli, Sacellanus & cathedralis Florentinæ Eccleſiæ confeſſor, finitis veſperis ad Sacriſtiam ſe conferens, omnibus Sacerdotibus, inibi congregatis, imaginem dedit S. Virginis, quos inter & R. *Carolus Mariotti*, Tereſiæ avunculus, opportuniſſimè aderat, qui domum reverſus, donum ſibi oblatum impertiit cognatæ, quod ut *Tereſa* vidit, importunis matrem urſit ſollicitationibus, ut ſibi imaginem concederet, ſeſe ſtatum ſuum afflictum nimis, S. Mariæ Magdalenæ recommendaturam. Votis filiæ annuit mater, deſideriique compos puella, mille oſculis iconem demulcere cœpit & baſiis, eâque ſe ſignare multoties. Finitâ cœnâ, dum ſuas ſolitas expleret devotiones, aliquot ſuperaddidit orationes Dominicas & Salutationes Angelicas in honorem S. Virginis, ſupplicans, ut optatam ſibi concederet gratiam. Exinde ad lectum ſe conferens, imagine pectori ſuperpoſitâ obdormiuit, ſummoque mane expergefacta, ſuas devotiones easdemque in honorem Sanctæ poſtquam abſoluiſſet preces, tempore deſtinato cum ſorore ſuâ ad ſcholam ducitur ab ancilla domeſtica; ubi pro more ad lectionem laboremque ſe reaccingens *Tereſa*, perſpiciliis ultra ſe indigere negavit; unde domum redux, tota feſtiva & hilaris, ad avunculum, qui dicta perſpicilia adoleſcentulæ dederat, accedens, inquit, Domine avuncule, Ecce veſtra vobis reſtituo perſpicilia, ſiquidem ſine illis non modò lego & laboro, ſed etiam caput erectum, quantumque neceſſe eſt, ſuſtineo eleuatum. S. Maria Magdalena me ſanavit; Dic obſecro patri meo, ut pro tanta gratia aliquod nomine meo S. Virgini conſecret votum. Præ gaudio itaque omnibus exilientibus domeſticis, oculorum maculas evanuiſſe compertum fuit, parentesque puellæ gratitudinis mnemoſynon obtulêre virgini Seraphicæ.

6. *Sanat plagam incurabilem.*

Anna *Conſtantia*, filia *Dominici Fortini*, octodecim annorum puella, crudeli torquebatur plagâ in majori pedis dexteri digito

quod

quodmalum Medici & chirurgi omnes, poſtquam plurima inaniter applicuiſſent remedia, penitus judicabant incurabile; quatuor ex plaga extractæ fuerant particulæ oſſis, neque Medici aut chirurgi ipſam adverſi caſus originem cauſamque unquam penetrare potuerant. Hæc inter, puellæ mater, miraculum inaudiens ſupra memoratum, quod in Monaſterio contigerat S. Annæ in prato, ad Moniales ſe confert querula, quare ſe quoque velorum participem non feciſſent, probè ſcientes afflictisſimum filiæ ſtatum. Culpam oblivioni attribuêre Matres, quæ, ut mœſtam conſolarentur parentem, aliquam gosſipii partem oleo Sanctæ inunctam, ei conſignarunt, dicendo, ut cum illa ungeret infirmam. Magna cum fide paruit *Catharina* mater, quando ſtupendum in modum ſubitò remittere cœpit plaga, ita ut quarto Junii, poſt inchoatam canonizationis ſolemnitatem, mater filiam ſanam ad viſitandum virginis S. corpus conduxerit. Aſt dum in Eccleſia moraretur cum genetrice filia, quæ convaluiſſe videbatur, tanto opprimi cœpit dolore, tamque monſtruosè pes infirmus inflari, ut omnibus aſtantibus compaſſionis dolorisque ſenſus ingereret vehementer. Domum ergo conducta, ſeu delata totam ſequentem noctem ululatibus potius quàm ſtridoribus ob dolores exceſſivos, inquietavit.

Die 9. Junii, qui ſolemnitatis Florentinæ ultimus erat, tempore veſperarum ad Eccleſiam redit *Catharina* mater, ſupplicatura Sanctæ, ut, ſi filiam à malo liberare nollet, pedem ad minus in eo reſtitueret ſtatu, ut incedere poſſet; Talibus usque ad noctem immorans precibus, inſuper ſi filia convaleſceret, votum appromiſit argenteum. Et ecce domum redeunti matri obuia procedit filia, dicens: mater mea, benedictus Deus, ego nec tumorem, nec ullum amplius patior dolorem; inquiſivit, vidit, ſtupuitque *Catharina* plagam penitus ſolidatam. Unde poſtridie, ſcilicet 10. Julii, *Annam Conſtantiam* ad Eccleſiam S. Virginis, ubi in gratiarum actionem communicavit, conduxit. Et die 29 ejusdem menſis, inſigne ex argento detulêre votum, grati animi teſſeram, pro obtentæ ſanitatis beneficio.

7. *Incurabilem ſanat Brachij plagam.*

SOror *Maria Paula*, Converſa in Monaſterio S. Nicolai in prato, Anno 1659 atrocem in brachio ſiniſtro in ea parte, quæ inter cubitum arteriarumque pulſum mediat, experiri cœpit dolorem adeo

intenſum, ut uſque ad humerum inclementer deſæviens, nec laborare ſineret, nec quieſcere; partem infectam patiens oleo inunxit S. Dominici, dumque poſt multorum dierum decurſum, tormentum non imminui ſentiret, manibus peritiæque ſe conſignavit *Nicolai Calderini*, qui Monaſterii chirurgus poſt multa emplaſtra, unctiones & balnea applicata, dum fruſtra inaniterque ſe mederi advertit, brachium cum indicibili patientis cruciatu, magnanimiter, nihilominus ſanitatis recuperandæ gratiâ, tolerato cruciatu incidere ſtatuit; inciſura tempore multo, ut tumor remitteret, peccansque materia extraheretur, aperta manſit, *Nicolao Calderini* quotidie infirmam inviſente & medicante: qui omni tandem adhibitâ induſtriâ & arte inciſionem quidem ſolidavit, aſt dolorem neutiquam imminuit, qui torquens ſemper æqualiter, perſiſtebat Quapropter malo in dies ingraveſcente, poſtquam infirma per annos quatuor diverſas diverſorum Medicorum & chirurgorum expertiſſimorum exploraſſet curas, nominatim autem Doctoris *Palei*, qui Medicum agebat Monaſterii; & *Iacobi Prateſini*, chirurgi Civitatis, & Medici *Raphaelis*, & famoſiſſimi chirurgi *Odoardi Calderini*, nec non *Antonij Calderini*, qui dicti *Odoardi* frater, & ipse chirurgiam profitebatur; item *Ioannis Veneti* expertiſſimi Anatomiſtæ; tandem *Antonius Calderini*, dum ſub quadrageſimæ exordium, ſanctam Mariam Magdalenam, Sanctorum virginum catalogo per Clementem IX. aſſeribendam inaudiret, fiduciâ plenus, in vigilia S. Mariæ Magdalenæ ſe jejunaturum ſpopondit, quatuor miſſas in die feſtivitatis ejus legi procuraturum, ſepulchrumq; virgineum voto exornaturum argenteo, ſi vulnus plagamque ſanaret. Die itaque Veneris ſancti, infirma unam è ſororibus, ut quoddam plagæ oſſiculum quod egreſſum meditabatur, extraheret, ſollicitaurit, aſt illa debilioris complexionis cum ſimile quid attentare abhorreret, chirurgum accerſiri fecit *Calderini*, qui poſt multiplicem conatum tandem tres oſſis eduxit particulas, ita tamen, ut plaga ſicuti primitus aperta maneret. Die 24. Maij, dum Monialis dictæ ſorori *Mariæ Paulæ* aſſiſtens, quandam Sanctæ iconem in choro deferendam, ſolemnitatis cauſsâ exornaret, infirma iterum plagæ ſtatum contemplata eſt, reperitque os quidem diſcoopertum, ſed carne penitus nudatum. Die 25. dum miſſæ legerentur, iterum plagam conſiderare ſtatuit, dumq; ligamina ſolueret, eam penitus occluſam reperit. Brachium ſuæ exhibuit ſorori, quę eviden-

Digitized by Google

evidentiſſimum obſtupeſcens favorem, mox Deo, Sanctæque gratias egit, ita tamen ut convaleſcenti ſilentium imponeret, uſque dum aliquot tranſactis diebus, perfectæ recuperatæ ſanitatis omnimoda haberetur certitudo, quo tempore & deinceps tota caro nativum ſuum rubeum reaſſumpſit colorem: ita ut hodie, qui ſeptimus eſt dies Septembris, nihil præter cicatricis veſtigium ſuperſit, ipſaque *Maria Paula* converſa, optimâ fruens valetudine, brachio manuque utatur abſque difficultate ulla. Quam veluti miraculoſam & prodigioſam gratiam examinarunt, judicarunt, deprædicarunt, ipſe Vicarius in Spiritualibus, Senator *Ruccellai*, Pater Provincialis, Carmelitarum, P. Confeſſarius cum Medicis & chirurgis.

8. *Liberat patientem à fluxu ſanguinis.*

SOror *Maria Seraphina*, Monialis in Monaſterio Porticus, in urbe Florentinâ, per annum integrum, continuo inſorduerat ſanguinis profluvio, ita ut omnem faſtidiens cibum, in eas reducta eſſet anguſtias, ut præ virium imbecillitate ſe nullatenus regere poſſet; cunctis, iiſque magnis fruſtra applicatis Medicinis. Auditâ igitur S. Mariæ Magdalenæ canonizatione, ſeſe ejus commendavit protectioni. Hinc *R. Mariotto Guidotti*, Confeſſarius ſanctum Virginis velum procurans, die 24. Maji in vigilia feſti S. Virginis, ipſum ſuper infirmæ caput applicavit, moxque veluti in momento, quemadmodum & ipſa infirma & Mater Abbatiſſa atteſtantur, fluxus ceſſavit ſanguinis, appetitum recuperavit infirma, & exinde priſtinis paulatim redeuntibus viribus, favorem Sanctæ cum maxima experta & proſecuta eſt gratitudine.

9. *Liberat Perſonam paralyſi & febri continuâ oppreſſam.*

PEr quatuor circiter annos & dimidium, Parmæ in mortali contabuerat grabato Domina *Corona Scotti*, adeoque penitus mediam inferiorem corporis amiſerat partem, ut è lecto elevando, dum infirmæ brachia ab auxiliatrice manu ſuſtinerentur, pedes veluti mortui penderent & exangues. Quod paralyſis malum febris auxit continua, cruciatu ferociens nimio. Hoc inter extremæ mœſtitiæ ſpectaculum, 30. Maji, ad infirmam littera defertur, ad eam ſcripta per Marchioniſſam *Maleſpini*, in qua miraculum

recenſebatur, quod meritis S. Mariæ *M*agdalenæ circa Monialem S. Annæ in prato contigerat; In cujus Epiſtolæ fine, eadem ſubjungebat Domina, ſe hujusmodi ad infirmam ſcribere, ut & ipſa Sanctæ ſeſe recommendaret. Conſilium acceptavit Domina *Corona*, cujus conſenſum ut intellexit Sereniſſima Parmenſis, illicò per Comitiſſam *Iuliam Mariam Prati*, quam acquiſiverat, decumbenti miſit Reliquiam Virginis Seraphicæ, quam ut adveniſſe didicit infirma, maximam obtinendæ ſanitatis concepit fiduciam; ſubitoque P. Joannem *Andream Spinolam*, Societatis JESU, Confeſſarium ſuum ad ſe vocatum, ita alloquitur: Pater, ecce Reliquiam S. Mariæ *M*agdalenæ mihi à Sereniſſima Parmenſi transmiſſam, optarem, ut Reverentia veſtra me cum ea ſignaret, licentiamque daret votum emittendi, ut, ſi priſtini motus à febri immunitatis, perfectæque ſanitatis gratiam Seraphica virgo mihi indulſerit, ego per annum integrum colore albo & ravido (qualis eſt Sanctæ habitus) me veſtire; & ut primùm vires permiſerint, Florentiam me conferre poſſim ad ſanctum ejus ſepulchrum viſitandum. Votum approbavit Confeſſarius, omnibusq; domeſticis convocatis, ut tria *Pater noſter & Ave Maria*, & totidem *Gloria Patri* recitarent, impoſuit; ipſaque infirma ita Sanctam invocavit tenerrimè: S. Maria Magdalena, ſi ita voluntas eſt & major Dei gloria, majusque animæ meæ bonum, impetra mihi ſanitatem: ſin minus, patienter acquieſco. Tunc Pater *Spinola* reliquiam Sancti habitus aſſumens, eâdem infirmæ pedes ſignare cœpit, extenſos penitusque immobiles; ſubitóque infirma eos veluti manu quâdam elevari ſenſit, ideoque motu proprio ſe moveri poſſe rata, pedes abſque ulla erexit difficultate. Quibus neutiquam acquieſcens Confeſſarius, tibias & genua ſignare perrexit; quo finito libere *Corona Scotti* in hæc prorupit verba: Detis mihi veſtes meas, quoniam me convaluiſſe experior, propriisque pedibus me gradi poſſe confido: veſtes attulêre ancillæ; indutaque, ad ſacellum motu ſe proprio contulit, nonniſi exile propter corporis debilitatem admittens adminiculum, adeo expeditè gradiens de reliquo, quaſi nullo unquam laboraſſet malo. Qui eventus incredibili omnes, maximè verò domeſticos, qui Dominæ ſuæ per tot annos, velut emortuo ſervierant trunco, replevit ſtupore. Præterquã quòd Doctor *Zanarai M*edicus infirmam exili offenderit colluctantem cum febri, quæ indies imminuta, intra exile ſpatium infirmam deſtituit, perfectiſſimæ reſtitutam ſanitati.

Sereniſſi-

Sereniſsima Parmenſis miraculum hoc Eminentiſsimo Cardinali *Leopoldo* intimavit, qui ejusdem relationem Monialibus S. Mariæ Angelorum, ut debitas Deo gratias, cui Seraphicam adeo glorificare complacuit, debitas redderent gratiarum actiones, communicavit.

10. *Mulierem quandam ab exceſſiva debilitate, & inflammato manuum liberat dolore.*

JVlia *Caroli Bondini*, uxor *Iuliani Bogi* per tres continuos annos adeo lecto adhæſerat affixa, ut propter exceſsivam corporis debilitatem, ne pedem quidem regere poſſet; Altera itaque die Julij ſolemnitatem canonizationis S. Mariæ Magdalenæ inchoatam eſſe inaudiens, Eccleſiam S. Mariæ Angelorum, ut corpus virgineum inviſeret, adire ſtatuit; aſt in itinere conſtituta, quantumvis alieno ſuffulta, & adjuta ſubſidio, progredi nequivit; unde paucos poſt greſſus humi concidens, mortua reputata jam Spiritum credebatur trahere extremum. Quo tempore dum proceſsio vexilli (de quo egimus in miraculo ſecundo) inſtituta eſſet, mulier infirma imaginem Sanctæ intuita, tanto confeſtim ſe ſenſit animari vigore atq; fortitudine, ut in pedes erecta, dixerit liberrimè: Sana ſum, laus Deo & ſanctæ; moxque ſupplicationem, ex eo loco uſque ad Eccleſiam S Mariæ Angelorum, devotiſsimè proſecuta, debitas ibi pro recuperata ſanitate gratias egit.

Ingentem nihilominus dolorem acerbiſsimumque manuum ſenſit ſuperſtitem æſtum, ita ut nullatenus in quemcunque eas uſum adhibere poſſet; cujus mali qualitatem dum nunquam Medici penetrare poſſent & conſequenter nec ulla applicare efficacia media, *Iulia* primæ pariticeps gratiæ, alteram petere piè præſumpſit. Quapropter ad Monaſterium S. Mariæ Angelorum deducta, ſorores, ut velo S. Mariæ Magdalenæ manus ſuas ſignare dignarentur, rogavit inſtantiſsimè; aſt ſive negotiorum moles, ſive aliud quodcunque obſtiterit impedimentum, incaſſum obteſtata eſt infirma. Portaria nihilominus, ne ſupplicem penitus dimitteret afflictam, particulam veli, quod apud ſe cum viva fide retineret, impertiit. Vix *Iulia* impetrarat donum; quando ad Eccleſiam & ante altare S. Virginis reverſa, velo illo ſuas ſignavit manus, & è veſtigio remiſiſſe ſenſit ardorem, omnem evanuiſſe cruciatum, ſubitòque propriis ſe ipſam

Digitized by Google

ipſam adjuvit manibus, quod usque ad tempus illud ſæpius quidem, aſt ſemper tentaverat inaniter. Poſtridie igitur *Iulia* cum Matre ſua ad Eccleſiam accedens, in honorem Sanctæ communicavit.

11. *Quendam ex caſu mutilum ſanat.*

S*Ancti Scopeto* lateris ſiniſtri tantam, ex quodam præcipitio, debilitatem contraxerat & mutilationem, ut vix incedere poſſet, aut ne vix quidem ſine fulcris, per duos annos & menſes omnibus inaniter adhibitis remediis. Quarto igitur Junii, qui Florentiæ tertius erat feſti Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ dies, ut ut potuit, ad Eccleſiam Sanctæ repere cœpit; ubi aliquali adjutus ope ante corpus virgineum, genu flexus oravit ſubmiſſiſſimè: Qua in oratione dum aliquid temporis tranſegiſſet, ecce vobis quaſi in ictu oculi, fulcra lignea, quibus innitebatur, deſerere ſtatuit, tantum in ſe expertus robur, ut in pedes ſe erigere præſumeret, quod ut feliciter ſe attentaſſe advertit, omnia humana ſprevit adminicula, liberèque gradiens, coram numeroſo exclamavit populo: Miraculum, miraculum; Tibi gratias S. Benedicta. Fulcris itaque ad ſepulchrum relictis, eodem ipſo mane in honorem Sanctæ, quæ tantum ſibi favorem impertierat, confeſſus eſt & communicavit.

12. *Trium annorum Aſthmaticam ſanat.*

L*Ucia Fedi* Senenſis, hoſpitem agens apud *Sebaſtianum Conti* Florentinum, per tres annos continuos tantam expertam fuerat ſpirandi difficultatem, ut nulla unquam, quantumvis varia, illi profuerint medicamina aut remedia. Quinto igitur die Junij ad expoſitum Sanctæ corpus ſeſe tranſtulit, ubi poſtquam Sanctæ cum viva fide ſe recommendaſſet, obſtupuit attonita, qualiter in momento, omnis aſthmatis & reſpirandi evanuerit difficultas; quia verò integram necdum ſibi illicò promittere audebat incolumitatem, exhorruit animitus, ne forſitan induciæ forent, caro nimis & enormi poſtmodum dolore recompenſandæ. Aſt liberaliſſima in favoribus Sancta clientulam ab omni penitus redemerat malo.

13. *Oculo cæco viſum reſtituit.*

S*Tephanus Franciſci Centelli*, faber lignarius in Prato, annos agens

agens duodecim, lucem oculi ſiniſtri ex quadam macula, quam trium annorum infatulo reliquerant puſtulæ, penitus amiſerat. Illis itaque diebus, quibus feſta canonizationis ſanctæ Virginis peragebantur, Mater *Stephani*, opera *Nicolai Gianni* tantillum impetrarat goſſipii, quod S. V. corpus attigerat. Reliquiam mulier, magna cum devotione, fideque ſicut & filius ejus, acceptavit; quorum poſt recitatam antiphonam *Salve Regina*, ut Seraphicæ V. adverſitatem recommendavit, cæcum filii oculum attigit reliquiâ. Nec mora, ſiquidem vix oculum tetigerat goſſipium, quando in eodem velut momento, macula, quæ annis 9. oculum excœcaverat ponitus evanuit.

14. *Infirmo à Medicis deſperato ſanitatem reſtituit.*

P*Andolphum Sylvij Spannochi* Senenſis filium, ætatis 15. febris invaſerat maligna, eo progreſſu, ut paucos intra dies Medici aſſiſtentes ſanitatem deſponderint infirmo; Qui ad Sanctam confugiens, inſignem, ſi convaleſceret, in honorem ipſius ſe facturum promiſit eleemoſynam, illiusque corpus ſacrum viſitaturam. Et ecce quaſi in ictu oculi, promptiſſimum Sanctæ expertus ſubſidium, & à malo præcipitoſo perfectiſſimè liber priſtinam redemit, incolumitatem. Quapropter certam ad Sanctæ ſepulchrum, in cujus ſacello magnam etiam miſſarum quantitatem, veluti totidem ſacroſancta anathemata celebrari fecit, quæ gratias debitas ageret, ablegavit perſonam.

15. *Ab improviſo liberat catarrho.*

M*Arthani Tiberij Graſſi* 27. Sept. tempore nocturno, tam copioſus & malignus invaſerat fluxus catarrhi, ut jam jam ſibi exſpirare videretur. Conſilium accepit, ut S. Virgini ſe ſe recommendaret; filia igitur infirmæ, roſam conſervabat, quæ ſanctum corpus contigerat, quæ ad matrem decubuam accedens, unicum floris folium ori materno impoſuit, ſubitòque omnis evanuit infirmitas, & poſtridie ad Eccleſiam S. Mariæ Angelorum abiit mater, debitas ſanctæ liberatrici actura gratias.

16. *Palpebras oculorum, quas catarrhus excuſſerat, reſtituit.*

A*Ngina*, duodecim annorum puella filia *Aurelia Serpi* in Octobri tam importuno fuerat exigitata catarrho, ut penitus inflammatis oculis omnibusque decedentibus palpebris, præſentiſſimos omnibus intuentibus ingereret compaſſionis ſenſus. Exile

Digitized by Google

quid ad oculorum unctionem adhibuit olei S. Mariæ Magdalenæ, & intra dies paucos palpebris, naturalem ſtatum ſuum repetentibus omnes implevit ſtupore, quotquot ei in tam miſerabili condoluerant ſtatu.

17. *Liberat obſeſſam à dæmonibus.*

M*Agdalena Hippolyta Hieronymi Bambicai* per 23. annos à dæmonibus obſeſſa, à variis ſacerdotibus per 5. annos continuos inani ſemper effectu fuerat exorcizata. Nec quiſquam, quid miſera intra temporis illius decurſum ſuſtinuerit, ſibi imaginabitur, niſi obſtinatam infernalis contra hominem Spiritus cognoverit rabiem. Corpus itaque cecidit crudeliter, ſtomachum implevit angoribus, acerbiſſimis vitam cruciatibus, extremis caput doloribus; ut nihil de ululatibus & horrendis loquar ſtridoribus. A ſacris eam abſtrahebat confeſſionibus, nec ullum ei permittebat cibum, niſi prius à ſacerdote benedictus eſſet.

P. Frater *Donatus Maria Ricci*, Ordinis Prædicatorum, Pater ejusdem ſpiritualis, poſtquam varias infirmæ in honorem Sanctiſſimæ Virginis, ſuique Patriarchæ S. Dominici præſcripſiſſet, impleríque curaſſet devotiones, oleo S. Patriarchæ eam inunxit, quod quidem plagas ſanavit, aſt nequaquam Spiritum expulit malignum. Cum igitur octava S. Mariæ Magdalenæ celebraretur, obſeſſam die Martis, qui quartus erat Menſis Junij, ut ſanctum corpus expoſitum quotidie inviſeret, obligavit. Paruit pœnitens, quæ vix Eccleſiam ingreſſa, horribili ſtridorum ululatuumque fragore, omnia ſuſque deque everſura timebatur. Velum, quod miſeræ applicaretur, petitum fuit, ſed nullo in diebus illis effectu, poſt quos obſeſſa quietior quidem, non tamen libera penitus, angebatur. Quapropter dictus Pater *Ricci*, ut habitum Sanctæ in ejusdem honorem aſſumeret, conſuluit, vixque comparuerat habitus, quando dæmon ſe à ſancta, ut exiret, compelli proteſtatus eſt publicè; ipſo fauſtiſſimo correſpondente exitu nam 15. Auguſtij, in feſto aſſumptionis B V. habitum Sanctæ induens, totaliter ab omni Spiritu maligno libera evaſit & immunis; ita ut ex eo tempore quaſi renata, quemcumque omni abſque difficultate & aggredi laborem, & ſancta frequentare Sacramenta, & ſuas explere poſſet devotiones Quam gratiam voto ſolemni ad ſepulchrum Sanctæ appenſo, & frequenti viſitatione, recognovit & profeſſa eſt coram univerſis.

18, *In-*

18. *Infirmam à febri & gravibus liberat accidentibus.*

POſtquam ſolemnitatem Octavæ, in Eccleſia S. Mariæ Angelorum, terminaſſent moniales, Patres quoque Carmelitani, Florentiam incolentes, ſuam concluſêre honorare ſanctam ſororem, quemadmodum & multo cum applauſu, & ſolemnitate, à die 14. Junii uſque ad 24. ejusdem menſis, præſtiterunt magnificè. Quo fine vexillum Sanctæ à Monialibus mutuum accepere, finitâ ſolemnitate reſtituendum; quod ut Moniales Monaſterii S. Claræ, non longè à conventu Carmelitarum diſſitæ, intellexêre, Patribus ſupplicarunt, ut vexillum Sanctæ translaturi in pauperis cujusdam infirmæ ſolatium, parthenonem earum tranſire dignarentur.

Soror hæc erat *Maria Archangela Fieſolini*, quam duorum menſium continuorum ſpatio, ſæva aduſſerat febris, aliis ſociata accidentibus; quæ infirmam tanto replebant ſudore, ut hic lectum ipſum corrumperet, & illa tempore longo quaſi mortua reputaretur à pluribus. Exinde nonnihil ſibi reſtituta, tantam capitis patiebatur debilitatem, ut nec in cubili ambulantem, nec ſuſtinere poſſet loquentem. Nec ulla quantumvis quies morbi alleviabat inclementiam; dumque mala inſoleſcerent atrocius, tam extraordinarios ſtomachi patiebatur impetus, ut omnia veluti evomitura, extremo angeretur conatu, aſt inefficaci, è lecto præceps proſilitura, niſi detenta fuiſſet violentius Nullo reficiebatur cibo, nulla ei proderant medicamina, maximamque monialibus tribulationem cauſabat & faſtidium. Semper tamen plenam erga S. Mariam Magdalenam fovens fiduciam, diverſis ejus intellectis favoribus, aliquam S. Virginis reliquiam expoſcere cœpit, ſe ipſam Sanctæ recommendans, & aliis, ut ſe recommendarent, ſupplicans, præſertim autem cuidam ſorori ſæculari, quam ut corpus Sanctæ ſuo nomine inviſeret, fuerat obteſtata.

Ut primum à Matre Abbatiſſa, vexillum Sanctæ compariturum didicit, pridie confeſſione præmiſsâ, magna cum fide ſe eidem recommendavit. Die 23. Julii vexillum ad infirmarian delatum fuit, & P. Confeſſarius aſſiſtens, ipſum ſuper infirmæ lectum explicavit, diverſas cum omnibus Monialibus pro infirma fundens orationes.

Digitized by Google

Poſt hæc cœnavit decubua tempore ſolito, horâque illâ, quâ malum ferocire ſolebat truculentius, aliqualem experta eſt infirma afflictionem, aſt invocato confeſtim Sanctæ auxilio, omnem eliſit dolorem, imò tantam experta eſt fortitudinem, ut veſtes, quibus indueretur, petierit, ſe penitus (qualiter & in re erat) ſanatam rata. Veſtita obambulare cœpit, ſanamque ſe advertens, per ſororem, Matri Abbatiſſæ, tunc in refectorio cum reliquis Monialibus cœnanti, ſuam, meritis & gratia S. Mariæ Magdalenæ obtentam, intimavit ſanitatem; omneſque ſorores ſimul in choro congregatæ *Te Deum laudamus* cecinêre; Et ad ſingulos verſus, novas vires novamque fortitudinem ſibi accedere exiſtimabat, ita ut finito hymno ad circumſtantes dixerit: Ecce me jam penitus ſanam & incolumem. Poſtridieque in gratiarum actionem, omnibus aſtantibus ſororibus miſſa decantata eſt in honorem S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi.

19. *Sanat claudum.*

B*Ertum de Berto Ferri* in coxa dextera quis neſcio offenderat catarrhus, ſeu fluxus, ut niſi ſolo fulcrorum adminiculo, multis variiſque abſque ullo effectu adhibitis remediis, incedere poſſet. Quare in Menſe Auguſti corpus Sanctæ inviſit, de cujus oleo, ut ampullam obtinuit, quam *Eliſabetha Leoni* à Matribus S. Mariæ Angelorum acceperat; ille domum reverſus ipſum cum devotione & fide applicavit, ſubitoque tantam expertus eſt mali diminutionem, ut paucos intra dies liberè gradiens abſque ſuſtentaculo minimo, utrumque fulcrum, quo uſque ad tempus illud uſus fuerat, per eandem *Eliſabetha*, veluti bina obtenti favoris anathemata, ſuſpendi curarit in Eccleſia S. Mariæ Angelorum.

20. *Periculosè febricitantem ſanat.*

NEque minus glorioſam S. Maria Magdalena reddidit ſolemnitatem, quam Romæ in ejus honorem natio Florentina in Eccleſia inſtituit S. Joannis Florentinorum. Nobilem quendam gravi exhauſtum infirmitate, & quaſi à Medicis deſperatum inuiſit amicus eidem, ut in præſenti S. Mariæ Magdalenæ feſtivitate aliquod ei votum faceret, perſuaſurus. Inſtantiam, iterum iterumque repudiavit infirmus, qui nimium tandem importuno reſpondit amico: Ego vitam legi ſanctæ illius, ſemper ipſa ſe alioſque voluntati commiſit

miſit divinæ, & ego ſanitatem peterem? Ad quem indilatè amicus; forſitan hæc Dei voluntas erit, ut mediâ S. Mariæ Magdalenæ interceſſione ſanitatem recuperes. Quo reſponſo veluti enervatus infirmus, Sanctam invocavit, votumque vovit; vixque devotionis elicuerat actum, quando & à febri & ab omni corporis ſe ſenſit liberum imbecillitate. Gratiam agnovit cliens, corque argenteum perbellè expolitum, inque tabula collocatum ad altare detulit S. Virginis, voto ſatisfacturus.

21. *Surdaſtro auditum reſtituit.*

SAcriſta Eccleſiæ S. Joannis Nationis Florentinæ, ubi dicta celebrabatur feſtivitas, R. P. *Franciſcus Spenter*, origine Germanus, graviſſimâ laborarat infirmitate, quæ ipſum ſiniſtræ auris deſtituerat auditu, multis ijſque ſecundum ſe efficacibus, aſt inaniter ſemper applicatis remediis. Hic tempore feſtivitatis illius, ut ad S. Mariam Magdalenam confugeret, ſe ſtimulari ſenſit interius; inſpirationique obtemperaturus pauxillum accepit goſſipij, in oleo lampadis, quæ ante S. Virginis altare ardebat, intincti, eoque ſiniſtram bis unxit auriculam; paucosque intra dies ab omni immunis malo, promptiſſimam recognovit, deprædicavitque Sanctæ gratiam & opem.

22. *Varios à peccati ad gratiæ traduxit ſtatum.*

GLorioſa inprimis illa mihi videtur S. Mariæ Magdalenæ atteſtatio, quam aliqui Patres ſacerdotes dictæ domus & Eccleſiæ S. Joannis perhibent unanimiter, aſſerentes, varias ſibi obtigiſſe perſonas, quæ in viſitando altari virginis Seraphicæ, vehementes expertæ fuerant impulſus mutandæ vitæ, remediumque multis porrigendi culpis ſacrilegis, quas in confeſſionibus præteritis incurrerant voluntariè. Quæ gratiæ tantò majoris faciendæ ſunt, quantò difficilius à corde extorquentur humano, quod uſu ſuæ malæ libertatis, in obſtinatione pertinax & difficultates, quas in ſalutis æternæ ſemita experitur, exhorrens, Deo ſe mancipare recuſat.

Sequentia in Italico codicillo non habentur.

23. *Prodigioſum affert partum, & à fluxu ſanguinis liberat.*

IN oppido quodam, cui nomen *turris Annunciatæ* (locus eſt, duodecim ab urbe Neapolitana, numerans milliaria Italica) *Andræana Jordani*, uxor *Blaſij Senenſis*, utero ferens, continuum quinque menſium paſſa fuerat ſanguinis fluxum, eâ virium imminutione, ut in-

Digitized by Google

ſtante partus tempore, præ nimia imbecillitate, infelix præpediretur eniti fœtum, ideoque omnibus de vita ejus deſperantibus Medicis, jam quaſi exanimata agonizare cœpit, ſuam Deo recommendans animam. Infauſtâ perterritus tragœdiâ maritus, quod ab humano ſubſidio exſpectari advertit inaniter, à S. Maria Magdalena de Pazzi, viva cum fide petere, & extorquere præſumpſit. Quare ad ejus interceſſionem confugiens, imaginem chartaceam S. Virginis, quam domi habebat, in præſentia multorum, qui aderant, ſuper conjugem jam moribundam cum magna ſtatuit fiducia, in hæc, altâ voce, prorumpens verba: Ego teneo firmiter, quòd Sancta iſta glorioſa ei gratiam impetrabit à Domino, fideique correſpondit meritum & exitus fauſtiſſimus, vix enim dictam imaginem ſuper infirmam poſuerat, quando indilatè melius habere, ſe per lectum movere, & ſigna edere cœpit urgentis partus, quapropter à lecto ad ſedem delata, filium maſculum vivum ſubitò peperit feliciter, poſtque dies paucos ſana è lecto ſurrexit & incolumis, univerſali cum ſtupore totius populi, qui tam evidenti permotus miraculo, non vulgarem ex eo tempore, erga dictam glorioſam Sanctam, concepit devotionem; & maritus beneficiũ inſigni reveritus eſt voto, quo Neapoli Eccleſiam S. *Mariæ de Vita*, Patrum Carmelitarum de obſervantia, honoravit.

24. *Periculoſè cadentem à præcipitio & omni eximit læſione.*

IPſo eo die, quo propter canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, ſolemnis per urbem Neapolitanam indicta & inſtituta fuerat proceſsio, hæc ex conventu majori Carmelitarum egreſſa, per ſuburbium *Virginum* directa fuit, ut ad Eccleſiam S. *Mariæ de Vita*, ubi ſolemnis octava quàm feſtiviſsimè celebranda erat, accederet. Parochus itaque Eccleſiæ *Virginum*, ſtatuam Sanctæ, quæ ante Eccleſiam ejus tranſitura erat, honoraturus, ſedecim circiter annorum juveni, campanas ſonaturus, campanile aſcenderet, impoſuit; abit ſollicitus puer, ſatisfacturus mandato; vixque campanile conſcenderat, quando uno fallente pede, ad triginta paſſus corruit deorſum, quo perveniens miraculosè ſuper terram ſtetit erectus inpedibus, abſque damno minimo; quodque magis miraculum auxit, circumſtantia erat loci, cadens namque juvenis, naturaliter in profundam montis excavati foveam,

quæ

Digitized by Google

quæ campanili immediatè ſubjecta erat, prolabi debuiſſet cum omnimoda oſſium confractione; aſt patrocinante S. Maria Magdalena quam juvenis ille ipſo in caſu invocavit, in alium cecidit locum, ad decem aut duodecim à præcipitio illo in diſtantia habentem, palmos. Ita Patribus Carmelitanis *S. Mariæ in Vita* retulére Sacerdotes, dictam parochiam incolentes, utpote oculati teſtes; idem Eminentisſimus Cardinalis *Indicus Caroccioli*, Archiepiſcopus Neapolitanus ijsdem Patribus teſtificatus eſt, & inſuper Romam ad Eminentisſimum Cardinalem *Roſpligioſium* tranſcripſit.

25. *Febrim & Apoſtema ſanat.*

IN eodem ſuburbio *Virginum*, uxor *Vincentij Pagani*, nobilis Neapolitani, graviter decubua, malo premebatur Medicis incognito, per quinque menſium ſpatium continuæ aſſociato febri. Tandem igitur mali ſe prodidit qualitas, interim ſcilicet apoſtema in pectore concluſum; quando ſcilicet ex ore & naribus, ingentem ſaniei, ſanguine permixtæ, evomere cœpit quantitatem, cum tanto ciborum faſtidio, ut nec cibum ſumere nec retinere poſſet. Unde Medici paucos ipſi reſiduos vitæ ſpondebant dies. Hæc inter dum infirma juxta palatium ſuum, ſtatuam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi proceſſionaliter deferri inaudiſſet, domeſticis, ut ſe per brachia ad feneſtram deferrent, præcepit, quibus obtemperantibus, ut ad deſtinatium locum, famulitio baiulo, ſuffulta pervenit infirma, maxima cum devotioe lacrymisque multis ſe recommendavit Sanctæ, ut ſuam ſibi à Deo impetraret ſalutem. Et ecce prodigium; vix namque dicta pertranſierat proceſſio, quando lectum repetiit ægra abſque febri, inſuper à ſputo ſanguinis & ſaniei, quod per os & naſum emittebat, immunis, cibum affectans; poſtque dies paucos reſumptis viribus lectum deſeruit ſana, quapropter *Vincentius*, maritus ejus, ad Eccleſiam ſe contulit Carmelitarum *de Vita*, ut tantum beneficium, meritis Sanctæ collatum, debitis proſequeretur gratiis, votumque offerret.

26. *Febrim continuam & fluxum ſanguinis ſedat, penitusque medetur.*

DUx *Teleſanus D. Antonius Ceva Grimaldi*, conſilio Medicorũ, Neapolim ſe contulerat, ut beneficio novi aëris à febris continuæ,

quæ

quæ ipſum integro quaſi anno tribularat, convaleſceret infirmitate; ſed malo in peius incrudeſcente, tam copioſam tandem ſanguinis fluxum paſſus eſt per nares, ut de vita ejus plurimùm dubitarent Medici, præſertim cum multa diverſaque pro ſiſtendo ſanguine adhibita remedia omni viderent deſtitui efficaciâ, nec proficere quippiam. Æger igitur totalem virium ſuarum ſentiens diminutionem abſque ullo mali medicamine, ad conventum Carmelitarum *de Vita*, quempiam deſtinavit, qui Patres eos ſuo nomine rogaret, ut aliquas de S. Maria Magdalena ſibi deferrent reliquias; quæ poſtmodum infirmo applicatæ fuêre, & inter alias quidem velum Sanctæ, quod ut capiti ejus impoſitum fuit, omnis indilatè ſopitus ſtetit ſanguinis fluxus, cum aſtantium ſtupore, magnoque ipſius Ducis convaleſcentis ſolatio, qui poſtridie in eo ſe reperit ſanitatis recuperatæ, viriumque ſtatu, ut ipſemet Eccleſiam *de Vita*, S. Virgini gratias acturus, inviſens, pro beneficio recepto in eleemoſynam obtulerit ſcuta 20.

27. *Alium à graviſſimo eripit accidenti.*

HIeronymum Carminianum, Equitem Neapolitanum, Plateæ Toletanæ incolam, tam ferox ex improviſo invaſerat accidens, ut unanimi Medicorum ſententiâ filius mortis denunciaretur; quique vel maximè malum illud augebat cruciatus, impotentia erat quieſcendi in lecto. Nullam itaque ſibi humanam profuturam intelligens Medicinam, ad patrocinium confugit S. Mariæ Magdalenæ, aliquas ejus petendo reliquias, quæ ut corpus infirmi attigerunt, ſanitatem impertiri cæperunt; mox enim ſe movere & abſque faſtidio ullo in lecto jacere commodèque ſe extendere infirmus, magis magiſque per dies ſingulos ita convaleſcens, ut integram tandem conſecutus ſanitatem, in grati animi beneficium ſe obligaverit coram multis nobilibus, ſe omni ſtudio, induſtriâque promoturum, ut S. Virginem Neapolis ſibi eligat in patronam.

28. *Miraculosè impedit incendium, imaginemque chartaceam à flammis conſervat.*

VIctoria Simonis, Neapolitana puella, in Monaſterio Charitatis, quod in eadem Platea Toletana ſituatum eſt, educanda, quandam S. Mariæ Magdalenæ chartaceam dono acceperat imaginem, quam quia eodem die ad cellæ ſuæ parietem affigere non poterat,

ſub

Digitized by Google

ſub veſperam cum alia quadam pariter juvencula, ſocia ſua, decubitura ex teneræ devotionis, qua in Sanctam ferebatur affectu, imaginem illam ſuper pulvinar, in quo caput quieſcebat, depoſuit, ſicque obdormiuit. Sed eheu, quod incuriæ non extinxerant lumen, flammam concepit, protinusque invaleſcens, ipſum, in quo filiæ illæ dormiebant, corripuit lectum; quando miraculosè à ſomno expergefacta *Victoria*, cellamque igne ardentem exhorreſcens, ſuam quoque excitavit ſociam, ambæque è cubili egreſſæ, ſuis reliquas etiam Moniales omnes expergefecerunt ſtridoribus, quæ ignis graſſantis incendium, toti imminens Monaſterio, dum cohibere non poſſent, gentem forinſecus vocant in auxilium, quæ ſubitò diverſis cum inſtrumentis, ut ignem extingueret, ſicuti & de facto extinxit, accurrit numeroſiſſima. Quod autem ſtuporem meretur, tum expergefactio fuit victoriæ, quæ ſubitaneâ quâdam & occultâ conquaſſatione ſe à ſomno ſenſit excitari; tum auxilium opportuniſſimum, ſiquidem caſus circa dimidium noctis ſucceſſerat; Mane itaque facto ad cameram ſuam reverſa Victoria, totam ſuppellectilem, ſingulariter autem lectum, ubi dormierat igne reperit abſumptum, præter unicam illam imaginem chartaceam S. Mariæ Magdalenæ quam tot inter cineres ſanam, integram, & ab omni ignis læſione invenit immunem; Unde tam ipſa, quàm reliquæ omnes moniales non modò binas illas adoleſcentulas, ſed totum etiam Monaſterium, ſuffragantibus Seraphicæ Virginis meritis, à flamma & incendio liberatum fuiſſe agnoſcuere; Quam proinde in ſuam ſuſceperunt protectricem, in Eccleſia ſua ſacellum S. Virginis erecturæ; præterquam quod pro tanta gratia in Eccleſiâ *de Vita*, tabulam offerent ſeu picturam, in qua totus repræſentabitur caſus commemoratus. Interim magna cum veneratione & devotione chartaceam illam imaginem, miraculosè inter flammas illæſam intactamque conſervatam, ſollicitè cuſtodiunt.

29. *Mulierem à diverſis liberat malis.*

CLaudia *Nicolai Antonij Antuerpienſis*, Neapolim incolens, poſt graviſſimam, quam annis octo exantlarat, febris continuæ infirmitatem, tantam viſcerum ſtomachique pati cæperat corruptionem, ut ex ore ejus intolerabilis ſe proderet fœtor, ſe ad loca etiam inſinuans remota, ea cum moleſtia, ut proprii etiam parentes, amici, domeſtici, confeſſarius, imò nec ipſi Medici propter intolerabilem graveolentiam accedere præſumerent. Deſolata

Digitized by Google

itaq; & derelicta ab omnibus, dũ proceſſio S.M.M. de Pazzi per eam Civitatis partem tranſiret, admonita infirma, tantam concepit fidem, ut in virtute ejus ſe è lecto erigens, quandam adierit feneſtram, ubi S. Virgini votum nuncupans, ſubitò ſe ſanam reperit, & ab omni liberam fœtore, cum maxima totius familiæ admiratione & lætitia. In cujus favoris recognitionem puella illa cum omnibus amicis ſuis Eccleſiam *de Vita* Patrum Carmelitarum inviſit, quando in eadem Eccleſia octanarium ſolemnis canonizationis celebrabatur, inq; animi grati Symbolon, cum inſigni miſſarum ceræq; quantitate, ſuum explevit votum.

30. *Oleum S. Virginis gravem relevat dolorem.*

PRioriſſæ *Conſervatorij*, Romæ in hoſpitali S. Spiritus, cui nomen *Victoria Gaſparrini*, parva vitrea donata fuerat ampullula, in qua duæ treſue olei illius miraculoſi, quod Florentiæ in feſto Beatificationis S. M. M. de Pazzi, multiplicatum fuerat, aſſervabantur guttulæ. Donum maxima cum ſatisfactione exceptũ puellis ſuis, quibus educandis præeſt, detulit exhibendum; quarum una, ætatis annorum 30. rem adeo exilem, tantillumq; videns olei ſubriſit, dicendo: Pater Generalis Carmelitarum (ab eo namq; proceſſerat donum) ingens ſane in unica olei guttula, & minima iſta phiala impertiit xenium. Interim ampullam reverentes obſervans Prioriſſa, eam in pixide ſerico veſtita repoſuit: multisq; præter lapſis diebus eandem ipſam Prioriſſam in ſiniſtra corporis parte dolor invaſit, qui ab inguine usq; ad pedem diſcurrens, tantam creabat moleſtiæ & afflictionis, ut non modo non ſtare aut ſedere poſſet, ſed nec in lecto jacere; indieſq; magis ingraveſcente dolore ſemper difficilius ſtare pedibus, & longè difficillimè incedere. Igitur 29. Maii, dum inſolitus urgeret cruciatus, lecto ſe committere coacta fuit, ubi poſt aliquantulum temporis, afflictam corporis partem velut inſenſibilem, præ dolore ſenſit evaneſcere; Quas inter anguſtias ampullulæ dictæ memor, eam in præſentia trium puellarum, ſcilicet *Brbianæ*, annorũ 32 *Tobiæ*, annorum 24. & *Margaritæ*, annorum 25 (ſibi allatam, ſiniſtrâ appræhendit manu, dextra ligamen, quo cooperta erat, ſolvens; utq; ad ceram, quæ orificium immediatè claudebat, pervenit, ceram acu elevavit, quâ vix ſublatâ, exilis illa olei quantitas bullire cœpit, eo cum incremento, ut foras prorumpens, tenentis unxerit manum; quo tam Prioriſsâ, quàm aſſiſtentibus puellis attonitis ſucceſſu, patiens ampullâ in dextram aſſumptâ, ſiniſtrâ, quam oleum perfuderat, partem inunxit offenſam; dumque

manu

manu dexterâ ampullam teneret,& iſtam oleo madefactam reperit; ne igitur prodigioſus liquor , qui ſecundam hanc unxerat manum , deperiret, puellis ad ſe vocatis frontem, fauces & pectus unxit ; quo facto dictam recluſit ampullulam, in qua eadem , quæ prius, viſa fuit remanere olei quantitas;unde cerâ, novâq; & duplicata jam cooperiens chartâ, fortiq; conſtrictam ligamine,in dicta repoſuit pixide in domo ſua.

Nocte ſequenti, dictæ Prioriſſæ dolor priſtinus nonnihil intulit afflictionis,quare altero die iterum aſſumpſit ampullulam, quam ita reperit plenam,ut ex oleo redundante lacera videretur charta, & ſecundùm aliquam partem ipſa pixis , in qua conſervabatur , madefacta ; ſoluto itaq; fune, & quanto placuit, partem offenſam inungens oleo , iterum cerâ & chartâ obductam in priori collocavit repoſitorio,hodieq; ampulla majorem,quam primitus habuit,notatur continere olei quantitatem. Ita ſanctè atteſtantur,inq; Dei & Seraphicæ Virginis majorem gloriam & honorem profitentur dicta Prioriſſa , & commemoratæ pullæ.

31. *Liberat à Phthiſi & alijs corporis malis.*

SOror *Maria à S. Ioſepho*, Monialis Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo , in Monaſterio , dicto *de Bethleem* , Ploërmeli in Britannia minori, phthiſi per annos plures infecta & à Medicis depoſita,poſtquam in hebdomada paſſionis,anno 1669.viatico & extremâ unctione,tanquam morti proxima, munita fuiſſet , interius ad implorandam S. M. M. de Pazzi, tunc proximè Sanctorum faſtis adſcribendæ,opem mota fuit,ſtatuitq;, duobus novendiis preces aliquas in ipſius honorem perſolvere, quod & fecit. Nocte igitur, Sanctæ ipſius feſtum immediatè præcedente tam acuti dolores ac debilitas infirmā opprimere cæpêre,ut ad Oratorium novitiatus,in Dormitorio exſtructum , eidem Sanctæ conſecratum, & in quo expoſita eſt ejus imago,ſe deportari poſſe omnino diffideret;nihilominus in ſede rotatili non ſine ingenti difficultate , & periculo exſpirandi in via , eo deducta fuit;quo cum perveniſſet , dum quædam à ſororibus preces recitarentur pectus, tanquā appoſito ſibi interius aliquo corroborativo, ſibi ſenſit convaleſcere, tibiasq; prius debiliſſimas conſolidari. Quare ſtatim è ſede exiliens,velum Sanctæ,in altari expoſitū, acceſſit deoſculatura , & exinde ad infirmatorium omni abſque difficultate reverſa eſt , & appetitu recuperato , perfectè ſanata.

32. *Sanat biennalem contractionem nervorum.*

Digitized by Google

SOror *Angelica à S. Philippo*, Monialis ejusdem ordinis & Monaſterii importuna nervorum contractione pridem afflicta, & à duobns annis lecto jugiter affixa, die feſto S. M. M. de Pazzi, cum confeſſarii ſui licentia, in ejusdem honorem, novenam inſtituerat, ut ipſius meritis & interceſſione aut totalem recuperaret ſanitatem, aut ſaltem aliena abſq; ope (ſi ita Deo placitum foret) ad chorum progredi, ibiq; miſſam audire & Sacramenta percipere poſſet. In ipſa igitur Aſcenſionis Domini noſtri ſolemnitate (quæ intra dictum novendium occurrebat) dum ex choro, ad quem in ſede volabili ſeu rotatili deducta fuerat, ad lectum reportata fuiſſet, pectus ſuum (quod uſq; modò debiliſſimũ fuerat) nonihil meliorari experta, an ſe erigere poſſet, attentavit: Conatumq; ſentiens optatum, veſtes ſibi dari petiit, quibus induta ad chorum proceſſit, ubi, poſtquam Sanctæ reliquias venerata fuiſſet, hymno *Te Deum laudamus*, in gratiarum actionem à communitate cantato, reversa eſt ſana, nullius indiga opis.

33. *Incurabili medetur morbo.*

ILluſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus, Epiſcopus Veneti in Britannia minori moleſtâ in uno crure laborabat fiſtulâ; à quo importuno malo ut ſeſe redimeret, paulo poſt ſolemnitatem Paſchalem hujus currentis anni, novenam inchoavit in honorem S. Mariæ Magdalenæ, deſideriique compos effectus, priorem obtinuit integerrimam corporis incolumitatem.

Cum igitur Sancta hæc tam corporali, quàm ſpirituali animarum benigniſſimè medeatur, faveatque ſanitati, tamque apud Deum ejusdem pro clientibus efficax ſit interceſſio, ut ex præſentibus, veluti ex ungue leonem, dilucidè cognoſcis Lector benevole, tu quoque eandem tuis in adverſitatibus morbisque, præſertim verò animæ, ipſam invocare non differas.

Omnia ad maiorem Gloriam Sanctiſſimæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus S. & ad honorem S. Mariæ Magdalenæ de Pazzi Carmelitanæ, in qua ſemper ſit laudata & honorata individua Trinitas.

DOCU-

Digitized by Google

DOCUMENTA
ET MONITA,
Quæ
S. MARIA MAGDALENA DE PAZZI,
diverſis dedit Religioſis, dum vixit.

Nulli non, ad perfectionem, propriamque ſalutem anhelanti, utiliſſima animæ; edita in lucem idiomate Italico per D. Joannem Antonium Solazzi de Vetralla.

Caput I.
De vocationis religioſæ dignitate, æſtimatione & gratitudine.

1. SIcuti parum prodeſt pretioſæ poſſeſſio gemmæ, non cognito ejus valore & pretio; ita exilem tibi afferet utilitatem, niſi ſtatus tui dignitatem cognoveris & valorem; quia incognitum nec in amore, nec in debita habebis æſtimatione.

2. Religio locus ſacer eſt, collegiumque repræſentat Apoſtolicum; eſt paradiſus deliciarum, hortus Dei & pupilla puriſſimorum oculorum ejus.

3. Vocatio ad Religionem eſt vocatio ad ſervitium Dei; cui ſervire, regnare eſt, idque inchoare in terris, quod perpetrandum in cœlis, ſcilicet laudare & benedicere Dominum.

4. Status religioſus, mediâ trium votorum obſervantiâ, Verbi incarnati profitetur imitationem, quæ Angelis negata eſt in Paradiſo.

5. Satage penetrare dignitatem ſtatus tui, & id, ad quod tuus, quem defers, te obligat habitus; ſi enim penetraveris, omnem aſperna-

aſpernaberis creaturam, de ſolo Deo, animæ tuæ ſponſo, ſollicita.

6. Gratias age primas Deo, ſecundas omnibus illis, qui te ad Religionem admiſerunt; iis namque mediantibus, maximum, quod Deus electis ſuis in hac vita conferat, accepiſti beneficium, ſcilicet ingreſſum in Religionem ſanctam: gratitudinis jure, amare & ſervire teneris omnibus, deſiderando & inveſtigando modos, quibus benefacias ſingulis, eorum te reputans indignam conſortio.

Sequentes .. ex eiuſdem S. Virginis vita extaſibusq; extracta, de ſtatu Religioſo Maxima, in dicti auctoris opuſculo non continentur, ſicut nec alia, quibus per decurſum, ſignum hoc, ( ) reperies adjunctum in margine.

„ 7. Religio paradiſus eſt terreſtris, in quo anima ſtrictius uni-
„tur Deo, abundantius theſauros participat Eccleſiæ & tranquil-
„liſſimâ gaudet pace, vi cujus in parvam terrenam transformatur
„ deitatem, divinoque imbuitur balſamo.

„ 8. Satius eſſet perſiſtere in ſæculo, quàm damnari in Religione.

„ 9. Religio negotiatio eſt & commercium, quo quis centum
„ lucratur pro uno, dummodo talentum exercere noverit

„ 10 Brevior, planior & ſecurior ad cælos via, ſemita eſt Religionis.

„ 11. Religio purgat, illuminat, perficitque totum tam interio-
„rem, quàm exteriorem hominem.

„ 12. Duplex Religionis baſis, fervor eſt Spiritus & Mundi,
„ ſuique contemptus.

Plura de hac materia vid. ſup. lib. 2. c 1.

CAPUT II.

De amore & obſervantia erga noſtram matrem, Religionem.

1. Dilectam hanc matrem veſtram Religionem amate, quæ vos peperit Deo; hoc autem adimplebitis, ſi, quidquid illa vobis præſcripſit in regula & conſtitutionibus, obſervaveritis, & cujuſvis, licet minimæ, rei curam & rationem habueritis.

2. Satagite, non portari à Religione, ſed portare eam promptiſſime, omni vos ſubiiciendo labori, paſſioni atque incommodo, ut Religioſum adjuvetis & manuteneatis vigorem & pulchritudinem.

3. Omnes Religionis, etiam minimas, obite functiones cum omni poſſibili affectu, tanquã totidẽ opera Dei. Cogitate, quantã cum reverentia, diligentia & affectu pauper aliquis, in domo Regis exiſtens, omnia opera, quantumcunq; exilia & vilia, proſequeretur, cogitans ea Regis eſſe opera, ſibi in iis ſervitium præſtari & beatum eſſe, dum ea adimplere permittitur Ita & vos quodcunq; Religionis exercitium, quantumvis parvum & vile cum magna diligentia, affectu,

Digitized by Google

ctu, reverentia & humilitate facere debetis, beatas vos ratæ, dum hoc, quod agitis, opus Dei, illique gratum eſſe cogitatis.

4. Deſiderate, ſi poſſibile foret, millenis inſtructas eſſe manibus & totidem pedib⁹, ut omnes Religionis obire poſſetis actiones; tempora prævenite & horas, ut in omnibus inveniamini Religionis locis & exercitiis.

5. Millies præ nimia tripudiate lætitia in quacunque minima Religionis functione, certæ, vos in ea voluntatem Dei adimplere.

6. Quoties ad quodcunq; Religionis exercitiū vocamini, Dei vos vocem audire credite.

7. Nullum unquam omittatis Religionis præſcriptum, niſi vos aut obedientia, aut charitas, aut magna impedierit neceſſitas.

8. Omnes Religionis ſanctiones, quantumvis minimæ, totidem ſunt gradus, qui nos ad Deum facile conducant.

9. Ne minimæ quidem ordinationi cōmuni, non modo veſtrū propriū nō anteponatis cōmodū, ſed nec ipſas etiā actiones bonas & ſanctas, niſi major obſtaret Dei gloria aut charitas proximi; quia omnes functiones Religionis, modo ex obedientia fiant, divina ſanctificat voluntas.

10. In magno verſaberis deceptionis diabolicæ periculo, ſi, ut orationi privatæ juxta placitū propriū vaces, cōmunes poſtponas functiones; præterquā quod ita te obſervantiæ reddas inutilem; Relig. enim obſervantia vigere non poteſt, niſi moniales ſe exerceant in illa.

11. Quicunq; potius labor & ſudor, imò mors ipſa ſubeunda foret, quā vel minima cujuſcūq; religioſæ functionis admittenda relaxatio.

12. Cave unquā defatigari Religionis laboribus, neq; Religionē tibi unquā obligatam reputes: imò te Religioni, quæ tuā adhibet operā, obligatā eſſe noveris; quantoq; major erit labor tuus, tanto magis præ lætitia jubilare deberes.

13. Si quando ob laſſitudinē aut debilitatem, alicui Religionis functioni aut obſervantiæ vacare nequeas, noli dicere: non poſſū; ſed reſponde: propter peccata mea non mereor religioſis me implicare exercitiis, aut talem vel talem obire laborem.

14. Morbū ne cibis unquā, vel Religionis aſſcripſeris laborib⁹, ſed eum de manu Dei ſuſcipe; quidquid enim in Religione fit, Dei eſt voluntas, eiq; conforme; unde mali cauſa eſſe nequit

15. In Sanctæ religionis cibis confide plurimū, qui licet antehac quidquā tibi mali attuliſſent, certa tamē eſto, ſponſū tuū tanta eos cōditurū virtute ut nō modo nō diſpendiū, ſed etiā fortitudinē tibi allaturi.

16. Cibi

Digitized by Google

16. Cibi nobis propoſiti, à Religione Sanctificantur; & quamvis duri ſint ac inſalubres, Deus tamen, ut tanquam boni nos ſuſtentent, ijs virtutem indit, aliter nobis, dum ei placuerit, proviſurus.

„ 17. Fel & mel eundem oportet ut guſtui noſtro præſtent „ ſaporem; & ſolum iſtum, qui ex Religionis mammillis egreditur, „ deſiderare debemus liqorem.

„ 18. Utprimum ſacro induta es habitu, hanc generalem tene „ maximam; nunquam vel minimum cogitare, dicere aut facere, „ quod religioſam dedeceat nobilitatem.

Caput III.

De Regulæ & conſtitutionum obſervantia.

1. Fuge omnem in vivendo extremitatem, ſed regulam tuam, quæ via recta eſt, obſerva ad amusſim.

2. Subjectionem & regularem pluris facio obedientiam, quam contemplationes ſublimes; omnes namque Religionis ſanctiones & regulæ à Spiritu ſancto ordinatæ ſunt; ſi in his te exercueris, certa eſto, quoniam voluntatem Dei adimples; ſecus verò, ſi operibus te implicueris particularibus, licet bonis & ſanctis.

3. Magno regulam & conſtitutiones tuas amore proſequaris & affectu, omnes & ſingulas earum cum omni posſibili obſervans affectu & toto pectore.

4. Satage imbui in iis, ad quæ te obligat regula, in quibus ſi deliqueris, pœnitentias age, ſimilibus defectibus per regulam præſcriptas.

5. Attende & nota quodcunque regulæ noſtræ Sanctæ punctum, imò ſyllabam; ſiquidem vel minimum in ea contentum verbum à Spiritu ſancto formatum eſt; ſollicita & zeloſa eſto in ejus obſervantia, ſingulariter autem, quod ſummè deteſtatur, exhorreſce etjam, obſerva ſilentium, ſemper asſiſte choro, refectorio, omnibusque aliis exercitiis.

6. Cogita, omnes & ſingulas regulæ & conſtitutionum tuarum ſanctiones, etiam minimas, à te ſola obſervari debere; earumque conſervationem & vigorem à te unica dependere.

7. Potius vitam & ſanguinem parata ſis profundere, quam vel minimam regulæ & conſtitutionum tuarum relaxationem admittere.

8. Omnem

Digitized by Google

„ 8 Omnem abominare ſingularitatem, quantamcunq; exilem; „ quia accurata regulæ obſervantia, eſt regia & rectior ad cœ„ lum via.

„ 9. Tam rigoroſam quilibet in regula & conſtitutionibus ob„ ſervandis habet obligationem, ut indiſpenſabiliter in exacta earum „ obſervantia vivere debeat ac mori, non curando, ſi hic vel ille mu„ neri ſuo non ſatisfaciat.

„ 10. Deus vult tanti à Religioſis fieri regulam eorum, quanti „ ſeipſum, ſiquidem illius ſcopus eſt.

„ 11. Efficaciſſimum ad magnos meritorum æternitatis acqui„ rendos theſauros medium, eſt regularis perpetim vita in cœtibus & „ communitatibus ſanctis.

„ 12. Singularitas, eſt mortis umbra.

„ 13. Satius foret millies mori, quàm vel minimum regulæ & „ ſtatutorum apicem violare.

„ 14. Quoties in regulari deficis Religionis obſervantia, toties „ pupillam offendis oculorum Dei.

Caput IV.

De deſiderio & Zelo obſervantiæ, ſimplicitatis & perfectionis religioſæ.

1. SAnctam continuò zela obſervantiam & ſanctam ſimplicitatem, majori indies cum deſiderio, nec unquam priori contenta ſis deſiderio; ſique hujusmodi in te non experireris, ad minus deſiderium concipe deſiderij.

2. Deſiderij hujus renovationi ſerviet cogitatio, quâ ipſum, quod habes, perpendas deſiderium; ſicuti enim ferrum igni ſæpius immiſſum, tandem & ipſum igneſcit; ita ſi exile, quod in te eſt, deſiderium lumenque rumines & recogites, impoſſibile eſt, quin majus tibi deſiderium, lumenque non infundat Deus.

3. Sanctæ obſervantiæ deſideria, totidem ſunt gemmæ, quibus coronam Virginis Mariæ inſignire potes; econtra verò ejusdem obſervantiæ neglectus, gemmas & ornamenta ejusdem deſtruit coronæ.

4. Satage bonas, quæ vigent, manutenere ſanctiones; cumque perfectioris obſervantiæ & ſimplicitatis lumen tibi contulerit Deus, ipſum alteri communica; ſique id alicui diſplicere videris, interius

Digitized by Google

ei compatere, & ſanctâ quâdam cum fictione id te animadvertiſſe diſſimula, quin potius cum dulcedine & ſuavitate, his ſimilibusque verbis eam alloquere: Soror mea, nunquid tibi placet, nunquid tibi arridet propoſitio? Nec ultra faſtidioſis intentionem tuam replica diſcurſibus; ſed ſtimulum tuum, ubi ſiniſtrè excipi videris, tibi ſilentium conſulo, ſuadeoque, ut intentum tuum cum Superioribus conferas, eâ tamen ſemper humilitate, quæ veram decet ſubditam; ſi vero & hic inaniter te laborare adverteris, Deum ora, deſideriumque illud in te alere & fovere ſatage.

5. Semper & ubique (juxta vires tuas) ſanctam augere debes ſimplicitatem; ſiq; aliqua, res meditaretur pulchriores & meliores, cave conſentias, in id ſollicite incumbens, ne tuis unquam è manibus egrediatur quippiam, niſi ſimplex & abjectum.

6. Omnem, tam magnam quam minimam zela Religionis ſanctionem; licet nulla Religionis functio, dici poſſit minima.

7. Conare omnem eam in hac Religione zelare perfectionem, quam in ipſa requirit Chriſtus, nullo ad commodum aut utilitatem propriam habito reſpectu; perfectio ut hoc in habitaculo accreſcat, deſidera intensè, eamque magno cum affectu poſtula à Domino.

8. Illis ſemper adhære, easque imitare, quas experientiâ teſte majus à Domino lumen, majusque perfectionis deſiderium accepiſſe adverteris, non attendendo, utrùm ipſæ creaturæ omnibus exterioribus ita prædictæ ſint qualitatibus, quæ convenientes viderentur, ſed purum duntaxat reſpiciendo Dei honorem.

Caput V.

Qualiter novellæ Religionis plantæ ſint irrigandæ.

1. SEmper & omni tempore noviciatum, tanquam primum Religionis principium & fundamentum, magno proſequar s amore, deſiderans, ut ad ipſum perfectiora adhibeantur Religionis inſtrumenta.

2. Ne permiſeris quidquam in novitiarum dici præjudicium; imò ſemper eas excuſa, & particulari proſequere amore.

3. Ad Religionem potius admitti deſidera inſtrumenta illa, quæ magis in ſpirituali adjuvent, quàm temporali, & quantum tui eſt muneris, omnem iis præbe opem, quæ recenter ad Religionem veniunt.

4. Ad

4. Ad Religionem accedent bus, perfectæ obſervantiæ cures infundere zelum, ut ita iſte in hoc loco perpetuetur.

„ 5. Novitiis ſollicitè inculcandum eſt, quanti momenti ſit „ cultus ſervitiumque divinum, quàm exactæ in omnibus ſuis debe- „ ant eſſe ſubmiſſionibus, maximè ad interiorem invigilando ſta- „ tum; quantaque cum reverentia frequentare debeant Sacramen- „ ta confeſſionis & communionis.

„ 6. Novitiæ ſuaviter conducendæ, gradatimque quaſi per ma- „ num promovendæ ſunt ad vitæ ſpiritualis exercitia Verbisque ex- „ emplis ad verarum ſolidarumque virtutum acquiſitionem animan- „ dæ; eruidiendæ inſuper, ut ſuam maximi faciant vocationem, & o- „ mne illud imbibant, quod ordinis regula & conſtitutiones præſcri- „ bunt?

„ 7. Religio cum intentione puriſſima, non ex vi aut ob munda- „ nam conſiderationem amplexanda eſt.

„ 8. Novitia in Magiſtræ ſuæ manibus veluti mortua eſſe „ debet.

„ 9. Gratiæ, quas Deus confert ſolis, manifeſtandæ ſunt ſu- „ perioribus, qui Vicarios & ordinarios agunt JESU Chriſti, & in „ quibus divina reſidet authoritas.

„ 10. Felix religio illa, cui Deus ſuperiores providit, facien- „ dorum dicendorumque capaces.

CAPUT VI.

De Mundi horrore, & qualiter religioſa ad crates ſeu collocutorium ſe gerere debeat.

1. NIhil morum retineas ſæcularium, ſed penitus eos proſcribas.

2. Cura, ut dicere poſſis cum Apoſtolo: *Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Tunc autem id veraciter affirmare valebis, quando mundo contraria eris; mundani amant, aucupanturque honores, pleni ſunt avaritiâ, impuritate, millenis ſcatent duplicitatibus & ſimulationibus: ſi igitur adverſari vis mundo, cum omni ſimplicitate, ſinceritate & intentionis operare puritate, ſorores tuas verâ intrinſecâque ama dilectione; ſuper omnia autem in temetipſa humilitatem, ſimplicatem; & veram religioſam ama atque practica paupertatem.

 3. In

Digitized by Google

3. In minimis etiam & indifferentibus operibus, mundo contrariari ſtude; dico, ne in iis quidem, quæ in mundo fiunt, te conformes illi, ſed fac illa inverſo modo, aliterque ac in mundo fiunt, ut in omnibus & per omnia difformis ſis mundo.

4. Exhorreſce Crates, quia quod plurimo acquiſiviſti tempore, ibi periculo exponis perdendi, intra ſpatium temporis breviſſimum.

5. Nunquam à cratibus recedet Religioſa, quin poſtea multum requirat temporis, ut ea, quæ vidit & audivit, diluat è mente, priſtinamque cordis reacquirat pacem.

6. Accedens ad crates, ſolo inibi ſis corpore, corde autem apud ſorores; ita ut, ſi illæ fuerint in choro, tu pariter ſis in choro; ſi illæ in refectorio, tu quoque in refectorio; ſi illæ in aliis Religionis exercitiis & functionibus, & tu in illis.

7. Ad crates non niſi tuos inviſes amicos, manſura ibi, quàm pauciſſimo potes tempore; & tuos ita inſtitue diſcurſus, ut te non amplius mundanam, ſed Deo totaliter, tanquam JESU crucifixi ſponſam, unitam eſſe demonſtrent.

8. Si quam ſororum tuarum quippiam ſæculare feciſſe audieris, Deo gratias age pro majori perfectione tua: neque deſuper loquaris aut cogites, ſed tuo attendas debito & obligationi.

9. Solus tibi ſufficiat Deus, nihil de amicis, nihil de ulla re cures terrena: hoc ſi feceris, omne verum invenies bonum, perfectamque omnium deſideriorum tuorum conſequêris adimpletionem.

„ 10. Unus è principalioribus communionis noſtræ fructibus, „ eſt cratium & collocutorij horror.

Caput VII.

De Obedientia.

1. IN obedientia læta, humilis, ſimplex, velox & conſtans eſto, eam, quæ tibi præcipit, Dei vocem eſſe cogitans, teque indignam reputans, cui talis imponatur obedientia, aut quæ eam expleas; dummodo nullum offenſæ Dei aut ipſiusmet animæ tuæ ſubſit offenſæ dubium.

2. Coram ſuperiore cum reverentia, humilitate & lætitia deges, cogitans, ut veriſſimum eſt, quòd Dei perſonam tibi repræſentet.

3. Pluri-

Digitized by Google

3. Plurimum confide in obedientia, utpote excellentium operatrice; & ſpera, te mediâ illâ r[illegible]as à Deo conſecuturam gratias.

4. Opera per obedientiam facta, quantumvis in ſeipſis vilia & parva, pluris facito quàm alia magnæ perfectionis, facta ex placito proprio.

5. Ita te manibus conſigna ſuperiorum, ut, quidquid voluerint, circa te diſponere valeant.

6. JEſus in illa ſibi complacet anima, quæ nuda eſt & ab omni proprio ſpoliata beneplacito, non modò quò ad res exteriores; ſed ita etiam, ut nec ipſi quidem Deo ſervire geſtiat, ut ſibi, ſed duntaxat, ſicuti Deo placet.

7. Amorem arguit proprium, qui ſuperioribus, auſteritates, pœnitentias & rationem inhibentibus, obedire detrectat.

8. Mortem tibi ipſi infer, propriumque ſepeli judicium & opinionem.

9. Omni tuæ renuncia rationi, ſapientiæ & voluntati, te tuis mortuam conſignas ſuperioribus.

10. Quousq; manibus obedientiæ te mortuam conſignare diſtuleris, nunquam, quid ſit Dei ſervitium, deguſtare poteris.

11. Repugnantia in propriæ voluntatis abnegatione, eſt exilis in Deum amoris indicium; quia in re, quâ eum ſummè honorares, ſcilicet in te, ob ejus amorem, abnegando, tantillũ laborare recuſas.

12. Ut cervus ad fontem, ſic tu ad propriæ voluntatis annihilationem ſitibunda anhelare deberes.

13. Perditum reputa diem illum, in quo tuam non rupiſti voluntatem, aut cuipiam rei ſubjugaſti.

14. Voluntatem tuam Deo offer in ſacrificium, ſummumque experiêris ſolatium.

15. Nihil unquam aggredere, niſi Deo per obedientiam fuerit ſacrificatum.

16. Omni in re, munere & officio indifferens eſto.

17. Quantò obedientior, tantò eris quietior.

18. Obedientiam ut tuam cole nutricem; ſicuti ergo parvuli non alio quàm nutricis ſuæ cibantur lacte, ita nec tu alio quàm ſuperiorum tuorum ciberis voluntate, quæ tibi voluntatem demonſtrat Dei; atque ita ſicuti parvuli, dum quid adverſi experiuntur, ſubitò ad brachia recurrunt nutricis; ſic & tu, ubi quid contra voluntatem

Digitized by Google

tuam facere fueris juſſa, hanc Dei cogita voluntatem eſſe, ibique quieſce; hæc enim cogitatio omnem tibi indulcorabit & facilitabit difficultatem.

19. Tam grata Jesu eſt obedientiæ virtus, ut per eam ſe uniat animæ; & ſicuti cibus creaturæ ac creatura cibo, ita anima obediens Jesu, & Jesus unitur illi.

20. Perfecte obedire nequis, niſi proprium captives judicium in ſuperioris tuæ voluntatem & judicium; neque mihi obediens viderer, etiamſi hoc, quod mihi impoſitum eſt, exequerer, niſi meum prius captiuaſſem judicium, etiam in rebus difficilioribus, bene judicando & ſentiendo, pro ut judicat, ſentitque ſuperior, meâque voluntate volendo id, quod vult ſuperior.

21. Hilariter obedias, quia Deus hilares amat datores, ideoque obedientiam cum certo quodam jubilo & jucunditate exequere.

22. Si ad menſam accumbenti ſuperior tibi aliquem præciperet laborem, aut actum humilationis, aut rem etiam inutilem, mox hilari obtemperes vultu, te indignam reputans, tuamque conſiderans miſeriam dicito: O quantam Domine, mihi præſtas, gratiam, dum tuæ illæ ſponſæ me ſupportent!

23. Simplex ſit obedientia tua, cumque tibi impoſſibile quid præceptum eſſe putaveris, attenta ſi ipſum exequi poſſis; cumque te impotenter repereris, ad ſuperiorem abiens, dicito: Hæc & hæc mihi præcepiſti, mei ſuperiora viribus, nihilominus ſi ita tibi viſum fuerit, me ſubmitto, & in tua confido obedientia.

24. Si ſimpliciter, cæcè, nec opere duntaxat exteriori, ſed etiam voluntate & intellectu obedires, longè magis Deus ſibi in tuo complaceret corde, tuque ipſa tranquillior & quietior fores.

25. In obedientiæ executione perſonam non reſpicias præcipientem, ſed Deum venerare, in illa, & tanquam Deo obedi ſimpliciter; non enim tuam creaturæ, ſed Deo dediſti voluntatem; creatura autem Dei locum tenet.

26. Si vis pure obedire, ne ſuperiorem unquam reſpicias præcipientem, ſed Deum in illa recognoſce; nec ob alios obedias reſpectus, quàm quia hoc ipſum, quod ſuperior mandat, Dei reputas voluntatem.

27. Non

Digitized by Google

27. Non vermiculo creato, ſed ipſi te cogita obedire Deo; quia autem indigni ſumus, quibus Deus ſuam per ſeipſum indicet voluntatem, ideo mediis utitur creaturis, quibus in perſona ſua obediamus.

28. Si Converſa coqua tibi quid præciperet ut Superior, tam promptè obedias, ac ipſimet matri Prioriſſæ, Dei in illa honorans perſonam, amore cujus ei obedire teneris.

29. Si Superiores tuos, Dei vicarios eſſe, &, quidquid ordinant dicuntque, Dei ordinationem verbumque eſſe tibi vivaciter impreſſeris, magnum in Religione Sancta fructum feres atque inſignem in virtutibus ſanctis facies progreſſum; ſingulariter autem haſce quinas à Deo conſequeris gratias.

Quòd Deus ſe magis tibi, ipſisque propter te communicabit ſuperioribus.

Quòd omnes, tam proſperæ quam adverſæ obedientiæ, tibi dulceſcent æqualiter.

Quòd continuam in corde tuo experieris quietem, tranquillitatem, ſolatium, dulcedinem.

Quòd te magis aptam reddes, ut ſanctam matrem Eccleſiam orationibus adjuves; quia JESUS orationes exaudit obedientium.

Quòd Deus ſibi de te coronam parabit, ſicut enim corona Majeſtatem ſignificat Regis, ita & tu honorabis & glorificabis Deum in omnibus operibus tuis.

„ 30. Obedientia myſticus eſt Salomonis lectus.

„ 31. Obedientia perfecta animam requirit ſine voluntate, voluntatem ſine judicio, judicium ſine Spiritu, Spiritum ſine oculis; & ut quis ad omnia ſit cœcus, præterquam ad obedientiam toti præſtandam mundo.

„ 32. Obedientiam lætitia, humilitas, ſimplicitas, promptitudo & perſeverantia concomitentur oportet.

„ 33. O Filiæ meæ: vocem audiamus ſuperiorum noſtrorum, tanquam ipſiusmet Dei, loquentis nobis.

„ 34. Subditus ſe indignum reputare debet, qui ſuperioris ſui accipiat præcepta, imò & incapacem, qui exequatur ea.

„ 35. Obedientia, quæ contra divinam voluntatem, aut contra conſtitutiones, aut regulam, aut animæ profectum quid injun-

,, injungit, non amplius obedientia, ſed phantaſma eſt & monſtrum.

,, 36. Omnem illum diem perditum reputa, in quo alicui non ,, obediſti ſorori.

,, 37. Perſona religioſa ſuam non hominibus, ſed Deo conſigna- ,, vit voluntatem, eamque non diviſam, ſed integram. Quantum igi- ,, tur eſt ſacrilegium, eam auferre, inque partes diſcerpere?

,, 38. Minima ſimplicis obedientiæ guttula millies plus valet, ,, quàm integer ſubtilis contemplationis acervus.

,, 39. Longè deſiderabiliſſimum foret, omnes actiones noſtras ,, à ſancta obedientia actualiter injungi.

,, 40. O Bone Jeſu! quantam ſola verba iſta in ſe continent ,, dulcedinem: *Voluntas Dei.*

,, 41. Quolibet menſe ſemel poſt ſerium examen, pœnitentia ,, pro negligentiis, contra obedientiam Deique voluntatem admiſſis, ,, facienda eſt.

,, 42. Tres Salvatorem ſuper crucem confixêre clavi, tres in ,, ſinu matris, & tres in ſinu æterni Patris; primi ſunt obedientia, hu- ,, militas, & conformitas ad voluntatem divinam; tres ſecundi ſunt ,, puritas, amor, & conformitas Virginis ad beneplacitum divinum; ,, tres ultimi ſunt natura, æqualitas & complacentia.

,, 43. Perfectior eſt anima illa, quæ verius honorare deſiderat ,, Deum, inque omnibus & per omnia ſanctiſſimam & amabiliſſi- ,, mam ejus adimplere voluntatem.

,, 44. In omnibus te propriâ exue reputatione, quod interio- ,, rem concernit ſtatum, ſanctiſſimæ duntaxat voluntatis divinæ in- ,, quire conformitatem.

Caput VIII.

De paupertate.

1. PAupertas Jesu ſponſa eſt, tuaque mammilla & nutrix eſſe debet.

2. In omnibus religionis rebus ſemper prima in paupertate eſſe conare, & habere, quod pejus eſt; easque conſerva & tuere tanquam res religionis, non verò ut tuas.

3. Quantò abjectiores, & pauperiores fuerint res religionis, tantò majoris eas æſtimare debes, quia paupertatem profeſſa es; pauperes autem quodlibet appretiantur, ſcientes, ſibi res pretioſas minimè convenire.

4. Sancta

4. Sancta paupertas, omnium operum tuorum debet eſſe nota & index, ſicuti enim mundani, ut opera ſua ſecernant ab aliis, ſuis illa inſigniunt armis, ita quoque ſi opera tua tanquam religioſa cognoſci deſideras, neceſſum eſt, ut eadem paupertatis indice inſignias; dico, ut, quidquid pro religione aut intus aut extus feceris, ex ſimplicitate cognoſcatur, cujus index eſt paupertas ſancta.

5. Ne de cibis malè conditis doluerìs unquam, memor quòd paupertatem profeſſa ſis; pauperes autem fruſtillum etiam panis, quantumvis ſicci & reſidui, cum gratiarum actione acceptant.

6. Ne auſteritatem timeas religionis, aut ſuperfluam corporis tui curam geras, ſed in Deo confide; & ſicuti pauperes oſtiatim mendicantes de eleemoſyna ſibi danda non cogitant, ſed ſimpliciter quodvis obvium, tam bonum quam malum excipiunt, ita & tu quocunque religionis tractamento longè contentior eſſe debes, ſiquidem quocunque pauperior es mendico; illi namque quod accipiunt, ſuum appellare poſſunt, & ad ipſum jus habent, tu autem nihil poſſides proprium.

7. Illi ſemper acquieſce, quod religionis ſuppeditat paupertas; imò quod veriſſimum eſt, ſe indignam reputans, ut habeas illa, quibus fruuntur aliæ, deſidera, & pro occaſione nata in rerum neceſſariiſſimarum defectu tibi complace.

8. Sicuti animam tuis dediſti ſuperioribus, ita & corpus iis conſigna, deſiderans, ſatagensque ſemper pati in omnibus, in cibo, in veſtitu, in quiete, & in omnibus religionis exercitiis atque laboribus.

9. Tunc veraciter te monialem appellare poteris, ſi ad menſam accedens non haberes, quod manducares; ſi quietis indiga, non haberes lectum ad dormiendum, ſi veſtes mutaturæ paupertas religioſa nullas alias ſubminiſtrare poſſet. O quanta tunc tua deberet eſſe conſolatio! ſanè quod me concernit, omni, hanc mihi gratiam præſtanti me obligatam profiterer proprium dare ſanguinem; doleas te tantam non promereri gratiam. Si autem tales in te non experiris ſenſus ratio eſt, quia non penetras, quòd nihil poſſidenti, ſe totum donet Deus.

10. Deus ita honorat religioſos, ut ipſemet eorum pars eſſe velit.

Digitized by Google

11. Omni ad minus menſe diſcute, ſi nimio in rem quampiam feraris affectu, aut quidquam ſuperfluum poſſideas, quod ubi reperferis, amore Dei, te eodem prives; ſiq; neceſſarium foret, ipſum commutare ſatage.

12. Potius neceſſitatibus laborare, quàm abundare coneris, quia votum paupertatis nullatenus concordat cum ſuperfluitate.

13. In omnibus congregationibus ſolam procura neceſſitatem, ſemper gloriabunda in ſimplicitate & abjectione.

14. Quidquid religioſis in hac deficiet vita, ingenti cum uſura eis ſubminiſtrabitur in alia.

15. Te in exilio morari recorderis, ideoque hîc veluti in patria degere non affectes.

16. Tribulationes paupertatis religioſæ ama, imò ſuſpira & lachrymare, quòd tantam eas in te probandi non experiaris gratiam.

17. In difficultatibus, defectibus & neceſſitatibus paupertatis ſanctæ, læta eſto & exulta, quia in tempore momentaneo gloriam acquiris æternam, proque minima paſſione præmium obtines æternum, perpetuumque animæ tuæ ſplendorem.

„ 18. Quocunque laboraveris morbo, cave quippiam ſumere, „ quod paupertatem non ſapiat.

„ 19. Certæ quædam reculæ, omnia dona, & xenia ſunt parvi „ animarum religioſarum laquei, quibus ad infernum detrahuntur, „ & religioſam ad minus ſemper imminuunt gloriam.

„ 20. Paupertas religioſa parum cognita, & longè minus eſt „ obſervata.

„ 21. Paupertas religioſa non modò renunciationem, ſed totius „ ſubſtantiæ exigit conſignationem.

„ 22. Miſer & infelix, quiſquis in ſanctam religionem, principa- „ liter ubi ſimplicitas regnat & paupertas, introduxit proprietatem.

„ 23. Heu! certi quidam humani & terreni mercatus, qui „ quandoque in monaſteriis reperiuntur, religioſas animas mediis „ privant negotiandi cum JESU Chriſto, commerciumque tractan- „ di cœlorum & æternitatis; utinam & finaliter eas non privent vi- „ ſione divinâ.

„ 24. Officiales conventus neceſsitatibus ſororum cum cha- „ ritate & diligentia providere debent, ſolo ad neceſsitatem habito „ reſpectu.

CAPUT

Digitized by Google

Caput IX.

De Caſtitate.

1. TAnquam Deo conſecrata, de nullo alio quàm de ſolo Deo cogitare, eique ſoli placere cures.

2. Deo per votum ſolemne conſecrata cum ſis, nefas reputa, vel minimam in corde cogitationem, aut minimum in ore tuo admittere verbum, tuæ diſſonum profeſsioni.

3. Receſſum dilige à ſeculo, & viſitaitones exhorreſce extraneorum.

4. Si delectationes, virginibus in Paradiſo præparatas, mundani intelligerent, veluti cervi ſitibundi ad fontem, ad aſperrimas convolarent religiones, ut ſe intactos puroſque conſervarent.

„ 5. Caſtitas roſa eſt, in clauſis duntaxat hortis & inter ſpinas „ creſcens.

„ 6. Hæc animæ religioſæ eburneum in Paradiſo fabricat „ thronum.

„ 7. Crates & muri Monaſterij oſculandi ſunt, tanquam ſepes, „ candidi hujus lilij tutatrices.

„ 8. Puritas & caſtitas omnibus corporis ſpirituſque partibus „ dominari debent.

„ 9. Puritas in ſpiritualibus duntaxat reperitur animabus; „ Signum autem ſpiritualitatis eſt ſilentium, nec ſiniſtrum unquam „ de proximo audire ſermonem, ſed amare eum, ſicut ſeipſum.

„ 10. Tam pura eſt puritas, ut, ſi alteri rei commiſceretur, puri- „ tas eſſe deſineret.

„ 11. Ne fallere ſoror, quoniam ad puritatis templum, nonniſi „ per ſimplicitatis templum aditus patet; neque una harum virtu- „ tum acquiri poteſt ſine alia.

„ 12. Purarum animarum ſponſus ſponſas ſuas fideles in mediis „ ſuggeſtionibus inhoneſtis conſervat illæſas, quemadmodum olim „ tres in fornace ardenti conſervavit adoleſcentes.

„ 13. Quæcunq; minima imperfectio internæ nocet puritati.

„ 14. Divina puritas per internam & externam acquiritur mor- „ tificationem; per cordis cuſtodiam, corporis munditiem & humi- „ litatem.

„ 15. Quid ſponſam inter & ſponſum ejus Jesum agatur, ſoli „ cognoſcunt puri & mundi.

Digitized by Google

Caput X.

De tribus votis.

1. NOveris, trium votorum ligamen, eſſe ingens, quod Deus animæ, ad religionem vocatæ, præſtat beneficium.

2. Vota religioſa veluti rem divinam, & tanquam theſauros pretiumque Paradiſi revereare.

3. Si animæ tuæ penetrares dignitatem, quam mediâ ſtrictâ trium votorum unione cum Deo obtinuit, veluti inops faceres paſtorcula, quæ magno cuidam deſponſata regi, ad prioris ſtatus ſui indignaretur memoriam; ita & tu Regi deſponſata cœlorum, cogitationes rerum mundialium in cor tuum admittere ſancta cum ſuperbia recuſares.

4. Vota religioſa, veluti ligamina dilige unionis animæ cum Deo, tanquam vias cælorum, & tanquam media, quibus magnum Deo honorem gloriamque afferre potes.

5. Verâ, perfectâque trium votorum obſervantiâ ſanctiſſimam ſingulariter honorabis Trinitatem; Patrem mediante voti obedientiæ obſervantiâ, filij namque patribus obedientes, maximè illos honorant. Verbum laudabis imitatione paupertatis, quam ipſum adeo dilexit, ut pauperrimum, non haberet, ubi caput reclinaret in cruce. Spiritum Sanctum obſervantiâ glorificabis puritatis & caſtitatis, ipſe enim ſpiritus eſt puriſſimus, ſe oblectans, ſibique complacens in animabus caſtis & puris.

6. Magno cum affectu, ſæpe tuo te conſecra ſponſo, ſingulariter autem in dedicatis ei diebus.

Caput XI.

De operibus ſpiritualibus & cultu divino.

1. OPera noſtra bona ex ſemetipſis veluti plumbum ſunt; unita verò operibus Jesu, perfectiſſimum evadunt aurum.

2. In operibus ſpiritualibus humilis, fervens, Deique voluntati conformis eſto, non propriam in iis reputationem aut ſatisfactionem, ſed puram ſolius Dei quærens gloriam.

3. Opera cultus divini, tanquam ipſiuſmet opera Dei, cum omni poſſibili peragé affectu.

" 4. Re-

Digitized by Google

„ 4. Reſpectus humanus inſtar lupi famelici, leoniſq; rugien-
„ tis,majorem bonorum operum partem devorat & deglutit.

„ 5. Gratiſſimum coram S.D.M. oculis ſacrificium, eſt illud
„ bonæ voluntatis, ſiquidem opera noſtra tantò magis ſunt merito-
„ ria, quantò amplius voluntaria: offeras te itaque Patri æterno in
„ filiam,in ſponſam Filio, in diſcipulam Spiritui Sancto.

„ 6. Felices animæ iſtæ, quæ continuò habitant, dimorantur
„ & omnia ſua fabricant opera in aperto JESU Chriſti latere.

„ 7. Tota noſtra vis, habilitas atque induſtria à ſanguine pro-
„ manat Jeſu Chriſti, qui veterem Adam in novum commutat ho-
„ minem.

„ 8. Non eundum, ſed currendum, non currendum, ſed vo-
„ landum eſt ad perfectionem.

„ 9. Fervor & flamma,quæ omnia noſtra inceſſanter accende-
„ re debet ſpiritualia exercitia, in eo conſiſtit,ne illa unquam ex con-
„ ſuetudine,naturæve dictamine obeamus.

„ 10. Sapientibus mundi hujus, qui pecuniam ſuam in abſcon-
„ dito aſſervant, aſſimilari debet Jeſu Chriſti Sponſa, theſauros bo-
„ norum operum in ſuo conglomerans corde, hominibus abſcondi-
„ tos, ſolique cognitos Deo; hicque omnium in cælis theſaurizandi
„ ſecuriſſimus eſt modus.

Vid. latius infra cap.19. de operibus exterioribus.

CAPUT XII.

De officio divino.

1. Singulariter incumbe debitæ officij divini recitationi, te aſſue-faciens, ut choro cum reverentia & devotione aſſiſtas; hæc enim una principaliorum tuarum eſt obligationum; in eoque actu divina majeſtas particulariter recognoſcitur, honoratur & adoratur.

2. Tanta eſt Deum laudandi in choro exercitij dignitas, ut ipſimet beati ſpiritus, adeo puri, ipſum vix cum timore & tremore audeant peragere; quantò igitur majori cum reverentia nos divino in conſpectu ſtemus oportet, creaturæ longè indigniſſimæ, quæ in divina compareant præſentia.

3 Te indignam reputa, magnæque gratiæ loco habe, quòd tu vilis vermiculus, cum tot electis Dei ſponſis, angelicisque ſpiritibus ad divinas laudes admittaris.

Digitized by Google

4. Officium divinum in puræ illius, quam in beata patria ſpiritus angelici Deo tribuunt, laudis offer unione; quantumvis enim laus noſtra ad iſtius puritatem pertingere non valeat, id tamen deſiderare minimè vetitum eſt.

5. Cum modeſtia & reverentia angelica, divinis aſſiſte laudibus, hoc enim Angelorum eſt munus.

6. Cogita, te Deum laudare cum Angelis, te in ſanctiſſimæ ſtare Trinitatis præſentia, te eo indignam loco, præque reverentia te in terram proſternere debere ad ſingula verba.

7. Ad *Gloria Patri* inclinans, te ſanctiſſimæ Trinitati offer cum martyrij deſiderio.

8. Exercitiorum ſpiritualium gratiſſimum Deo, maximèque divinæ particeps gratiæ, eſt laudare Deum ſimul & unitim; aſt parum hæc penetratur veritas.

9. In comparatione ad divinorum in choro officiorum celebrationem, quæcunque meditatio & oratio particularis, apud Deum exilis eſt meriti.

„ 10. Modo quodam ſingulari Deus choro aſſiſtit & pſallenti-
„ bus, ideoque ipſorummet nobis Angelorum neceſſaria foret puri-
„ tas, ut debitis eum laudibus proſequeremur.

CAPUT XIII.

De Oratione.

1. ORatio, eſt brevis ad perfectionem via, quia animam Deus inſtruit in oratione, hàcque mediante, à creatis divulſa rebus, Deo unitur anima.

2. Orationi vaca, quia illius cum Deo commercium, animam reddit de ſolo ſollicitam Deo.

3. Potius coram ſanctiſſimo Sacramento, quàm quocunque alio in loco orare elige, ibi enim realis, quemadmodum in cælis, Dei eſt præſentia.

4. Ad orationem ſitibunda anhela, eique, ut cum Deo converſeris, tempus deſtinare ſatage; raræ namque virtutis eſt, laborando, ſemper orare.

5. Cum humilitate ad Deum accede, cum tuiipſius diffidentia, & magna in Deum fiducia, cognoſcens te vilem, abjectam, ipſumque nihilum.

6. In

Digitized by Google

6. In oratione humilis, fervens, reſignata & perſeverans eſto.

7. Cogita, humiles puroſque corde libenter audiri à Deo, & nos juxta noſtram exaudiri fidem.

8. Magna cum reverentia ora, memor, te ante divinam ſtare Majeſtatem, ante quam cælorum contremiſcunt columnæ.

9. Sola oratio vocalis nequit Deo unire animam, eique particulare, pro virtutum acquiſitione, infundere lumen.

10. Paſſionis Jesu meditatio nutrit inebriatque animam divino amore; quem ut effectum conſequamur, ad Jeſum accedere, meditarique debemus cum cordis puritate, à nobismetipſis vacui, & omni proprio absque amore; vinum enim non nutrit aut inebriat, ſi purum non fuerit, aut multæ permixtum aquæ.

11. Major in affectus, quàm intellectus exercitio requiritur reverentia; intellectus enim duntaxat contemplatur & cognoſcit Deum, affectus autem ei loquitur.

12. Ne tuum firmaveris deſiderium, tuumque in ſolatiis & delitiis ſpiritualibus poſueris finem; neque magni dulcedines & ſuavitates æſtima extraordinarias.

13. Eos ſolùm æſtima ſenſus atque ſolatia, quæ te ad laborem & voluntarias, pro ſponſi tui amore ſubeundas, animant paſſiones; deſiderium honorandi Deum, juxtaque voluntatem ejus jugiter operandi, præ omnibus conſolationibus & affectibus tibi placere deſiderarem.

14. Dum anima Deo naſcitur, lac ab illo recipit conſolationis; poſtea autem ſuavem hunc cibum relinquere debet, ejusque loco ſanguinem reddere, id eſt, veracis virtutis veræque exemplum paſſionis propter Dei amorem.

15. Sæpe magna cum inſtantia pete à Domino, ut tibi dulcedinem ſui ſuavis jugi deguſtandam præbeat; quia enim illius ſuavitas non percipitur, ideo tantus religionem deformat tepor.

16. Quotidie poſtula à Deo, ut omnia tam interna quàm externa opera tua, in quibus puram ejus gloriam non quæris, tibi diſpicentiam, humiliationem, confuſionemque afferant.

17. Sæpe poſtula à Domino, ut te capacem reddat, quæ intelligas, quanta ſit dignitas, pati amore ejus.

18. Oratione conſtringe Jeſum, ut huic loco ſemper paſtorem concedat, qui divinum zelet honorem.

19. Fre-

Digitized by Google

19. Frequenter S. Matrem Eccleſiam, ſummumque Paſtorem Deo recommenda.

20. Particularis eſt fructus orationis, robur inde viresq; eruere, ad quamlibet ſufferendam mortificationem.

21. Ab oratione ſurgens, prompta ſis oportet ac præparata ad quamcunque, tam injurioſam quàm rationabilem, excipiendam repræhenſionem, eâ animi in Deo ſtabilitate ac firmitate, ut nihil penitus animæ tuæ perturbare poſſit quietem.

„ 22. Oratio, Religionis eſt ſpiritus; nihilominus nullam un-
„ quam prætendere debet exemptionem; omnes enim obedientiæ
„ & Religionis functiones, in Dei præſentia factæ, ſunt ejusdem cum
„ oratione valoris.

„ 23. Mortificatio, orationis eſt fructus.

„ 24. Magnam nobis Deus gratiam præſtat, dum noſtras non
„ exaudit preces.

„ 25. Omnes preces noſtræ conditionatæ ſint oportet, peten-
„ do duntaxat à Deo amabilisſimam ejus voluntatem.

„ 26. Pax interior, effectus eſt orationis mentalis, unionisque
„ cum Deo remuneratio.

Caput XIV.

De examine conſcientiæ & confeſſione.

1. COgnitionem ſuæ vilitatis & divinæ puritatis, non modò conſideratio generat eſſentiæ divinæ, ſed & exactum ſuiipſius examen.

2. Trinum indies diligenter inſtitue conſcientiæ examen, non modò in ordine ad confeſſionem exactam, ſed etiam ut defectus tuos exſtirpes & imperfectiones.

3. Ut tua Deo grata ſit confeſſio, verbis in ea utere confuſibilibus, memor, te per eam in Jesu ſanguine lavari.

4. Conſideratè & reverenter ad Confesſionis accede Sacramentum; abis enim incarnati receptura ſanguinem Verbi: tantam verò anima, dum mediâ abſolutione ſanguinem illum recipit, dignitatem conſequitur & pulchritudinem, ut in eo, quaſi pretioſâ induatur condecoreturque veſte, adeo radians, ut, ſi animæ tuæ, hoc ſanguine veſtitæ, ſplendorem intueri poſſes, certo quodam modo eam adorares.

„ 5. Con-

Digitized by Google

„ 5. Confeſſio tua ſit frequens, exacta, diligens, humilis &
„ plena confuſione.

Caput XV.

De ſanctiſſima Communione.

1. Communicatura, te cogita digniſſimæ omnium vacaturam actioni, qualis eſt ipſiusmet magni Dei in te receptio.

2. Cave ex conſuetudine unquam vel caſu communicare, ſed ſemper cum actuali devotione.

3. Si, quousque ſacræ durant in te ſpecies ſacramentales, totam SS. Trinitatem in te dimorari penetrares, nunquam caſu ad communionem accederes aut communionem penitus negligeres, ne tanto te privares bono.

4. Attende, ne deſiderij aut diſpoſitionis tuæ exiguitas illam cæli occludat feneſtellam.

5. Medium perficiendæ animæ efficaciſſimum, eſt acceſſus ad hanc divinam menſam, quâ ſi bene frui noſſes, intra breve tempus amore replereris divino; quia vel una ſola communio animam ſanctificare apta eſt.

6. Nunquam ultrò te communione prives, neſcis enim, an Deus iſtâ forſitan vice ſpecialem aliquam gratiam donumve tibi impertire diſpoſuerit.

7. Injuria fit ingens amori, quo JESUS ſeipſum reliquit nobis, dum communio ſponte omittitur.

8. Nocte & mane evigilans, te eo die communicaturam cogita.

9. Fac, ut una communio ſit alterius præparatio; id eſt, poſtquam Deum in te recepiſti, continuam tui cuſtodiam gere, usque dum iterum eundem excipiendi, affulgeat tempus.

10. Bene, cum pura, rectaque Deo placendi intentione omnes Religionis actiones obiiſſe, ſe ad communionem præparaſſe eſt.

11. Omnes Religionis functiones & exercitia, præſertim autem & ſæpe ſanguinem JESU, Deo offer in præparationem.

12. Si communicatura, quid ſenſeris in corde tuo adversùm ſororum aliquam, internam erga ſorores omnes excitare ſatage dulcedinem, quam ſi non experireris, eam inſtanter à JESU poſtula. Si

Digitized by Google

romptam in te ſenſeris voluntatem, vitæ ſanguiniſque pro-
di pro ſorore illa, ſi ita Deo foret voluntas; liberè ad commu-
procede.

. Deum charitatem eſſe, & ex amore, per hunc amoris ci-
animabus communicari, velle recorderis.

. Ad communionem cum humilitatis & vilitatis tuæ ſenſu
& paſſionem Jesu; In hujus nam-
ns, ad ſanguinem recurre ad divinam hanc menſam appropin-
guinis defectu, ego ſanè
non auderem.

Conſidera, qualiter, quæ viva in inferni abyſſum deſcen-
na, tantam nihilominus ex Jesu bonitate, ab eo conſequa-
ericordiam, ut ſe ipſi cibi donet in ſanctiſſimo ſacra-
mento.

6. Filia mea, magnus nimis eſt favor, quòd creaturæ viles
m ferabiles, quales nos ſumus, Deum valeant in ſe recipere;
nta cordis noſtri neceſſaria foret puritas, ipſum puritatis fon-
cepturi?

7. Deus ſe ipſum ex amore nobis reliquit, ideoque ut & nos
magno amoris & gratitudinis affectu excipiamus, requirit.

8. Ante communionem per aliquod temporis ſpatium me-
& penetrare ſatage actualiter hunc ipſum, quem recipis,
rtuum eſſe; exilis namque qui ex divino hoc cibo ſæpe prove-
ctus, ex parva naſcitur conſideratione, dum rem adeo excel-
m, qualis eſt Deum recipere, minimè penetramus.

19. Cibum hunc ſume, ut Jesus ait, in memoriam paſſio-
us.

20. Poſtquam magnum in te Deum receperis, te totam in ipſo
ere ſatage, tibi tunc imaginans, nihil in mundo reperiri, præter
ſolum Deum.

21. Optimus & pretioſiſſimus theſaurus eſt communio;
ipſum cognoſcas, Jesuque deſtinatum ad purificandam, illu-
dam & ſanctificandam animam.

2. Opportuniſſimum cum Deo loquendi, dulcem ejus vocem
di & ſervitiis ipſius addiſcendi tempus eſt illud, quo divinum
te habes hoſpitem; ideoque diligentius ejus attende voci, qui
giſtrum habet Jesum, aliis non indiget libris aut dogma-

23. Tem-

Digitized by Google

23. Tempore illo exercitiis vaca amicabilium affectuum, laudis, gratiarumque actionis, te divino totam reſigna beneplacito, te ad quamcunque offer pro Dei gloria ſufferendam tribulationem, intenſèque deſidera medio hoc ſanctiſſimo ſacramento, SS. glorificare Trinitatem & totum adjuvare mundum.

24. Diem Communionis tuæ, continuâ cordis tui ſanctifica cuſtodiâ, neque turberis in ullo, ne Deus tuam deſerat animam; ſæpiusque cogita, te die illo recepiſſe Deum.

25. Sæpe communicans, tantam ex hoc cibo haurire deberet virtutem, ut cuilibet ſufferendæ eſſet adverſitati; tuque obſtupeſce, & confundere de tam exili virtute tua, quam minimum ſternit faſtidium, quid ſi premereris majori? humilia te ad minus, hoc enim tanquam diſpoſitio tibi ſerviet ad virtutis illius acquiſitionem.

26. Frequenter communicans anima, tam indifferens, tamque divinum in beneplacitum & voluntatem, ac obedientiam reſignata eſſe deberet, ut à nullo cognoſci aut ſciri poſſet, quid ſibi placeat aut diſpliceat.

27. Continuò Dominum ora, ut talem nobis ſemper det patrem, qui nos, quantum fieri poteſt, ad cæleſtem dignè admittat menſam, ſatagatque hanc ſemper apertam conſervare cæli feneſtellam.

28. Cibi hujus famem à Deo pete pro omnibus fidelium animabus.

„ 29. Te, omnes creaturas, Jeſumque Chriſtum æterno perpe-
„ tim Patri offer; hæc eſt excellens ad communionem præparatio.

„ 30. Sæpe abi ad ſalutandum & reverendum SS. Sacramen-
„ tum Altaris.

„ 31. Potius mori, quàm ſemel communionem omittere vel-
„ lem, niſi obedientia vetaret.

„ 32. Eucharistia eſt arx & propugnaculum noſtrum.

CAPUT XVI.

De charitate & dilectione fraterna.

1. OMnes tuas ama ſorores, hoc enim præceptum JESU eſt; tantumque hujuſmodi in te valeat dilectio & amor, ut iis

 obvia,

Digitized by Google

obvia, ita ſemper jubiles præ lætitia, ac ſi nunquam eas vidiſſes amplius.

2. Recordare ſæpius, ſponſum tuum in terris exiſtentem dixiſſe: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem &c.* In eoque ſuos cognoſcendos diſcipulos, ſcilicet ex amore mutuo.

3. Dilige ſorores tuas, ac ſi iiſdem tecum parentibus natæ, de eademque tecum domo eſſent.

4. Charitatem pluris, quàm teipſam æſtima.

5. Mundum univerſum in vinculo amplectere amoris, omnes ſemper amans creaturas ex charitate pura, id eſt, abſque omni adhærentia aut affectu inordinato; ſed duntaxat quia Deus illas amat, ipſasque vult à te amari.

6. Creaturæ, mutuam ad invicem non habentes dilectionem, nullam, judicio meo, poſſident cognitionem Dei.

7. Amor proximi, compaſſionem exigit, ſed ſapientem, id eſt, non nimiam; dum enim Deum offendi advertis, certam, quæ non ſecundum charitatem eſt, debes proſcribere compasſionem, veritatemque candidè & ſincerè pronunciare.

8. Sororum tuarum compatere defectibus, eos excuſa, ipſarumque afflictiones & preſſuras, veluti proprias, auſculta.

9. Compatere JEſu ſponſo tuo, omnibusque pasſionem ejus participantibus; ipſe in cælo degit impasſibilis, ideoque illius compatere membris; hoc enim ſibi factum reputabit.

10. Lætare de ſororum tuarum perfectione.

11. Jubila de Dei erga creaturas amore, deque perfectione, quam Deus iis communicat.

12. Si unum tibi, tres ſororibus tuis opta gratiæ gradus, has enim longè majoris meriti, aptioresque judicare debes, quæ majorem ferant fructum, magisque Deum glorificent, quàm tu; atque ita animam tuam ab omni proprio purificabis amore, teque magis iiſdem recipiendis gratiis reddes idoneam.

13. Tantam in te requiro charitatem, ut magis de divinis ſororum tuarum, quàm de tuis gaudeas beneficiis & gratiis, magisque optes, ſorores tuas quàm te amari à Deo; non te deſideres amari, imò ora Deum, ut cognoſcas, quoniam divinis beneficiis longè gratiores ſunt, magisque correſpondent ſorores tuæ, quàm tu.

14. Si ipſemet Deus alicui proximo tuo concedere vellet, ut

tibi

tibi injuriaretur, omnem nihilominus huic opta Seraphinorum gloriam, licet eam in tuam eſſet impenſurus offenſam.

15. Procul omnis à te ſit indignatio & murmur.

16. Senti & loquere de proximo tuo, ſicuti alios de te ſentire velles ac loqui.

17. Rariſſimè de proximo loquere, vix enim ſermo eſt de proximo, quin non intercurrat *Sed*; & ſicuti vitrum tactum faciliter rumpitur, ita & proximus, ore agitatus, faciliter offenditur.

18. Nil de abſente dixeris proximo, quod eo præſente dicere nolles.

19. Eum, qui nunquam in vita ſua malè de proximo ſuo locutus fuiſſet, ego vivum canonizandum putarem.

20. De proximo tuo, ſicuti de ipſomet Deo (ut ita dicam) & de Beatis loqui debes.

21. Loquens aut agens de aliqua ſororum tuarum, his velim munita ſis conſiderationibus; quòd ſcilicet ſoror tua ſit Verbi ſponſa, templum Spiritus Sancti, ſoror Angelorum; ac proinde loquaris tractesque de & cum illa, cum omni reverentia, quæ talem decet perſonam.

22. Eſto communicativa; niſi enim divinæ in te per communicationem ad extra fructificaverint gratiæ, ipſæ forſitan hoc præſtabunt.

23. Indeficiente & intrinſeco omnes ſorores tuas proſequere amore, prima omnium cunctas earum ſublevans neceſſitates, imò humiliter eas obſecrans, ut, ſi quâ indigeant ope, tibi indicent.

24. Si quando ſororum tuarum ſublevare poſſis laborem, ne omiſeris.

25. Satius eſt, ut altera alterius portet onus, quàm quælibet proprium; in hoc enim amor eſt proprius, in eo charitas.

26. In proximi ſervitiis ne corporis tui habeas rationem; corpus enim ut aſinus pondus portare debet diei & æſtus, abſque quiete ulla.

27. Perditum puta diem, in quo nullum charitatis exercuiſti actum.

28. In charitatis officiis hilaris eſto & prompta, cogitans te obſequium præſtare Deo in membris ſuis; ſibi enim ille factum reputat, quod amore ejus in creaturas conferimus. Ipſe tuus eſt pater, ac

Digitized by Google

proinde eum amare debes ; ille tuus eſt ſponſus, ſponſa autem ſuo debet obſequium præſtare ſponſo ; quod quia ipſi immediatè exhibere nequis, tibi reliquit proximum, ſuo fovendum loco ; hoc igitur cum magno præſta affectu, rata te ipſimet ſervire Deo.

29. Licet per charitatis exercitia, ſæpe obſequium præſtes corporibus, ſemper nihilominus ad animas attende, in iiſque imaginem reverere ac ſimilitudinem Dei.

30. Serviens ſororibus tuis, has ſimileſque fove cogitationes ; eas ſcilicet filias eſſe æterni patris, ſponſas Verbi, templum Spiritus Sancti, ſeu ſorores Angelorum ; aut verò amorem perpende, quo eas amavit Deus ; talibuſque cum conſiderationibus officia charitatis incipe & magno proſequere affectu.

31. Indignam te reputa, & gratiam magnam, ſervire poſſe animabus, quæ S. Spiritus ſunt Sacrarium.

32. Ne ulla unquam ſoror tuo patiatur amore, ſed tu pati elige amore omnium.

33. Quodvis pro ſororibus tuis geſti ſubire onus, principaliter autem ſi ita quies & conſolatio vel unius exigeret animæ ; quia cor turbidum veram nequit Deo præſtare quietem, tu autem nihil aliud deſiderare debes, quàm ut ſuas Deo des creaturas.

34. Offendenti aut injurianti tibi, te maximè obligatam crede ; eique, ubi poteris, gratitudinis & amoris obſequia repende pro injuria.

» 35. Omnia in charitate & per charitatem facienda ſunt.

» 36. Tot quotidie ad ſalutem petendæ ſunt animæ, quot paſ-
» ſus inſtituimus.

» 37. Anima charitate veſtita, omnipotens eſt.

» 38. Proximus ex ea parte, quâ Dei imaginem portat, conſide-
» rari debet ; ita ut ſi aliquam in eo imperfectionem adverteris, tibi
» perſuadeas non ideo ſibi Dominum diſplicere in eo, propter ali-
» quam ſcilicet perfectionem internam, nobis incognitam.

» 39. Nihil unquam negaveris petenti, quod dare poteris.

» 40. Heu quot animæ damnantur, quia ſanguinem JESU pro
» iis non offerimus.

» 41. Ipſas purgatorii pœnas pro animarum ſalute nobis deſi-
» derare deberemus.

» 42. Virtus Spiritum religioſum ita perficit in bono, ut nihil
» unquam in proximo ſuo reperiat corrigibile.

CAPUT

Digitized by Google

Caput XVII.

De Converſatione.

1. IN converſatione hilaris, manſueta, humilis, patiens, prudens & taciturna eſto.

2. Sorores omnes, Angelos eſſe cogita terreſtres, imagine inſignitas Sponſi tui.

3. Si quam videris ſororem vilem & imperfectam, dono eam cogita excellere interiori, ob quod Dominus ſibi in ea complaceat.

4. Cum ſororibus degens, in totidem te reputa morari choro Angelorum, qui in virginitate figurantur.

5. Sororem obviam verbis ſaluta, ad ſponſi tui amorem excitantibus.

6. Affectus tui, veluti totidem, matribus & ſororibus tuis deſerviant ſpecula; animæ tuæ potentiæ ſint ſpecula angelis, puritatis atque elevationis in Deum, ita ut illi ipſummet, ad te majori cum complacentia intuendum, provocent Deum.

7. Occupatio tua Deus ſit, operatio tua in Deo, omnes potentiæ tuæ ſint occupatæ in Deo; atque ita in converſatione, naturarum diverſitas nullum tibi pariet faſtidium; adeo namque in Deo occupata eris, ut ad nihil aliud attendas.

8. Quæ te ſcire neceſſum non eſt aut inutilia, intelligere non procures, ſed ſurda eſto ad omnia, quæ Dei non promovent gloriam.

9. Si quando in officina ex humana fragilitate de rebus ageretur non divinis, diſcurſum rumpere ſatage.

10. Sanctâ quâdam cum ruſticitate, cum omnibus ſororibus taliter receſſum cole, ut nulla quidquam tibi novi deferre, aut coram te murmurare poſſe præſumat.

11. Cum iis, quæ minus æſtimatæ ſunt, converſari gaude, easque ſemper ſuſpectas habe creaturas, quas ſuſpiciunt & amant omnes. Ego ſanè ſi ab ulla creatura me offenſam dicere vellem, à certis quibusdam ſpiritibus me læſam dicerem, qui ſe perfectos ſapientesque oſtentant.

12. Virtutes ſororum imitari, defectibusque earum oculos claudere cura.

13. Tam

13. Tam bonam gere mentem, ut ex omnibus viſis, etiam malis, bonum eruas.

„ 14. Exemplum bonum maximos Deo affert honores.

Vid. cap. ſeq. 18. de ſilentio, & ſup. 16. De charitate.

Caput XVIII.

De Verbis & Silentio.

1. IN verbis gravis, humilis, modeſta, &, dum neceſſitas exegerit, læta eſto, ſemper illam Jesu ſponſi tui recolens proteſtationem: *De omni verbo otioſo &c.* neque immemor iſtius, quod ſcriptum eſt: *Sermo Virginis, tanquam ſermo Dei, rarus & prudens.*

2. Nunquam de rebus mundanis, aut propriis etiam loquere amicis.

3. Omnibus in verbis ſemper recta & verax eſto, omni abſque ſimulatione, virtutem nominando virtutem, & vitium dicendo vitium.

4. In verbis tuis cauta eſto, nunquam de te, nec in bonam, nec in malam loquens partem.

5. Locutura, has tres habe conſiderationes; ſcilicet an pura te moveat Dei gloria, an utilitas exigat & pax proximi tui, an neceſſitas urgeat.

6. Verba oderis otioſa, qualia ſunt omnia iſta, quæ nec ad Dei gloriam, nec ad ſalutem, utilitatemve propriam aut proximi conducunt; fieri tamen poteſt, ut verbum aliquod ad Dei laudem gloriamque cedat, & non ad proximi commodum.

7. In ſilentij obſervantia ſtrictiſſima eſto, quod enim extra tempus illud, ſine neceſſitate profertur verbum, vix ſine peccato eſt.

8. Niſi dulcedinem perceperis ſilentii, nunquam res guſtare poteris divinas; imò inquieta ſemper & afflicta vives, ſiquidem non refrænata lingua, eſt multorum cauſa malorum, quæ plurimam generant inquietudinem.

„ 9. Religioſa humiliter, modeſtè, raró, & non niſi
„ ex neceſſitate loquatur; ſtrictiſſimam enim de verbis inutilibus
„ & otioſis rationem reddemus.

„ 10. Verba oris religioſi, vera, manſueta & juſta eſſe debent.

„ 11. Qui cum margarita rorem vult recipere cæleſtem, labra omnibus occludat rebus terrenis.

„ 12. Verba

„ 12. Verba religioſi, magnetes eſſe debent cordium, & regu-
„ læ virtutum ad ædificandum.

„ 13. Converſatio tua ſit ſuavis, hilaris, humilis, patiens, pru-
„ dens, à ſilentio cuſtodita.

„ 14. Religioſa ſe ſororum conſortio indignam æſtimet, quæq;
„ terram oſculetur, pedibus earum conculcatam.

„ 15. Si noſtræ applicaremus obligationi, nunquam ſuſurratio-
„ nibus aut otioſis attenderemus verbis.

„ 16. Nunquam diſcooperiendi ſunt defectus alieni.

„ 17. Cum ſuperioribus humiliter, cum æqualibus modeſtè,
„ cum inferioribus ſuaviter, cum omnibus agendum eſt graviter ac
„ gratioſè.

„ 18. Sæculares cum prudentia ſerpentina, religioſas cum ſim-
„ plicitate frequentes columbina.

CAPUT XIX.

De Operibus.

1. IN operibus externis, in ſuperioris nutum reſignata eſto, nullâ corporis aut laboris tui habitâ ratione.

2. Externa, quaſi aliena per modum tranſitus, ſine affectu, & quaſi ad te non pertinentia, tractes, ſatagens ſemper in omnibus gloriam dare Deo.

3. Si quando opus externum valde bene feciſti, ne cures alio tempore hoc ipſum optimè facere; niſi enim fueris bene fundata in humilitate, ſimplicitatem perdes & intentionis puritatem.

4. Soror, ſcalam nunquam vacuis aſcendas manibus; dico, ut minimam etiam actionem & greſſum eâ facias conſideratione & intentione, ac modo, ut poſt ejus terminationem ſemper quid meriti invenias in manibus tuis.

5. Non turbêris, ſi quando in opere exteriori cogitare nequeas de Deo; ſed intentionem habe faciendi illud in honorem Dei, & ipſe illud æquè ſibi gratum acceptabit.

6. Omnia in humilitate operare, memor, quoniam puri illi Dei oculi, vicini ſunt cordi tuo.

7. Rectam potius puramque in operibus tuis, ea in operum JESU unione offerendo, cura intentionem, quàm conſiderationes multas; poteſt enim creatura aliqua contemplationem habere

Oo cæleſtem,

cæleſtem, & tamen in intentionis deficere puritate ac rectitudine; & econtra alia multis inutilibus implicari cogitationibus, & tamen candidè ſincerèque operari amore Dei, offerendo omnia in unione operum JESU; inq; priori caſu poteſt eſſe defectus, non in ſecundo.

8. Negligens religioſus onus eſt Religionis, quia portari debet à Religione.

9. Cave caſualiter operari, quia caſualibus Deus non paſcitur actionibus.

10. Operari ſatage, quaſi hæc ultima eſſet hora vitæ tuæ.

11. Gaude, ſponſum tuum juſtum eſſe retributorem, magnumque pro omnibus amore ejus factis vel toleratis, etiam minimis, daturum præmium.

„ 12. Quodlibet opus tuum, ipſiſſimum eſſe cogites deciſivum: „ aut æternitatis bonorum, aut æternitatis malorum.

„ 13. Ædificij conſervatio à fundamentorum dependet ſtabi- „ litate, ſimiliter nec anima perſeverare poteſt, niſi omnes virtutes „ ſuas ſuper ſtabilitatem & veritatem ſtabiliat Dei. Sine his duo- „ bus fundamentis ſatius foret deſerere omnia, & nullam practicare „ virtutem, neque ullam aggredi vitam ſpiritualem.

„ 14. In exterioribus operibus tuis, non pluris corpus tuum fa- „ cito, quàm ſcopam aut quæcunque culinæ ſcruta.

„ 15. In omni tam interiori, quàm exteriori opere, vivis amica- „ bilibusque oculis ad Deum converſa, gratiarum ejus implora ſub- „ ſidium, ſupplicans, ut ipſe id, quod tibi impoſitum fuerit, pro te „ cogitare, operari & loqui dignetur.

„ 16. Opera exteriora promptè & induſtriè, ſine vitæ interioris „ præjudicio obeas.

„ 17. Quisquis virtutes practicat, exemplum JESU Chriſti „ practicare debet.

„ 18. O animæ devotæ, quotquot brevi ſpatio magnum in vir- „ tutibus progreſſum affectatis, magiſtrum vobis eligite, JESUM „ Chriſtum in cruce & Eucharistia.

CAPUT XX.

De Religionis officiis.

1. IN iis humilis, prudens, gravis, diligens, affabilis, charitativa; & tuis per omnia conformis eſto ſuperioribus & majoribus.

2. In

Digitized by Google

2. In quocunque Religionis munere, ſingularum provide neceſſitatibus, ſine alio reſpectu aut conſideratione.

3. Ne nimium te ac totam tuo implices muneri; non dico, ut ipſum negligas aut oſcitanter obeas; ſed ita illud cogites ac tractes, ne ejus ſollicitudo te totam poſſideat.

4. Omnia officia cum illa ſemper obi humilitate, ac cum novitia eras.

5. Cuicunque acquieſce officio; ita ut, ſi tibi diceretur: Soror, munus tuum erit, parietes monaſterij reſpicere; hanc obedientiam cum quiete & hilaritate expleas.

6. In electionibus (præſertim autem Prælatæ) ſemper aptiores præfer, multisq; præmiſſis orationibus, votum tuum da, juxta quod tibi Deus inſpiraverit, nullo humano, ſed ſolius Dei, bonique religionis habito reſpectu. Ut autem ſecurior procedas, conſilio ſententiæque earum inſiſte, quas vero lumine & religionis zelo cognoveris eſſe præditas.

Caput XXI.

De horrore culpæ.

1. NIhil animam magis gravat deprimitque quàm peccatum; ideoque cor tuum non modò à peccatis, ſed à minima etiam quàm diligentiſſimè præſerva imperfectione, alasque tibi procura odij contra te, & amoris erga Deum.

2. Anima in culpa perſeverans, nunquam Deo uniri poteſt.

3. Sciſne ſoror, quid ſit culpa? omne opus, in quo ſibi non complacet Deus.

4. Culpam ſi à te proſcripſeris, Deum in anima tua ſine alio exercitio, centrum ſuum deſignaturum experieris.

„ 5. Heu mihi! vel ad ſolum peccati nomen exſpirare debe-
„remus.

„ 6. Neſcio, qualiter creatura rationalis Deum offendere poſ-
„ſit deliberatè.

„ 7. Efficaciſſimum & breviſſimum, Dei in animam attrahen-
„di, & à quacunque imperfectione infinitè diſtandi exercitium, eſt
„vel ipſam fugere peccati umbram.

„ 8. Condole Deo propter offenſas, contra eum admiſſas.

„ 9. Quidquid Deo diſplicet, culpa eſt & peccatum.

Digitized by Google

„ 10. Vel minima imperfectio, quocunque etiam delicatior
„ capillo, intimam cum Deo unionem impedit notabiliter.

„ 11. Anima binis internis pollere debet oculis; primo, ut defe-
„ ctuum ſuorum enormitatem; ſecundo, ut continuam videat Dei
„ erga ſe beneficentiam; quàmque exilem ipſa inde hauriat fru-
„ ctum, & quàm ingentem alij inde capturi eſſent utilitatem.

„ 12. Oculi animæ religioſæ, non niſi JEſum Chriſtum, qui
„ pulchritudinum pulchritudo eſt, intueri debent; manusque ejus
„ maledictæ, profanis implicatæ laboribus.

„ 13. Enorme ſcelus eſt contemptus indulgentiarum, quæ ſan-
„ guinis Chriſti JEsu pretium & theſaurorum Eccleſiæ ſunt gazo-
„ phylacium.

„ 14. Ut proximo gratificarer, quâcunque libenter me priva-
„ rem gratiâ, præterquam Deum nunquam offendendi voluntate.

Caput XXII.

De timore lapſus, de memoria mortis & judicij.

1. QUemcunque ſemper exhorreſce caſum, propter quem Deus & creaturæ te eſſent derelicturæ, & omni privaturæ bono.

2. Mortem, tibi imminentem & incertam eſſe cogita.

3. Non modò de operibus malis, quæ feciſti, ſed etiam de bonis, quæ poteras feciſſe, & neglexiſti, te Deo rationem reddituram recorderis.

Caput XXIII.

De Cauſis teporis, & auferendis obſtaculis, quæ perfectionem impediunt & unionem cum Deo.

1. CAuſamne ſoror noſti teporis tui? quia caſu vivis, nec propriæ ſalutis & perfectionis zelum habes.

2. Anima, perfici deſiderans, obſtacula præcipuè & perfectionis cognoſcat impedimenta; hujusmodi autem ſingulariter ſunt tria, ſcilicet amor creaturarum (& longè magis ſuiipſius) ſimulatio, dum alia in corde & alia verſantur in ore; ac tandem inobedientia in Deum & ſuperiores.

3. A teipſa, & omni amore, ac commodo proprio procul elongêris.

4. Certa eſto, quòd, quantò magis tibi adhæres, tantò magis
Deum

Deum à te proſcribas; non enim puritas tanta vel minimum amoris proprij ſupportat in anima; è contra quò remotius receſſeris à te, eò vicinius accedes ad Deum.

Caput XXIV.

De Cordis custodia.

1. SI cor tuum bene cuſtodieris, rarius in defectus incides ac imperfectiones, magnumque in Dei ſervitio facies progreſſum.

2. In omni paſſu & momento noveris, ubi cor tuum ſituatum ſit.

3. Ne quid ad cor tuum admiſeris, quod ante ſublimem illam Dei puritatem ſubſiſtere nequit.

4. Filia mea, dum te in eodem ſemper modo, & omni absque difficultate video, pertimeſco vehementer, ne totus tuus conatus in partem vergat exteriorem, neglecto corde; ſi enim ad hoc ipſum attenderes, nequaquam aliis appareres melior.

Caput XXV.

De mediis paſſiones vincendi.

1. PAſſiones eradicare ſatage, utpote totidem animæ ſpinas.

2. In religioſa ne minimus quidem exterius apparere deberet paſſionis motus.

3. Ne tuis te abripi ſinas paſſionibus, eas conſidera deſolatiſſimas animas, quæ ſuis ſervierunt paſſionibus; nec non obligationem, quam cum habitu contraxiſti; vocationem & ſtatum, in quo degis, utpote religioſa, Jeſuque ſponſa: ac tandem, ad quid te Deus per internam obliget vocationem, quantaque ſit dignitas, ad divinum à Deo vocari ſervitium, & creaturam admodum vilem, ad perfectionem obligari.

4. Præſentia Dei, præſertim in paſſionis ardore, potens eſt ad proprias paſſiones vincendas auxilium.

5. Jesus ad mortem usque mortificari, tantasque recipere voluit plagas, ut anima, ſponſa ſua, mortificare diſceret paſsiones ſuas.

6. Ad primum paſsionis motum, in corde tuo te occule cum Deo, aut aliquem exerce humilitatis actum.

7. Tuis contrarium operare paſſionibus.

Digitized by Google

8. Dum aliquam in te ſentis paſſionem vel alterationem, non tam eam expellere, quàm genuflexa tuam ſatage agnoſcere culpam, teque indilatè humiliare.

9. Anima à paſſionibus poſſeſſa, irrationalis efficitur, magnamq; in judicij die rationem reddet.

Caput XXVI.

Qualiter in iis nos gerere debeamus, quæ noſtro repugnant ſenſui, quæq; Deus à nobis exigit, aliquam nobis evenire permittens tentationem?

1. DUm rerum ſucceſſus & eventus tuo contrariatur placito, mox omni te abdica intellectu, judicio, & ſapientiâ, tuis te mortuam conſignans ſuperioribus & obediens ſimpliciter.

2. In iis, quæ in divino ſervitio occurrunt, lætare difficultatibus, memor, ita Dominum ordinaſſe ab æterno ad majorem utilitatem tuam.

3. Dum aliquam tibi Deus evenire permittit tentationem, cogita id fieri, quia ad illud, à quò impugnaris, afficeris.

„ 4. Omnes per Dei gratiam ſuperantur tentationes, ſanctos „ invocando Patronos, totumque cum fidelitate & mortificatione „ manifeſtando ſuperioribus.

„ 5. Serpentis aſtutia, nos, ut ſuperioribus noſtris diffidamus, „ nec noſtras iis tentationes pandamus, molitur indefeſsè.

„ 6. Jesus ſponſas ſuas in tentationum ardore protegit, quem- „ admodum tres olim in fornace Babylonica pueros.

Caput XXVII.

Qualiter ſolidum in virtutibus jaciendum ſit fundamentum, & occurrentes in divino ſervitio vincendæ difficultates.

1. QUi in Dei ſervitio durare & progredi geſtit, verax rectumq; jacere debet fundamentum, nam opera, quantumvis bona & ſancta, ſi in veritate fundata non fuerint, tam exilis apud Deum ſunt pretij, ut ſatius eſſet ea impoſterum omittere, quàm ſine ſimplicitate & veritate, quæ Deus eſt, exercere.

2. Soliditatem nunquam acquirere poteris in bono, niſi mediâ paſſione, earumque rerum praxi, quæ tuæ repugnant voluntati.

3. In

Digitized by Google

3. In ſuavitatibus & deliciis Deus veraciter non reperitur, ipſe enim in medio veræ virtutis eſt, quæ inter dulcedines ſenſuſque conſolatorios, etiam ſpirituales, non acquiritur; & longè minus, dum quis omnimodam à creaturis habet ſatisfactionem.

4. Confidere nequeo animabus illis, quæ per totam vitam ſuam, in dulcedinum & tranquillitatum mari navigantes, perfectionem ſibi compararunt; ſcio enim, veram non eſſe virtutem, cui contrarium deficit veræ probationis; qualis eſt, aut à Deo, aut à creaturis, aut à dæmonio ipſo immiſſa tribulatio vel tentatio. Si hujuſmodi deficit probatio, non veræ, ſed fictæ erunt virtutes, tandem evaniture penitus.

5. Proprius virtutum locus in laboribus & paſſionibus eſt acerbioribus; ibiq; eas inveniet, quiſquis ipſas ſuo in corde radicare voluerit veraciter.

6. Laborare, deque proprio impendere debet, qui Deo vult fieri gratus.

7. Deſere, quæ placent; aggredere tibi contraria ſemper & repugnantia.

8. Si in obedientia aut functione aliqua magnam experiaris in te repugnantiam & contradictionem, ne verborum dulcedine facilitari cures, quia hæc pænam potius auferunt, quàm voluntatis repugnantiam, ſæpius redituram, quia vera virtus in difficili collocata eſt, paucique actus violenti habitum generant.

9 Si perfectionem, ad quam te Deus vocat, aſſequi velis, in nullis unquam, ſive internis ſive externis operibus, impoſſibilitatem memores, ſed vivam ſemper in Deo & obedientia habeas fidem.

10. Longè gratius Deo eſt opus unicum ſine ſenſu, quàm plurima cum ingenti ſolatio & ſatisfactione exercita; ideoque in ariditate & depreſſione lætare & jubila, utpote dulciſſimis illis recreata potionibus, quibus Deus ſibi unicè charos, maximèque dilectos oblectare ſolet.

11. Multis propter Deum rebus affici, ſimulque iiſdem propter Deum te privare opta; item multis pollere voluntatibus & deſideriis, quæ abneges & mortifices; naturam habere difficilem, quam vincas (modò inde æqualis reſultet Dei gloria) ut ita plus ſemper Deo offerre, acerbiora pro eo pati, ipſumque valeas honorare ſublimius.

12. In omnibus divini ſervitij difficultatibus lætare, imò maxima cum ſatisfactione Deo gratias age, favorem rata, quòd Deo tuis ſervias in ſudoribus.

13. In hujus vitæ difficultatibus, tribulationibus & tentationibus læta hilariſque eſto, quia æternum in momento obtinebis præmium, proque minimo mortificationis & tuiipſius abnegationis actu, gloria conferetur æterna & perpetuus animæ tuæ ſplendor. Martyres breviſſimi temporis paſſione, æternos ſibi compararunt theſauros.

„ 14. Virtus recluſa, nec communicativa, virtus non eſt.

„ 15. In omnibus actionibus, virtutumque praxi, exemplar tibi „ & idæam propone, Jeſum Chriſtum.

„ 16. Religioſorum & religioſarum hoc in mundo pietas ſe „ occupare & dimorari deberet circa ſacratam Jesu humanitatem; „ illa namque in Paradiſo unum erit è principalioribus felicitatis no- „ ſtræ objectis.

„ 17. Invideas terræ Calvariæ, Jesu Chriſti ſanguine made- „ factæ & imbibitæ.

Caput XXVIII.

De Mortificatione.

1. JEſus in illa ſibi complacet quieſcitque anima, quæ omnes potentias & ſenſus mortificatos habens, concupiſcibilem & iraſcibilem partem adeo frænat; ut illa nihil appetat contra voluntatem, neque hæc moveatur aut indignetur, niſi in rebus, ad Dei honorem proximique ſalutem ſpectantibus.

2. Nullo non die aliquam vel in lingua, vel viſu, vel aliis ſenſibus practica mortificationem, etiam in ordine ad ſpiritualia; tali vel tali ſatisfactione ſpirituali ad majorem Dei gloriam te privando.

3. In cibis ſemper te aliquatenus mortifica, veruntamen abſque nocumento.

4. Non ex deliciis, ſed ex neceſſitate tantùm cum dolore, tuique ipſius odio manduces, quia ſcilicet inimicum tuum corpus, ſemper tibi recalcitrans, cibas.

5. Diem, mortificationis inexpertem, inaniter te perdidiſſe doleas.

6. Beatitudo paupertatis ſpiritus, licet omnibus, nobis tamen ſingu-

Digitized by Google

ſingulariter (judicio meo) competit religioſis; hæc autem omnis propriæ voluntatis abnegatione obtineri poteſt; ideoque continuum exercitium tuum ſit interna & externa tuiipſius mortificatio.

7. Cor religioſum crucem ſemper mortificationis portare debet, propriam nunquam faciendo voluntatem; ſi alio ad Religionem fine veniſti, turpiter decipieris.

8. Soror, primò deſtruas teipſam, ſi vis renovari in Deo.

9. Per continuam mortificationem ſi tibiipſi contraria fueris, Deus ſe tuo magis inſinuabit cordi, quàm ob quodcunque orationis vel contemplationis exercitium.

10. Licet ſtatus ſolitarius magnæ ſit perfectionis, nihilominus ego cœnobiticum præfero, ob continuam propriæ abnegationis & mortificationis occaſionem.

11. Non vives in Deo, niſi millies tibi, tuisque commodis indies moriaris.

12. Niſi tibi tuisque appetitibus mortem intuleris, ut vivat in te Deus, ſemper vives ſecundùm partem internam.

13. Qui veraciter vult ſervire Deo, per mille vias & modos, omni horâ & momento ſeipſum mortificare debet.

14. Noveris, quòd Deus rectam à te exigat mortem, ſine qua nunquam aliquid præſtare poteris; illam autem ne medio internæ & externæ dulcedinis lacte & melle te operari poſſe confidas; non enim non poteſt ſentire dolorem, qui moritur veraciter.

„ 15. O pudor! nos in roſis deliciari, & JESUS in ſpinis volutari.

„ 16. Cæleſtis ſponſi illecebræ, ſunt injuriæ, cruces & tormenta.

„ 17. Lætitia, ſatisfactio & quies, manus ſunt & brachia ad
„ quamcunq; utiliter recipiendam mortificationem & correptionē.

„ 18. Dum JESUS cernitur in cruce, omnis tribulatio glorioſa
„ efficitur & delitioſa.

„ 19. Nonniſi inter ſpinas colligitur roſa, vixque Deus in dul-
„ cedine reperitur ſpiritus, ſed ſemper in mortificatione, & medio
„ veræ ſolidæque virtutis.

„ 20. Vita animæ religioſæ in morte eſt JESU Chriſti; non
„ illa mel, ſed ſolum guſtare gaudet fel paſſionis ejus.

„ 21. Non pluris corpus tuum facias, quàm ſcruta culinaria.

„ 22. Dum tentationes inimici, extraordinariis auſteritatibus
„ ſuperandas non eſſe judicant ſuperiores, tu frequentioribus & fer-
„ ventioribus inſiſte orationibus.

Digitized by Google

12. In omnibus divini ſervitij difficultatibus lætare, imò maxima cum ſatisfactione Deo gratias age, favorem rata, quòd Deo tuis ſervias in ſudoribus.

13. In hujus vitæ difficultatibus, tribulationibus & tentationibus læta hilariſque eſto, quia æternum in momento obtinebis præmium, proque minimo mortificationis & tuiipſius abnegationis actu, gloria conferetur æterna & perpetuus animæ tuæ ſplendor. Martyres breviſſimi temporis paſſione, æternos ſibi compararunt theſauros.

„ 14. Virtus recluſa, nec communicativa, virtus non eſt.

„ 15. In omnibus actionibus, virtutumque praxi, exemplar tibi „ & idæam propone, Jeſum Chriſtum.

„ 16. Religioſorum & religioſarum hoc in mundo pietas ſe „ occupare & dimorari deberet circa ſacratam Jesu humanitatem; „ illa namque in Paradiſo unum erit è principalioribus felicitatis no„ ſtræ objectis.

„ 17. Invideas terræ Calvariæ, Jesu Chriſti ſanguine made„ factæ & imbibitæ.

Caput XXVIII.

De Mortificatione.

1. JEſus in illa ſibi complacet quieſcitque anima, quæ omnes potentias & ſenſus mortificatos habens, concupiſcibilem & iraſcibilem partem adeo frænat; ut illa nihil appetat contra voluntatem, neque hæc moveatur aut indignetur, niſi in rebus, ad Dei honorem proximique ſalutem ſpectantibus.

2. Nullo non die aliquam vel in lingua, vel viſu, vel aliis ſenſibus practica mortificationem, etiam in ordine ad ſpiritualia; tali vel tali ſatisfactione ſpirituali ad majorem Dei gloriam te privando.

3. In cibis ſemper te aliquatenus mortifica, veruntamen abſque nocumento.

4. Non ex deliciis, ſed ex neceſſitate tantùm cum dolore, tuique ipſius odio manduces, quia ſcilicet inimicum tuum corpus, ſemper tibi recalcitrans, cibas.

5. Diem, mortificationis inexpertem, inaniter te perdidiſſe doleas.

6. Beatitudo paupertatis ſpiritus, licet omnibus, nobis tamen ſingu-

Digitized by Google

ſingulariter (judicio meo) competit religioſis ; hæc autem omnis propriæ voluntatis abnegatione obtineri poteſt ; ideoque continuum exercitium tuum ſit interna & externa tuiipſius mortificatio.

7. Cor religioſum crucem ſemper mortificationis portare debet, propriam nunquam faciendo voluntatem ; ſi alio ad Religionem fine veniſti, turpiter decipieris.

8. Soror, primò deſtruas teipſam, ſi vis renovari in Deo.

9. Per continuam mortificationem ſi tibiipſi contraria fueris, Deus ſe tuo magis inſinuabit cordi, quàm ob quodcunque orationis vel contemplationis exercitium.

10. Licet ſtatus ſolitarius magnæ ſit perfectionis, nihilominus ego cœnobiticum præfero, ob continuam propriæ abnegationis & mortificationis occaſionem.

11. Non vives in Deo, niſi millies tibi , tuisque commodis indies moriaris.

12. Niſi tibi tuisque appetitibus mortem intuleris, ut vivat in te Deus, ſemper vives ſecundùm partem internam.

13. Qui veraciter vult ſervire Deo , per mille vias & modos, omni horâ & momento ſeipſum mortificare debet.

14. Noveris, quòd Deus rectam à te exigat mortem, ſine qua nunquam aliquid præſtare poteris ; illam autem ne medio internæ & externæ dulcedinis lacte & melle te operari poſſe confidas ; non enim non poteſt ſentire dolorem, qui moritur veraciter.

„ 15. O pudor ! nos in roſis deliciari, & JESUS in ſpinis volutari.

„ 16. Cæleſtis ſponſi illecebræ, ſunt injuriæ, cruces & tormenta.

„ 17. Lætitia, ſatisfactio & quies , manus ſunt & brachia ad „ quamcunq; utiliter recipiendam mortificationem & correptionẽ.

„ 18. Dum JESUS cernitur in cruce, omnis tribulatio glorioſa „ efficitur & delitioſa.

„ 19. Nonniſi inter ſpinas colligitur roſa, vixque Deus in dul„ cedine reperitur ſpiritus, ſed ſemper in mortificatione , & medio „ veræ ſolidæque virtutis.

„ 20. Vita animæ religioſæ in morte eſt JESU Chriſti ; non „ illa mel, ſed ſolum guſtare gaudet fel paſſionis ejus.

„ 21. Non pluris corpus tuum facias, quàm ſcruta culinaria.

„ 22. Dum tentationes inimici, extraordinariis auſteritatibus „ ſuperandas non eſſe judicant ſuperiores, tu frequentioribus & fer„ ventioribus inſiſte orationibus.

Digitized by Google

„ 23. Mortificatio, fructus eſt orationis.
„ 24. Oculi religioſi, omnibus terrenis occluſi, ſolisque cæle-
„ ſtibus aperti, nonniſi JESUM contemplari debent, & hunc cruci-
„ fixum.
„ 25. Ambitio religioſæ ſit, dominam fieri & patronam paſſio-
„ num ſuarum.
„ 26. Mori ſibi, eſt perdi in Deo, & ſecurum æternitatis pignus.

Caput XXIX.

Qualiter in humiliatione, mortificatione & reprahenſione nos gerere debeamus?

1. IN iis læta ſemper & quieta eſto, ſine excuſatione ulla, etiamſi repræhendereris innocens, quia porta ad cælum eſt humilitas, mediâ quâ partem ſolves debiti tantarum iniquitatum tuarum.

2. Libenter repræhendi, tuosque tibi defectus dici ſemper deſidera; imò ut hos tibi inſinuent, tuas roga ſorores & ſuperiores.

3. Reprehenſa lætare & jubila in corde tuo, dicens: *Et unde hoc mihi?* qualiter ego hoc merui beneficium, ut meus mihi, quem in Dei ſervitio admiſi, dicatur defectus?

„ 4. Proprias accuſare virtutes, & alienos excuſare defectus,
„ ſunt duo boni humilitatis effectus & proprietates animæ religioſæ.
„ 5. Excuſare ſe etiam contra injurias, eſt à religioſo ſpiritu
„ deficere.
„ 6. O quàm utile animabus noſtris foret, ſi aliqua certa Reli-
„ gioſa determinata eſſet, quæ omnes noſtras, nullâ exceptâ, accuſa-
„ ret culpas!

Caput XXX.

De humilitate.

1. IN humilitate, tuique ipſius contemptu funderis.

2. Continuum tuum exercitium ſit annihilatio propria, actus autem annihilationis eſt, ſeipſam cognoſcere viliſſimam, ſibiq; in ſua apud alios vilitate placere.

3. Internam ſemper defectuum tuorum gere cognitionem, &, quàm exilem ex Dei beneficiis fructum haurias, perpende, memor, proximum tuum gratiorem futurum.

4. Semper te noveris ipſam, ſisque præ reliquis humilis, reverens, abjecta & contempta.

5. Tanti

Digitized by Google

5. Tanti apud te deberet valere humilitas, ut ſemper à creaturis confundi affectares.

6. In ea ſemper te conſerva humilitate, quam primis diebus novitia habet.

7. Ne quæras opera apparenter magna, quia in his pernicioſiſſima ſæpe latet ſuperbia.

8. Utilius & ſecurius eſt, opera exercere apparentèr minima, veràciter autem per puram intentionem magna, in his enim ſummè ſibi complacet Deus, hæcque adverſario noſtro abſcondita ſunt.

9. Ne à ſæculi hujus prudentibus te vinci ſinas, qui theſauros conſervant abſconditos; ideoque & tu in cordis tui intimo diverſa abſconde opera bona, ſoli cognita Deo; talia namque maximi fiunt in cælis.

10. Debet anima radios cæleſtes, & bona, ſibi à Deo communicata deſideria, ſervare in abſcondito; revelata namque, facilè perduntur.

11. Niſi te coram Creaturis humilies, nunquam ad Crucifixum pertinges; ideoque nunquam dixeris; ſufficit mihi Crucifixus, non curo niſi de ſolo Crucifixo.

12. JESUS in humili adeo ſibi complacet anima, ſuis etiam ſe ſubmittente inferioribus, ut, ſi hæc aliam non haberet virtutem; iſta ſola ei ſufficeret ad æternæ vitæ conſecutionem.

„ 13. In omnibus & per omnia JESUM imitari debemus incar-
„ natum, qui in terris nonniſi in ſervitute comparuit & exinani-
„ tione.

„ 14. O quàm pulchra virtus eſt humilitas! illa cælos aperit,
„ pro quovis aliquatenus ſatisfaciens peccatorum debito.

„ 15. Iidem horti, qui deprimuntur in terris, in gloriam ſubli-
„ mantur in Paradiſo; illeque divinam clarius videbit eſſentiam, qui
„ ſe exinanierit humilius.

„ 16. Suſpectas habeo creaturas, quæ in magno apud alios ſunt
„ conceptu; è contra cum incognitis & contemptis converſor li-
„ benter.

„ 17. Anima, proprias accuſans culpas, meretur, ut JESUS eas
„ ſuo cooperiat ſanguine.

„ 18. Perfectio noſtra in his duobus volvitur polis; ſcilicet in
„ deſiderio ſubjiciendi omnibus, inq; horrore, ne præferamur mini-
„ mæ creaturam omnium.

Digitized by Google

„ 19. Deus ex humilitatis & ſimplicitatis religioſæ nihilo, mun-
„ dum creavit perfectionis.

„ 20. Conſortio te indignam reputes ſororum, aut quæ terram
„ oſculeris ab iis calcatam.

„ 21. Omnes Religionis operationes ſimplices, humiles & mo-
„ deſtæ eſſe debent.

„ 22. Inſigne humilitatis conſervandæ medium eſt, ſi rem ex-
„ ternam affabrè cæptam, cum exili finias genio & curioſitate.

Caput XXXI.

De manſuetudine & pace ſecundùm Deum.

1. SI teipſam, tuas paſſiones & inordinatos poſſeſſeris motus, ipſum poſſidebis Deum, ſummâque gaudebis pace.

2. Pacifica eſto, aſt non eâ pace, quæ nunquam vult probare prælium; vera enim pax ſecundùm Deum non niſi per ſuum obtinetur contrarium.

Caput XXXII.

De paſſione & patientia.

1. IN paſſione hilaris & conſtans eſto, memor, paſſionem, regiam eſſe ad cælos viam.

2. Paſſionis lucrum in eo conſiſtit, quòd ſit ad Jesu ſponſi veſtri imitationem.

3. Soror mea, tam pretioſum eſt atque nobile paſsionis exercitium, ut Verbum in æterni Patris ſinu exiſtens, omnes deſeruerit Paradiſi divitias & delicias, quia ſtolâ carebat paſsionis, quam ut obtineret, in terras venit. Deus ipſum erat, nec falli poterat; vide ergo, ne te decipias.

4. Non meretur Jesu Sponſa dici, quæ ejus in ſervitio non patitur, nec laborat.

5. Domino gratias age in omnibus, quæ te affligunt, ſicque ſubitò perfecta eris.

6. Semper capitale fove ſecretum, ſoli cognitum Deo, ſcilicet paſsionis & tribulationis internæ, vel doloris externi, qui omnes lateat creaturas.

7. Si quid amore Jesu pati volueris, cura tua tibi occulere deſideria, voluntates & appetitus; imò id, quod tibi repugnat & incli-

Digitized by Google

inclinationi tuæ, ſimules placere tibi, ut ſemper paſſionis exercendæ habeas occaſionem.

8. Dum afflicta & deſolata tibi videberis, te totam in Deum reſigna, Patrem benigniſſimum, qui te extenſis expectat in cruce brachiis, easque tibi offert dapes, quas pro ſe elegerat, ſcilicet deſolationes & derelictiones; prout in his demonſtrat verbis: *Deus Deus meus &c.*

9. JESUS crucifixus tuum ſit ſpeculum, cruxque requies tua; illi aſſimilari ſatage viribus omnibus, ipſe enim tantò magis te amabit, quantò ab omni tam interna, quàm externa derelictior conſolatione, plus patieris amore ejus, inque ipſa paſſione gaudebis. Hoc ſi feceris, Paradiſum habebis in vita præſenti, omniaque contraria materiam tibi ſubminiſtrabunt majoris ſatisfactionis & lætitiæ.

10. Verius ſtabiliusque lumen ſæpe haurit anima ex paſſione interna, quàm externa; incipientibus nihilominus virtutis hujus utilitatem inculcare oportet.

11. Te Deo charam eſſe exinde concludes, ſi hilariter amore ejus patiaris; ideoque Jeſus de tribulationibus agens, ſubdit: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra &c.* Nota autem, eum non modò dicere: *Gaudete* interius, ſed etiam *exultate* exterius.

„ 12. Patientia tua fortis ſit & hilaris, exerceaturque in virtu-
„ tum harum praxi, veluti per rectum ad Paradiſum & æternita-
„ tem, tramitem.

„ 13. Vitæ hujus brevitas, quæ omnes terminat paſſiones, exer-
„ citium adjuvat patientiæ, tanquam perfectam incarnati Verbi
„ imitationem.

„ 14. Quid eſt anima religioſa? rupes inexpugnabilis.

„ 15. Virtus ſine probatione non eſt virtus; & patientia ſine to-
„ lerantia, levis eſt tinctura, quæ corticem duntaxat & apparentiam
„ boni habet.

„ 16. Afflictiones hujus vitæ ſunt loco purgatorij, à quo nos
„ liberant poſt mortem.

„ 17. Quod me attinet, non admodum ad Paradiſum anhelo,
„ quia ibi pati non licet; hicque unicus in beatitudinis perfectione
„ mihi diſplicet defectus.

„ 18. Virtus ſolo nomine fæminea eſt, in reliquis tota fortis
„ & virilis.

19. Vita animæ religioſæ mors eſt JESU Chriſti, quæ proinde nonniſi felle paſci & potari gaudet paſſionis ejus.

CAPUT XXXIII.

De puritate intentionis &c.

1. ANte quodvis opus aut verbum, num ſponſo tuo placeat, præmeditare.

2. Operatura, prius intentionem & finem, à quo moveris, perpende; inque eo conſilio ſemper eliges Deum, id eſt, non alium velis finem, quàm Deum & amabilem ejus voluntatem.

3. Semper cum intentionis operare puritate, nec creaturis unquam placere cura.

4. Solum Deum, ejus ſolam voluntatem, puram gloriam & honorem in omni, etiam minimâ, quære actione.

5. Licentiam cum intentionis puritate quamcunque petas.

6. Intentionis puritas virtute pollet ſanctificandi opera noſtra.

7. Omnis ad puram Dei gloriam actio, usque ad ipſum etiam otium, magna reputabitur operatio.

8. Pura in omnibus intentio ipſos etiam defectus mutat in virtutes, ipſi Deo charas.

9. Operans ſemper ex intentione glorificandi Deum, rectâ abiret in Paradiſum ſine ullis purgatorij pænis.

10. Juxta puræ intentionis quantitatem, Deus nos in altera vita præmiabit.

11. Non operum multitudo & ſublimitas, ſed intentionis puritas nos in Paradiſo magnos efficiet; hæcque, non illa præmiatur à Deo; unde ſæpe opus minimum, puro factum fine, ingens eſt in Dei conſpectu; è contra opera magna, ob humanum finem facta, Deus aſpernatur.

12. Deus noſter ipſamet eſt puritas, exigitque à ſponſis ſuis, ut puriſſimè ambulent in ſervitio ejus; ideo tu operare cum puritate, teipſam exuens & ſpolians in omnibus.

13. Si in ullo tuam quæreres voluntatem, potius eligens pati, quàm gaudere, purè te operatam fuiſſe invenires; in vera namque paſſione non inveniuntur intereſſe proprium, atque ideo ſemita paſſionis ſecurior eſt, Deoque gratior.

14. In nullo, præterquam in ſolo Deo, ſatisfactionem aut voluptatem cape.

Digitized by Google

15. Inordinatè ergo nullam feraris creaturam, ſed omnes ama, quia Deus illas amat, easque à nobis amari præcipit.

16. Divina impedit puritas omnia opera, verba & cogitata, quæ à ſtatu & decore deviant religionis, quodcunque à divina voluntate remotum placitum, omne deſiderium gloriæ, etiam ſanctitatis, omnem minutiſſimam cum Deo & creaturis duplicitatem, minimam veritatis occultationem; omne, quantumvis ſanctum, de proximo judicium; omne verbum non rectum, & otioſum; omnem, quæ non de Deo eſt, cogitationem, aut quæ ad rem, ſalutem propriam, perfectionemve ac neceſſitatem proximi non pertinet.

„ 17. Bonæ intentionis noſtræ oculus, divinum ad ſe attrahit „ oculum.

Caput XXXIV.

Qualiter quærenda & practicanda ſit Dei voluntas?

1. FAc, ut divina voluntas, ſit deſideriorum tuorum regula.

2. Deſidera, ut tu tuæque ſorores voluntatem ſemper adimpleant Dei; juſtus enim retributor Deus hoc deſiderium in libro vitæ deſcribere non omittet.

3. Nihil, niſi ſolam quæras adimplere Dei voluntatem; hoc enim ſolo deſiderio (utpote puri ſincerique in Deum amoris ſigno) animam ego ſalvari poſſe exiſtimo.

4. Si divinam quæris voluntatem, cave ſuperiorum ad te trahere voluntatem, ſed hanc exequere ſimpliciter; ſicque ad magnam pervenies perfectionem.

5. Res ſtupenda! punctualiſſimè voluntatem facimus Dei, quoties obedientiam implemus.

6. Omnia fac, ut divinam adimpleas ſemper voluntatem, hæc enim pura intentio vi pollet ſanctificandi opera noſtra. O Sorores, quantum perdimus, quia hanc neſcimus negotiationem! an non auditis, quam dulce ſit hoc unicum verbum: *Voluntas Dei*?

7. Morbos & omnia alia à Dei accipe manu, memor, quia Deus talia tunc exigit à te.

8. Poteſt anima aliquatenus magnæ ſuæ correſpondere obligationi, ſi nimirum perfectum ſeipſam obtulerit holocauſtum, liberè ſeſe in divinum reſignans placitum, eoque unicè contenta, quod Deus fieri voluerit ſive in terra, ſive in cælo, ſive in inferno.

Vid. latius ſup. cap. 7. de obedientia.

Caput

Digitized by Google

Caput XXXV.

De præſentia Dei.

1. OMnibus in locis & actionibus præſentiam Dei, quantum poſſibile eſt, præſertim autem paſſionem ejus in corde tuo fovere ſatage; anima enim Deum præſentem habens, raro incidet in defectus, magnumque in Dei ſervitio faciet progreſſum.

2. Semper ante oculos habe magnum Dei incarnati in cruce ſpectaculum, ejusque irradiari ſatage ſplendore virtutum, præſertim autem earum, quas ei per votum promiſiſti.

Caput XXXVI.

De negotiatione & unione cum Deo, &c.

1. MAne evigilans, fac, ut prima tua cogitatio ſit de tuo, tibi præſentiſſimo Deo; tuum ei cor offer, & voluntatem, ac teipſam in holocauſtum; inque memoriam revoca meditationis puncta.

2. Opta Deum laudare & contemplari cum multis ejus electis, qui illi nunc uniuntur in oratione.

3. Signo dato ad ſurgendum, mox ſurge, & genuflexa, SS. Trinitatem adora & pete, ut te die illo ab omni protegat offenſa.

4. Deo, quòd te illâ nocte conſervarit, gratias age, cogitans, eum primum eſſe diem, quo Deo ſervire incipias, & forſitan ultimum pariter vitæ tuæ.

5. Dum te veſtis, eam actionem offer in illius unione veſtitus, quo divinum in humanitate noſtra ſe cooperuit Verbum, ipſumque roga, ut eo indui merearis, & te participem faciat illius erga creaturas amoris, quo flagravit, dum noſtrâ ſe veſtiit carne; & ut tibi illum communicet zelum, quo gloriam promovit zelavitque paternam.

6. In omnibus motibus, operibusque internis & externis, intenſum & amabilem conjice obtutum in Deum, opem poſtulans, imò ſupplicans, ut ipſemet in te omnia operetur, faciat, loquatur & cogitet.

7. Filia, ſi parvo tempore apicem conſcendere vis perfectionis, magiſtrum accipe Crucifixum, ejusque diligenter auſculta verba, quia tuum ſemper cor alloquitur.

8. Multis te idoneam reddes virtutibus, gratiisque à Deo recipiendis, ſi pro quolibet, quod in te experiris, bono deſiderio gratias egeris Deo, te ad ipſum reflectendo.

9. Hujus-

Digitized by Google

9. Hujuſmodi ad te & ad Deum reflexio conſiſtit in intima tuæ vanitatis & vilitatis notitia, cum elevatione mentis ad majeſtatem & eſſentiam Dei, gaudendo de ejuſdem Dei gloria & ſublimitate.

10. Mentem tuam in Deo occupatam tene; hanc ego reputo eſſe animæ beatitudinem in terris; talis anima cor nunquam habebit turbatum; cum enim oculos ſuos in Deum perpetim fixos habeat, ideo quam Deo ſemper diſplicere videt, nunquam admittit cordis turbationem.

11. Ne unquam exile reputes, quod te ad Deo ſeparare poteſt.

12. Licet continua actualis de Deo cogitatio impoſſibilis ſit in ſtatu viæ, nihilominus ſemper Deo unitæ vivere, ſemperque eum reſpicere poſſumus; ideo laborans, propter Deum labora; operans, propter eum operare, ut illi placeas, illum honores & glorifices; hoc enim eſt, ſemper vivere in unione cum Deo.

13. Mente revolve, quia Deus purus eſt, & hic ipſe Deus purus, tuus eſt ſponſus.

14. De nullo, niſi de ſolo cures Deo, illi ſoli placere ſtude, nec velle aliud, niſi voluntatem Dei; id ſtatus & ſancta tua exigunt vota.

15. Vocationis tuæ dignitatem & obligationem recogita ſæpe, ut actionibus ſanctis pro tanto grata ſis beneficio, & juxta vocationem tuam opereris.

16. Sanguinem Chriſti offerre nunquam omittas; ideoque ſicuti continui ſunt caſus, ita continuæ ſint oblationes; neque eum pro te duntaxat offer, ſed etiam pro tot, in perditionis periculo conſtitutis, animabus.

17. Memineris animarum mearum, earum dico, quæ in extremis degunt; nulla earum ex hac vita migret, quam tu non recommendaveris JESU: ſique omni mane pro cunctis eo die morituris, & omni veſperâ pro cunctis eâ nocte diſceſſuris, oraveris; pro omnibus orabis.

18. Deum continuò pro tuis proximis ora, ſicque aliquatenus tuæ in Deum obligationi ſatisfacies.

19. Omnia fac cum ſpiritus ſuavitate, ne divino in ſervitio laſſetur ſpiritus.

Digitized by Google

20. Dum cibaris, mente in cælum elevatâ, cibum cogita beatorum & ad eum aſpira.

21. A ciborum terrenorum lautitie, ad immenſam eorundem Creatoris dulcedinem & ſuavitatem participandam eleveris.

22. Ad primam in menſa reſpirationem, JESUM adorabis in illius reverentiam honoris, quem Verbi humanitas præſtitit divinitati, priusquam cibum ſumeret operum; id eſt, antequam pro animarum noſtrarum ſalute laborare inciperet; nec non in iſtius reverentiam adorationis, quam eidem Verbo in præſepio exhibuit Maria, priusquam ipſum lacte cibaſſet.

23. Ad 2. reſpirationem perpendes, quomodo Verbum, dum prædicaret, in cibo redemptionis animarum noſtrarum, ſubminiſtrando animæ ſuæ propriæ, jucundabatur; cibus enim ejus, erat cibus noſter.

24. Ad 3. reſpirationem, ad Verbum divinum in cruce extenſum, tuam eleva mentem, conſiderans, qualiter finito redemptionis noſtræ opere, ita ſaturatum fuerit, ſicuti quis ſatur plures non appetit cibos; ita & JESUS (ut ita dicam) noſtrâ ſummè ſaturatus erat ſalute, adeoque ſibi complacebat in ea, ut, ſi novos creaſſet mundos, &, infinita patraret opera mirabilia, de nullo tamen ita gauderet, ac de opere redemptionis noſtræ.

25. Gratias agens, cogita, quas pro nimia Dei in nobis amandis ſatisfactione, debeas referre gratiarum actiones: & ſicuti cum tot ſororibus, in gratiis Deo pro cibo agendis unita es; ita omnes potentiæ tuæ in reddendis Deo gratiis pro hoc & innumeris aliis beneficiis unitæ eſſe deberent.

26. Tempore ſilentij, in officina laboris perpende, quàm grata fuerint æterno Patri, opera unigeniti ſui, quæ pro nobis in ſilentio fecit, id eſt, usque 30. ætatis annum; inque horum unione, offer tua. Conſidera inſuper, quàm Deo electorum ſuorum illa placeant opera, quæ ipſi ſoli ſunt nota, & creaturis occulta; tuque plurima hujusmodi in te inveniri deſidera.

27. Veſperas recitans, eam in te deſidera ſitim, quâ Verbum in cruce gloriam ſitivit Patris, & pati pro nobis; tuque aſpira, ut cum eo dicere poſſis: *Conſummatum eſt*; id eſt, ut illa Dei laus omnem inordinatum tui ipſius rerumque terrenarum in te conſummet affectum; tuq; ſoli gloriæ & honori Dei intenta, laudem illam in unione offer ſeptem verborum JESU, quæ dixit in cruce.

28. In

Digitized by Google

28. In Completorio, tanquam in ultima diei hora, omnem, in reliquis iſtius diei horis admiſſum, recuperare ſatage defectum.

29. Veſperi ad cellam abiens, in te recollecta, judicij recorderis, qualiter tunc omnia peccata tua coram univerſo mundo revelabuntur.

30. Ante quietem, plagas exoſculans Jesu, te totam ei committe & ſupplica, ut te in ſacro latere & corde ſuo abſcondere dignetur, & ardentis charitatis ſuæ igne rubiginem imperfectionum & defectuum tuorum in te conſummet.

31. Nocturnam quietem tuam in unione offer illius, quam Verbum incarnatum cæpit in terris; ejusq; in oratione pernoctationem pro ea offer, cui tu eâ nocte vacare deberes.

32. Actum, quo te exuis, in unione offer illius, quo Jesus ſe ſpoliavit veſtibus, in cruce extendendus; & conſidera, Jeſum ſe exuiſſe, cum dolore magno, & ut ſæveriora pateretur amore tui; tu verò te exuis, ut quieſcas commodius; deinde roga eum, ut per ipſius gratiam, veteri te poſſis exuere Adamo, qui adeo dominatur in te.

33. Tuam in lecto quietem in unione offer illius, quam Jeſus habuit in duro crucis ligno; gratiamque pete, ut in divinum ejus ſervitium omnes tam internas, quàm externas tuas poſſis extendere vires.

34. Priusquam obdormias, te totam Deo committe, ſupplicans, ut eâ te nocte cuſtodire dignetur; deinde meditationis puncta in memoriam revoca & ſuper Jeſu latus obdormi.

Caput XXXVII.

De imitatione Verbi.

1. OMnibus in actionibus Jeſum Sponſum tuum imitari ſatage, ejusque affici virtutibus, humilitate & manſuetudine.

2. Palmes viti unitus, eundem fert cum vite fructum; ita & tu, ſi per voluntatis & amoris transmutationem, Jeſu unita fueris, eundem cum illo fructum dabis; id eſt, per imitationem, ex Verbo incarnato praxin hauries virtutum illarum, quas exercuit in terra; præſertim autem humilitatem profundam, quæ omnes tuas humiliet actiones; nec non ardentem Dei amorem & veram in proximo charitatem, ita ut ei impoſterum te & corporis tui commoda poſtponas.

Digitized by Google

Caput XXXVIII.

De Zelo ſalutis animarum.

1. UNa rationum, ob quas te Deus ad Religionem vocavit, eſt, ut ſanctam Eccleſiam adjuves & converſioni coopereris peccatorum.

2. Debet Religioſa non modò propriam, ſed etiam proximi deſiderare & quærere ſalutem atque perfectionem; Deus enim te ſeparavit à mundo, ut non tantùm tibi ſis bona, ſed etiam animas precibus juves ac pœnitentiis, Deumque places pro peccatoribus.

3. Ut ſalutis animarum in te excites deſiderium, amorem ſæpius perpende, quo Deus illas proſecutus eſt & proſequitur, quantum cum amore maximo pro iis paſſus fuerit Jesus, quòdque eas Jesus à Patre æterno in hæreditatem acceperit.

4. Si noſſes animæ juſtæ bonum, quàmque ſibi Deus placeat in illa, deſiderio arderes ſalutis animarum tantarum, in peccatis viventium.

5. Confundere & humiliare, dum ob negligentiam tuam multæ forſitan damnatæ ſunt animæ, quas ſi ardenti cum affectu recommendaſſes, proque iis ſanguinem Jesu obtuliſſes, hodie æternâ fruerentur fælicitate.

6. Si animæ peccatricis deformitatem conſiderares, longè ferventior fores in petendis à Deo animabus.

7. Tuæne cauſam afflictionis noſti? quia Dei cares amore; ſatius faceres, de animæ alicujus cogitando ſalute, eamque per preces ex dæmonis unguibus ereptam, Deo acquirendo; pete eam à Domino cum fiducia, tibique illam concedet.

8. Si animæ juſtæ intueri poſſes venuſtatem, tanto ejus repleretis amore, ut nihil aliud ageres, quàm animas petere à Deo. Et è contra, ſi animam videres in peccato mortali conſtitutam, ſemper plangeres, peccatumque dæmone pejus odiſſes, inceſſanter converſionem poſtulans peccatorum, & ad quamlibet parata paſſionem pro eorundem obtinenda converſione.

„ 9. Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo in
„ Æthiopiam, & requieſcam in Æthiopum converſione? elongabo
„ fugiens & manebo in ſolitudine Indiæ & Barbariæ, ut Jesus
„ animas & animæ poſſideant Jesum.

10. O Jesu,

„ 10. O JESU, tot mihi hodie ſororibusque meis concede in-
„ fidelium animas, quot hodie greſſus obibimus, quot verba pro-
„ nunciabimus, quot acuductus iterabimus, quot corporis animique
„ motus frequentabimus.

„ 11. Cuſtodi me Domine, quia in deſiderio animarum ad ni-
„ hilum redacta eſt anima mea.

„ 12. Quis mihi dabit, ut mille oppetam mortes pro anima-
„ rum ſalute?

Vid. fuſius lib. 2. c.13. De amore erga proximum.

CAPUT XXXIX.

De amore Dei.

1. POteſt anima ſuæ aliquatenus erga Deum obligationi corre-ſpondere per mutuam erga Deum dilectionem.

2. Actus amoris in Deum ſæpe reitera, in divina ejus tibi complace eſſentia; intensè toti compatere paſſioni JESU, & vivum concipe ejus adimplendæ voluntatis deſiderium.

3. Amoris in Deum actus eſt, gaudere & delectari de eo, quod ipſe eſt & operatur in cælo, in terra & in ſeipſo.

4. Animæ in hac vita exercitium eſſe debet, amor & odium; ſummus Dei amor, & poſſibile ſuiipſius odium; in his tota conſiſtit perfectio.

5. Cum ſublimia multa operari non poſſis ut reliquæ; hoc ſaltem, quod majus eſt, conare, ſcilicet amare Deum cum puritate.

6. Rem diſce magnam, à pauciſſimis cognitam & penetratam; ſcilicet quòd per tantillam cordis operationem, qualis eſt amoris aut alicujus alterius virtutis momentaneus actus, gradum acquiras gloriæ, tam altum atque ſublime præmium, ut omne tranſcendat cor animumque humanum; hæcq; ipſa gloria durabit æternùm.

7. Ama & patere, patere & ama; amor paſſionem, paſſio in nobis cauſat amorem.

8. Qui non fit vas aureum in novitiatu, vix tale evadet poſtea; licet enim tale apparere poſſet, nunquam tamen erit veraciter; neque unquam ut aureum adhiberi poterit, neque eoſdem cum aureo faciet effectus.

9. Vult æternum divinumque Verbum, ut anima ſponſa ſua ad ſapientem ſtultitiam & eminentem adeo, ſibi ſoli notam, aſcendat

Digitized by Google

charitatem,ut hanc unicam tantùm foveat cogitationem; dare Deo gloriam & ſibiipſi confuſionem; ut hoc unicè cogitet, ad hoc aſpiret, de hoc unicè tractet, ſemperque loquatur.

10. In charitate morieris, ſi hunc moriens elicias actum; ſcilicet ſi volueris Deo omne bonum & gloriam, quam habet, totumq; ei obtuleris amorem tuum in illius ſupplementum amoris, quo eum proſequi debebas in vita; actus hujuſmodi ſummè eſt meritorius.

„ 11. Non capio, qualiter quis deliberatè Deum offendere poſſit.

„ 12. Libenter in proximi bonum omni me privarem gratiâ, „ præterquam Deum nunquam offendendi voluntate.

Vid. fuſè lib. 2. cap. 12. de amore Dei.

Caput XL.

De tribus monitis, quæ S. Maria Magdalena dedit omnibus ante mortem ſuam.

1. UT ſemper regulæ & conſtitutionum noſtrarum zelemus obſervantiam, quodlibet potius pati paratiſſimi, quàm vel minimam admittere relaxationem; utque ad eas manutenendas, ſemper ſuperiores eligamus zeloſos.

2. Ut omnibus in rebus ſanctam quæramus & zelemus paupertatem, religioſamque ſimplicitatem.

3. Ut nos invicem amemus, ſimulque in charitate uniamur tanquam cor unum & una voluntas; quòdque talis debeat eſſe amor noſter, ut magis de bono & virtutibus gaudeamus alienis, quàm propriis, proximos rati eſſe aptiora nobis pro Dei ſervitio inſtrumenta.

Tria hæc monita ex proceſſu Beatificationis extracta ſunt, per ſororem Mariam Pacificam del Tovaglia.

Caput XLI.

Utiliſſima quædam puncta, quæ Dominus exigit à religioſis; item gratiæ, impertiendæ obſervantibus ea, ex quodam S. V. raptu deprompta.

1. SI ſuperiores ſemper eligeremus juxta puram Dei inſpirationem & illuminationem, nullo ad ætatem religioſam, & longè minus ad ullius creaturæ voluntatem & deſiderium habito reſpectu,

Digitized by Google

reſpectu, Deus iis ſemper aſſiſtentiam daret Spiritus ſancti in regendo & gubernando.

2. Si in omni tribulationis diluvio, manus noſtras mediante oratione levaremus ad Dominum, ipſe nobis, quemadmodum olim Noë, opitularetur.

3. Si mundum oderimus, Deus nos cuſtodiet, ſicuti poſt Judæ prævaricationem protexit Apoſtolos, qui per Evangelij prædicationem, totius fuere mundi lumen; nosque creaturis ſubſidio erimus per orationes noſtras & interceſſionem apud SS. Trinitatem. Illi ardentes fuere charitatis & amoris fornaces, ideoq; *ibant gaudentes à conſpectu Concilij &c.* nosque in paſſione, contemptu & exinanitione noſtra gloriabimur.

4. Si ut dilectam ſponſam, charam amicam & dulcem ſororem, amaverimus ſanctam paupertatem, Deus nunquam rei neceſſariæ defectu nos premi permittet.

5. Si oculus noſter ſuum oderit contrarium, id eſt, omnem minimum puritatis ejus maculativum atomum, Deus oculo nos dotabit interno, ut ipſius guſtemus & penetremus excellentiam, quam gratiam impertiit ſanctis; nosq; ſecretorum ſuorum reddet participes quieſcere faciens ſuper pectus ſuum cum S. Joanne.

6. Si intensè, internè, juſtè & ſanctè noſtrum amaverimus proximum, Deus ſemper nobiſcum ſacramentaliter erit; ſique aliquando, qui eum nobis ſubminiſtraret, deficeret, ipſemet de throno ſuo deſcendens, noſtris ſeſe ingereret labiis & pectoribus.

7. Si nos levaverimus ſuper nos & oculos noſtros ad faciendam Dei voluntatem, ipſe noſtram faciet, ſicuti (ut ita dicam) Jeſus voluntatem implevit patris ſui, dum peregrinaretur in terris.

8. Si ſuper tribulationum aquas gradi & ſuper tentationum ſpinas incedere geſtierimus; Sponſus noſter per noſtrum collegium ire, diſcurrere & deambulare affectabit, quemadmodum dilectus ſponſus in ſuo dilectiſſimo thalamo.

9. Deus illa in nobis usque continuabit dona & gratias, ſi illi, qui rerum divinarum lumine præditi, obſervantiam & perfectionem Religionis zelant, in ſuo ex vivis diſceſſu, ſuperſtitibus quaſi teſtamento dictum legent lumen & zelum, curantes, quantum poſſunt ex parte ſua, ut ſemper in ſuperſtitum aliquo talia vigeant deſideria. In hoc cardine rerum vertitur ſumma, O Deus meus,

Digitized by Google

meus,ut ii,quibus tu lumen impertiiſti,communicativi ſint; parum enim bonitatis illi ineſt virtuti, quæ non gaudet eſſe communicativa.

Caput XLII.

Puncta quatuor, quæ à religioſis requirit Dominus, quæ S. Virgo in extaſi quadam, in IESV corde exarata vidit, veluti in Schedula.

1. UT animarum ſalutem ardentiſſimè zelemus.

2. Ut omni ſtudio & induſtriâ hominem perficiamus internum.

3. Ut ſtudium ſtudio & diligentiam accumulemus diligentiâ in ſanctiſſimis frequentandis ſacramentis, amore tantum recompenſantes amorem.

4. Ut in doctrina, quam per S. Angelum & S. Ignatium tradidit extaticæ, ſcilicet in humilitate & paupertate, perficiamur.

Caput XLIII.

Alia 4. Puncta, pariter à religioſis per Dominum requiſita in raptu.

1. UT effectu & affectu à ſæculo procul ſequeſtremur.

2. Ut ſimplicem & mortificatam in victu & veſtitu ducamus vitam.

3. Ut mortui vivamus in Deo, abſque omni placito & judicio proprio.

4. Ut velimus nihil velle, niſi Deum, ejuſque voluntatem.

Caput XLIV.

Trina puncta, quæ Deo admodum placere, & à piis religioſis ſimiliter exigi, intellexit Magdalena in raptu.

1. UT dies feſtos ſanctis impendamus orationibus & aliis ſpiritualibus exercitiis; præcipuè autem ut unâ horâ pro tribus oremus ſtatibus, ſcilicet 1. pro ſummo Pontifice, Cardinalibus, aliiſque prælatis & religioſis omnibus. 2. pro omnibus, qui Deum peccato offendunt blaſphemiæ & crapulæ. 3. pro omnibus agonizantibus.

2. Ut

Digitized by Google

2. Ut ſuum JESU, pro nobis effuſum, offeramus ſanguinem; idque quotidie ſemel ad minus, pro conſervando religionis hujus bono, ſingulariter autem pro fovenda ſanctiſſimorum ſacramentorum frequentia.

3. Ut quotidie eos, qui in extremis degunt, Domino recommendemus; quo fine alias inter preces, illum ſingulariter recitabimus Pſalmum: *In te Domine ſperavi &c.*

CAPUT XLV.

Petitiones 5. quas à 5. in particulari religioſis ſuis expediri voluit Magdalena, ita ut, ſi una è 5. diſcederet, mox alia mortuæ ſuccederet in pietatis officio.

Intelligens B. mater, qualiter JESUS quinam ab ejus ſororibus, eamque quotidianam, tam pro præſenti, quàm tempore futuro, ad bonum Conventus commune pertinentem, exigeret petitionem, ne, ſicut olim apud S. Catharinam Senenſem, conqueri cogeretur, non eſſe, à quo rogetur; ideo B. inquam mater, in eodem raptu ſequentes quinas ſororibus quinis præſcripſit petitiones.

1. MAtri N. ut continuò Deum oret, quatenus eo in loco ſemper unio & charitas foveatur cum Deo & proximo.

2. Sorori N. ut ſemper oret pro perfecta inibi voti ſanctæ obedientiæ obſervantia.

3. Tertiæ, ut ſuperiores ſemper & capita poſtulet à Deo, quæ ſint ſecundùm cor ejus, ne in loco iſto ſimplex unquam deficiat obſervantia.

4. Quartæ, ut oret pro voti paupertatis conſervatione.

5. Quintæ, ut omnes præſentes & futuræ ſorores cognoſcant, quàm neceſſaria ſit religioſis ſingulis abnegatio ſuiipſius, & minutiſſima regulæ obſervantia.

Deinde ſigillatim omnes ab ovo repetens petitiones, ſubjunxit:

1. Charitatem & unionem propria impedit voluntas, & obedientiæ defectus.

2. Obedientiam fidei defectus, quia ſcilicet non credis Deum in ſuperioribus loqui.

Digitized by Google

3. Sinceram electionem reſpectus humanus;

4. Paupertatem propria ſenſualitas & paſſionis impatientia;

5. Suiipſius abnegationem & obſervantiam exactam defectus impedit cogitationis; quia ſcilicet non perpendis nec penetras tuam in religione obligationem, quamque urgeat promiſsi adimpletio.

Caput XLVI.

Novem annihilationis actus, quos ſancta ipſamet frequentavit quotidie.

Vid. lib. 1. cap. 3. à §. 11. usque ad finem, de verbo ad verbum.

Eodem capite à 1. usque ad 11. & cap. 4. per totum vide alias ſanctiſſimæ Virginis devotiones, quæ ſingulariter illuſtrabunt cap. 36. hujus Opuſculi.

Caput XLVII.

Forma profeſſionis, quam S. Maria Magdalena de Pazzi, novitiis ſuis præſcripſit, anno 1584.

